




Magnos magna decent
Aut mors aut vita decora
ELEPHANTOGRAPHIA
Curiosa
D. Georgii Christophori
Petri ab Hartenfels.
Manet integra Laurus.
Nec hydra nocebit.
Pura Placent Superis.
Mansuetis grandia cedunt.
T. J. Hiltebrandt delin.
Jacob Petrus Sculpsit Erffurt.

ELEPHANTOGRAPHIA CURIOSA,

SEU

ELEPHANTI DESCRIPTIO,

JUXTA
METHODUM ET LEGES
IMPERIALIS ACADEMIÆ
LEOPOLDINO-CAROLINÆ
NATURÆ CURIOSORUM
ADORNATA,
MULTISQVE SELECTIS OBSERVATIONIBUS
PHYSICIS, MEDICIS ET JUCUNDIS HISTORIIS
REFERTA, CUM FIGURIS ÆNEIS,

AUTHORE
D. GEORGIO CHRISTOPHORO PETRI
ab Hartenfelß/
SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, CONSILIARIO ET ARCHIATRO
ELECTORALI MOGUNTINO, CONSULE PRIMARIO ET PHYSICO
ERFFURTENSI, UNIVERSITATIS HIERANÆ ET FACULTATIS
MEDICÆ SENIORE, P. P. ET P. L. C. CURIOSORUM
ACHILLE.

ERFORDIÆ,
IMPENSIS AUTHORIS.
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.
1715.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EMINENTISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

LOTHARIO FRANCISCO,

SACRÆ SEDIS MOGUNTINÆ ARCHI-EPISCOPO,

SACRI ROMANI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIO, ET PRINCIPI ELECTORI, EPISCOPO BAMBERGENSI,

DOMINO

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SACRUM!

EMINENTISSIME AC CELSISSIME

PRINCEPS ELECTOR,

DOMINE,

DOMINE CLEMENTISSIME.



Nnus nunc agitur quadragesimus ſextus, ex quo ab Eminentiſſimæ Celſitudinis Tuæ DOMINO PATRUO, DOMINO JOHANNE PHILIPPO, *Sacræ Sedis Mo-*

Moguntinæ Archi-Episcopo & Principe Electore, Episcopo Herbipolensi & Wormatiensi & Franconiæ Duce, Domino meo quondam clementissimo, gloriosissimæ memoriæ, in numerum Archiatrorum clementissimè relatus sum, quâ Spartâ ab Eminentissimis DOMINIS *Successoribus, felicissimæ recordationis, confirmatus adhûc fungor, nunc per DEI gratiam annum agens octogesimum secundum, Doctorum & Professorum hujatis Electoralis Universitatis & Facultatis Medicæ, Thuringiæ & Misniæ Medicorum, Consulum Erffurtensium, ut & Imperialis Academiæ Naturæ Curiosorum Senior: in hoc illustre Collegium, quod clementissimô Eminentissimæ Celsitudinis Tuæ patrociniô gaudet, annô præteriti seculi M.DC.LXII. receptus altissimè memorato Principi Electori* JOHANNI PHILIPPO *primitias meas, videlicet Carduum benedictum à Superioribus*

mihi

mihi ad elaborandum commissum Anno 1669. *humilimè consecravi, quem serenissimâ fronte tum temporis fuisse susceptum postmodum multis cumulatus beneficiis abundè expertus sum: quapropter ingratitudinis maculâ meritò notandus essem, nisi publicè profiterer, me huic benignissimo Principi, ejusque Eminentissimo ex Fratre Nepoti, ut & Illustrissimæ Familiæ S. R. I. Comitum à Schönborn Buchaim, tot. tit. ex cujus speciosissimô fonte hactenus aliquot* PRINCIPES *cum immortali Illustrissimæ Familiæ gloriâ emanarunt, me totum, qualiscunque sum, imò omnia mea debere: quamvis non possim ire inficias, Eminentissimum Celsissimumque Principem ac Dominum Electorem*, DN. ANSELMUM FRANCISCUM, *gloriosissimæ memoriæ, meam tenuitatem pari clementiâ prosecutum esse: aliquoties ab hôc Principe Moguntiam clementissimè vocatus*

)( )(*ea*

ea peregi, quæ ad munus fidelis servi atque Archiatri pertinent: cum subditi homagium præstarent, per Ringaviam & universam ferè diœcesin Moguntinam hunc PRINCIPEM *comitatus sum: venationibus insuper, quas laudatissimus hic* PRINCEPS *interdum obibat, aliquoties interfui: præcipuè Anno* 1680. *die* 12. *Decembris Lichtenaviæ, ubi immanem aprum me irruentem in conspectu* PRINCIPIS *& Procerum Aulæ præsentium venabulò transfixi non sine spectatorum applausu, nec sine periculo: heic enim vincendum erat, aut succumbendum: ad Comitia annò M.DC.LXXXX. Augustæ Vindelicorum celebrata cum universâ Aulâ pergentem hunc Dominum meum clementissimum tanquam Corporis & Aulæ Medicus sequutus sum, ibidemque quinque menses, & quod excurrit, hôc officiô functus transegi: ubi etiam mihi non defuit occasio, Emi-*

nen-

nentissimæ Celsitudini Tuæ, quamvis tum temporis ad Electorale fastigium nondum evectæ, consiliis Medicis inserviendi. Inter hæc & alia in Universitate Hieranâ, Curiâ, & praxi clinica mihi commissa negotia tandem consenui, Archiatrus rarò exemplò sex S. R. I. Electorum, & quod præfiscinè dixero, Cultor Artis servandorum hominum, quæ nunquam satis discitur nec dicitur, quam per omnem ferè ætatem, DEO sit gloria, vel didici, vel docui & exercui, atque sic divina adjutus gratia, quantum quidem licuit, operam dedi, ne mihi fortè illud tritum aliquando objici posset: turpe est Medico, in juventute mori: siquidem nunc superatis, supremô Numine ita clementer largiente, tribus magnis annis climactericis atque emeritis ferè vitæ stipendiis ad extremum vitæ cardinem sensim appropinquans propemodum vasa colligo, ingravescente seniô,

 in

in DEO confisus, & ut spero, nunquam confusus. Ut autem ante meum ex hac vita discessum, & antequam mihi silentium imponat ferreus sopor, aliquod humilimæ devotionis argumentum & subjectissimæ gratitudinis mnemosynon extaret, (id quod sæpius hactenus in votis habui,) ausus sum, tractatum de Elephanto, cujus curiosa elaboratio suffragantibus Superioribus mihi obtigit, ad normam & formam Collegii Curiosorum adornatum ad pedes Eminentissimæ Celsitudinis Tuæ, ne prorsus ingratus moriar, humilimè deponere: exiguum, fateor, hoc est pro tot & tantis beneficiis munus literarium, non autem ex suo, quod vile est, pretio, sed submississimo offerentis animo æstimandum: molâ salsâ Diis litant, qui thura non habent. Vastum animal est Elephas aspectuque horridum, verum ob insignes stupendasque à Creatore ter Optimo maximo

in

in ipſum collatas dotes inter præcipuas creaturas jure meritoque referendum: admiramur in ipſo docilitatem, manſuetudinem, obedientiam, probitatem, æquitatem, ſagacitatem, verecundiam, fidelitatem erga Dominum, caſtitatem, temperantiam, ad varia exercitia habilitatem, ad bellicos œconomicosque uſus accommodatam indolem, eborisque, quod Medicis ſuppeditat, præſtantiam, aliaque multa notatu digniſſima ex probatis claſſicis Authoribus, Hiſtoricis, Phyſicis & Medicis curioſè collecta: quæ ſi dignabitur Eminentisſima Celſitudo Tua, quantum per concatenata Imperii negotia licebit, clementisſimo intuitu colluſtrare, nullus dubito, aliquid fortasſis inventum iri, quod ad fallendum tempus & animum gravioribus curis diſtrictum aliquantulum demulcendum inſervire posſit. Quod ſupereſt, ſupremum Numen ſupplex imploro, PRINCEPS

 ELE-

ELECTOR *clementissime, ut post superatos tandem tumultus bellicos pacemque Germaniæ restitutam Te* PATREM PATRIÆ, *pro communi subditorum gaudio, meâque maximâ consôlatione porro salvum, sanum & incolumem præstet diutissimè, felicissimè. Dabam Erfordiæ, Calendis Octobris, Anno Orbis redempti M. DCC. XIV.*

Eminentissimæ Celsitudinis
Tuæ

humilimus Servus

D. GEORG. CHRISTOPHORUS PETRI
ab Hartenfelß.


Acidem Danai demirabantur Achillem:
Nec, reor, immeritò: nam Terra Pelasga ruentem
Dardanidûm in turmas ſpectavit, Marte ferocem &
Mœnibus Iliacis infeſtum fortibus ar- (mis,
Unde ſibi peperit nunquam delebile nomen:
Quod parili noſter ſit laude vehendus Achilles,
Arbitror: Herculeos nunquam fugit ille labores
Sedulus & vigilans, ignava nec otia ducens:
Carduus id ſanctus clarè docet editus olim,
Atque Elephas Libycæ vaſtiſſima bellua Terræ
Nunc commiſſa typis: ſit porrò ſuperſtes Achilles,
Collegæ id mecum ſincerô ex corde precantur.

Annis, muneribus, meritisque Illuſtris, & nunquam otioſi Domini Collegæ, Amici ſui ſuaviſſimi maxima induſtria hiſce adplaudit Auguſtæ Vindelicorum d. 19. Aprilis Annô 1714.

LUCAS SCHROECKIUS, Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum PRÆSES.

In curioſum & eruditum de Elephanto Commentarium
CURIOSORUM ACHILLIS,
DN. D. GEORGII CHRISTOPHORI PETRI ab Hartenfelß
Viri quondam Nobiliſſimi, atque Experientiſſimi, piæ memoriæ,
DN. L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI, Curioſorum POLLUCIS ante beatum ipſius obitum ACHILLI transmiſſa
EPIGRAMMATA.
Ad imitat. Martial. l. d. Spectac. Epigr. 26.

I.

QVod pius & gratus PETRI Te Barrus honorat,
Bellua brutigenis tam metuenda feris:

Non

Non facit hoc frustra, nullôque docente Magistro:
Crede mihi, Solem (a) sentit adesse suum.

(a) Solem & Lunam adorare Elephantes creduntur multis, quos Raderus in h. l. Martialis p. 51. citavit.

II.


Ad imitat. Epigr. 18.

QVi modo ferventi stimulatur Zoilus irâ
Dente ferit raptos jam super astra Viros,
Occubuit tandem PETRINO ardore petitus,
Dum facilem tolli sic Elephanta putat.

III.

WAs nimmt mein PETRI nicht vor schöne Wercke für?
Vorwahr ein heilig Kraut die Probe seiner Siñen/
Durch dessen Forschung schwung' Er sich zum Sternen Zinnen/
Und sättigte damit Gelehrter Lust-Begier.
Nach diesem wag't Er sich an jenes giff't'ge Thier/
Das Thier und Menschen würg't/ das tausend dort von hinnen/
Und tausend hier fort reiß't: da must Er auch gewinnen:
Ein jeder meinete Alcides stritte hier.
Doch hat der heisse Fleiß sich noch nicht gnung geübet:
Diß Werck beweiset es/ daß Er uns jetzo giebet:
Mein PETRI ruhet nicht: sein Geist ist so entbrannt/
Daß Er sich auch gemacht an stärckstten Elephant.
Rümpff Momus Naß' und Maul: es zeugen doch die Wercke
Von seiner Sinnen-Krafft und seines Geistes Stärcke.

AD



AD LECTOREM.



Xhibeo tibi tandem, Lector benevole, Elephantum jamdudum elaborationi meæ demandatum, verum hactenus abſconditum ſuisque in latebris detentum, & quidem ob urgentes cauſas, inter quas hæc erat præcipua, quod animal hoc in Germania rariſſimum, plerisque incognitum, adeòque magnæ molis opus ſit, tam raram & paucis perſpectam materiam ſcrutinio mentis ſubjicere, præſertim cum unus tantum à me fuerit oculis uſurpatus: hinc meritò dubius hæſi ab initio, & valdè mihi operoſum fore judicavi, ſi aggrederer provinciam tam arduam & admodum difficilem, reique propemodum incognitæ exegeſin, imprimis cum ad exactam hujus bruti non bruti deſcriptionem requiratur illius partium accurata & ſufficiens

cognitio, quæ non aliunde, quam ex anatomiâ peti poteſt: at quis Germanorum unquam ſubjecit cultro anatomico hoc vaſtum & peregrinum animal? Romæ olim Galenus peregit ſectionem Elephanti, ſed imperfectam, & ſaltem in conſideratione nonnullarum ejus partium ſubſiſtentem: Verſaliis Annô 1681. ejusmodi anatomen fuiſſe celebratam, refert J. B. du Hamel *l. 2. Hiſtor. Soc. Reg. ſcientiar. ſ. 9. cap. 1.* cujus hiſtoriam autem hucusque mecum anxiè deſideravit Orbis literatus: ſolam mihi licuit videre A. Moulini Elephanti anatomen Doublini Annô 1681. adminiſtratam, Anglicâ linguâ deſcriptam & Londini typis vulgatam, ſatis verò mancam & mutilatam ob Elephantum in diverſorii incendiô improviſo ſubortô uſtulatum & ambuſtum: quâ de re modò dictus Author ipſe ſic ſcribit: mundus exſpectat curioſam exactamque à me narrationem, quæ ſuppeditare queat rationes, cur Elephas ſit capax ea faciendi, quæ ferè videntur à ratione dependere: proindè candidè fatetur, ſe hâc in parte Societati Regiæ ſatisfacere non poſſe ob graves cauſas, quas recenſet in epiſtola ad D. Wilhelmum Petti Regiæ Societatis Socium ſcripta: aliô in locô ipſemet fatetur, ſe circa teſtes Elephanti hallucinatum eſſe: præterea in aliis partibus deſcribendis valdè ambiguus eſt: plurima etiam prorſus omiſit: idem de hôc meô opuſculô

ob

ob defectum autopsiæ anatomicæ cum timeam, imò ipsemet lubenter feram judicium, non patiar tamen absterreri ab opere semel susceptô, præsertim cum urserint hactenus editionem Amici non pauci, jamque collegerim ex plurimis Authoribus tàm antiquis, quam recentioribus satis multa analecta, quæ ut blattarum jentacula fierent, atque in suis cavernis perirent, committere non potui: in his autem invenies, Lector benevole, notabilem styli diversitatem, quam mihi non imputatum iri confido: etenim retinere volui allegatorum Authorum verba: mei verò styli humilitatem facilè ab alio discreveris: fortassis etiam deprehendes in hôc tractatu hyperbolica nonnulla ex Historicis passim excerpta, quæ partim fidem superare atque à veritate aberrare videntur: sed noris, illa non esse mea, sed aliorum, qui suam vindicare fidem tenentur: litavi veritati, quantum potui: hanc si cum aliis non semper assecutus sum, humani aliquid tuâ & communi hominum, forte me passum scias: si etiam irrepserint quædam Authorum mendaciola, fortè risu nata, ut loquitur J. Lipsius in epistol., ea nemini fore noxia, existimo: Authoribus scribere, cuilibet fidem, si lubet, adhibere liberum est: mihi integrum fuit, imò incubuit, hunc de Elephanto Tractatum ad normam & formam Academiæ S. R. I. Naturæ Curiosorum conscriptum

literatis communicare: qui si serenâ fronte accipietur, gratulabor mihi: sin minus, & si fortè nonnulla displicebunt, non irascar: nec enim mihi ipsi arrident omnia: stat in arbitrio Lectoris, aliorum Authorum lectione occupari: dente Theoninô si quis animô præsumserit rodere Elephantum, sciat, illum bellatorem, nec minus probè dentatum, imò verius cornibus armatum esse, hisque suis armis vim vi repellere, átque sic etiam virgulam censoriam declinare posse: interim fruere mecum, Lector benevole, qualicunque hôc meô labore, & si meliora noveris, mihi communica: alterum pedem in cymba Charontis habens adhûc discam: siquidem ἀεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος. Vale & rem tuam benè gere!



IN-



INDEX GENERALIS HUJUS TRACTATUS.

Procemium.

PARTIS PRIMÆ

PARTIS SECUNDÆ

Caput

Caput



PRO-

I. N. J.

PROOEMIUM.



Rodit in Scenam Elephas, inter quadrupedes maximus, Aſiæ atque Africæ inquilinus, Europæis atque Americanis peregrinus, brutum non brutum, & admirandum animal, ſi ingentem corporis molem, ſtupendam indolem, eximiam ſagacitatem, docilitatem, incredibile robur, uſumque varium ſpectes: digniſſimum ſanè, quod curioſâ mentis indagine luſtretur, cum nihil ferè præter valdè notabilia ſuggerat.

Quemadmodum ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἔνεστι τι θαυμαστόν, ut ſcribit Ariſtoteles lib. 1. de part. an. c. 5. ita raræ atque ſtupendæ proprietates in Elephanto quam maximè ſunt conſpicuæ: ſiquidem elucefcit in hoc immenſa Creatoris in æternum benedicti ſapientia, inter tam diverſas animantium ſpecies etiam Elephantum ad hujus univerſi complementum producentis, ut inde major divini Nominis exſurgat gloria, mortalesque exemplum capiant, ut quemadmodum immanis hæc fera, quam Baſilius Hom. 9. Hexaem. μέγα τὸ ζῶον, καὶ τῶν χερσαίων τὸ μέγιστον vocat, manſuefacta ad nutum domantis Domini ſe accommodat, eique per omnia morem gerit, ita pari ratione & multo magis homo Creatori ſuo debitô obſequiô aſſurgat, ejusque mandatis obtemperet: licet enim metum atque terrorem Elephas vaſtitate & mole corporis cuilibet incutere poſſit, eo ſcilicet virium robore pollens, ut arbores proboſcide ſuâ radicitus evellat: jugo tamen collum ſubmittit, Magiſtroque ſuo in omnibus obſequitur, magnô præſtantiæ & dignitatis humanæ argumentô, ſiquidem Homo in omnia animalia dominatum ac Imperium obtinet, quamvis robuſtiſſima ſint & fortiſſima, quale eſt Elephantus.

Hoc animal dum in limine hujus tractatûs contemplationi ſubjicio, menti obverſatur, quod Hiobi c. 40. v. 10. non dubitet Omnipotens DEUS cum Hiobo ex turbine ſeu nube diſſerens Elephantum ſub nomine Behemoth tanquam paradigma illi proponere, dum infinitam ſuam potentiam declaraturus ita loquitur: Ecce Elephantem, quem feci tecum: id eſt, ut tecum in eâdem terrâ degat, tibique ſerviat, ſecundum D. Pauli Toſſani Bibl. qui fœnum ut bos comedit: quod ita explicant Biblia Erneſtina: quamvis Elephas vaſtô polleat robore, non tamen ut Leo vel Aquila ex diſcerptorum animalium minorum prædis, ſed vili gramine more boum contentus vivit, quod proboſcide evulſum ori ingerit, & dentibus comminuit.

Cur in plurali dicatur בְּהֵמוֹת, (Græci habent θηρία) & non בְּהֵמָה variæ ab Authoribus afferuntur rationes: Piscator in Scholiis dicit, quod Elephas ita vocetur ob vastitatem corporis, quod quasi ex multis jumentis compositus videatur: alii dicunt, quod Elephas tanquam ingens bellua sit instar multarum bestiarum: similem enim loquendi rationem haberi Psalm. 73. v. 22. ubi David dicit, se fuisse apud DEUM בְּהֵמוֹת, non bestiam tantum, sed instar plurium bestiarum vel ingentem bestiam: confer Glassium in Philologia sacra l. 3. tr. 1. pag. 88. LXX. Interpretes & Chaldæus per בְּהֵמוֹת intelligunt omnem bestiam terrestrem vastæ magnitudinis: Hebræi autem signari arbitrantur solum Elephantum, quos sequitur Lyra, Thomas & alii: καθ' ἐξοχὴν & ὀνομαστικῶς Behemoth nihil aliud notare potest, quam Elephantum, siquidem magnitudine anteit singulas bestias quadrupedes, eôque collimat Jobus, quando in plurali eum vocat behemoth, quod sit quasi instar multarum bestiarum.

Ecce! pergit Hiob locô citato: vis ejus in lumbis ipsius: id est idoneum est hoc animal & par maximis oneribus gestandis, adeò ut lignea quoque turris armatis repleta Viris imponi tergo queat: quibus verbis innuit Jobus, etiam eas partes, quæ in reliquis animantibus molles sunt, in Elephanto esse durissimas & fortissimas: adeò ut sicut mole, ita & lumborum robore reliqua superet: robur ejus est in umbilico ventris ejus, cui videlicet circumdantur cingula, quibus arctissimè firmissimèque alligatur turris, ne fortè vacillans decidat. Arrigit caudam similem Cedro, id est, inflexibilem (Biblia Basileensia Græco-Latina habent ita: statuit caudam ut Cupressum:) Ossa ejus viribus chalybeis, artus ejus vecti ferreo similes: modò allegata Biblia Basileensia ita reddunt: Latera ejus, latera ænea, ac tergum ejus ferrum fusum.

Eleganti porrò encomiô ibidem Elephantum prosequitur Creator ter Opt. Maximus, dum ipsum vocat ἀρχὴν πλάσματος κυρίου, i. e. principium fictionis Domini, hoc est, principale seu primarium quoddam opus DEI, vel primarium opus viarum DEI, secundum Gregor. Franc. Lex 5. p. 174. n. 139. vel ut alii ponunt: qui inter animalia terrestria omnium primò creavit illum: vel qui ceu unam ex primariis præcipuisque creaturis fecit illum: & applicavit illi gladium suum, i. e. Solus DEUS hunc vi coërcet & compescit, quem homines plurimi vix & astu tantum mansuefaciunt: alii per gladium intelligunt proboscidem, quam DEUS accinxerit Elephanto, velut ensem, quô se defendere, roburque suum exserere posset. V. D. P. Tossan. Commentar. Bibl. locô citatô.

Huic

Huic montes herbas ferunt: omnes beſtiæ agri ab illô illæſæ ludent ibi: ſub umbroſis cubat in occulto arundinum & cœni: tegunt eum arbores, ut ſint umbra ejus: circumdant eum ſalices torrentis: ecce! abſorbebit fluvium, & non mirabibitur, quâ hyperbolicâ loquendi formulâ innuitur, Elephantum unô hauſtu magnam aquæ vim condere in viſceribus, quaſi integra exhauſturum flumina, vel ſi fortè ad lavandum vel bibendum ſe demiſerit in fluentum, tunc ingenti ſuô corpore curſum aquæ quaſi retardare.

Nonnnulli per בְּהֵמוֹת Hippopotamum intelligi putant, animal duplô majus bove. Vid. Bochartum in hierozoicò; nec deſunt Eccleſiæ Doctores, qui dubitant, quod allegatô in textu Elephantum ſacra deſignent oracula: inter quos Gregorius Magnus Anti-Chriſtum heîc denotari arbitratur expoſ. moral. in in lib. Job. l. 32. cap. 12. & ſeqq. qui in fine mundi ſe dilataturus ſit inſtar Cedri, & horrendum in modum graſſaturus, & futurus ſit altus veneratione prodigii, & durus crudelitate tormenti, inſidians & blandiens per miraculorum ſpeciem, ſæviens per fortitudinem & potentiam ſecularem.

Quidam hujus Mundi Principem eique addictam impiorum turbam per behemoth impropriè & allegoricè denotari putant: quibus ſubſcribit Johannes Buſtamantinus lib. 4. cap. 12. 13. & ſeqq. de animantibus Scripturæ: is enim non animal illud vaſtum, quod Elephantem vocamus, deſignari putat, ſed ipſum Diabolum monſtroſum illum ſerpentem indigitari contendit: demonſtrare ſimul annititur, prædicata illa, quæ apud Jobum extant, non quadrare Elephanto, ſed potius monſtroſisſimo Serpenti, qui Diabolum figuret.

Communis tamen & paſſim apud eruditos recepta ſententia eſt, intelligi heîc Elephantum: in ſenſu verò accommodato ad Diabolum applicari poſſe concedunt Frantz. Diſp. 7. in Conf. Aug. & in Hiſtor. an. p. 32. Coccejus in h. l. Rineda, Piſcator & Sixtinus Amama in antibarb. Bibl. p. 684. & ſeqq. qui hæc omnia fuſè & eruditè perſequuntur: Secundum nugas Talmuthicas Behemoth ſimiliter eſt animal omnium maximum: de quo fabulantur Judæi, quod DEUS id creaverit ab initio, & quidem marem & fœminam: cum autem prævidiſſet DEUS, ex multiplicatione horum vaſtorum animalium totum mundum in pejus ruiturum, idcirco marem à DEO caſtratum, fœminam verò refrigetam eſſe nugantur: utrumque tamen credunt usque ad tempus adventantis Meſſiæ aſſervari, cum aliis epulis atque cupediis tunc immolandum atque conſumendum. Nicolaus Lyra & Buxtorffius in Schol. Judaicâ ſcribunt, Judæos in ſuo Talmuth ſomniare, fabuloſa hæc animalia tam magna & voracia eſſe, ut quotidie mille montium deton-

 deant

deant gramina quâvis nocte renascentia, quæ putatitius illorum Messias post adventum suum cum ingenti illa balænâ, quæ in sacro Codice Leviathan appellatur, & magnâ illâ ave Barluchne dictâ, generosissimôque vinô hactenus in Adami cellâ asservatô à Judæis consumenda destinaverit.

Plurimi genuinum Sacræ Scripturæ sensum assequentes in eâ sunt opinione, DEUM indefinitè loqui &per בְּהֵמוֹת Elephantem innuere, in quem videlicet omnia hactenus dicta ex asse quadrare videntur: est enim Elephas maximum in quadrupedibus, sicut Struthio in volucribus. in aquatilibus Crocodilus, in marinis balæna: cum itaque DEI propositum sit, eôdem in locô duobus clarissimis & incomparabilibus exemplis immensam suam potentiam palam asserere, delecta sunt ad hanc rem animalia longè maxima, quæ globus hic infimus, quem incolimus, circumfluo mari præcinctus suppeditare posset: atqui convenit, terrestrium quidem Elephantum, marinorum verò balænam, vastissimæ citra omnem controversiam molis esse: quare ut Leviathanis nomine indicatur hæc, ita Behemoth appellatione illum pariter significari, consentaneum est. Vide Fuller. lib. 4. Miscellaneor. sacror. cap. 10. item de hâc materiâ eruditè differentem Amama lib. 3. antibarb. Bibl. p. 684. Accedit, quod allegata verba, utut nonnihil obscura, ad Elephanti naturam & proprietates ad amussim quadrent.

Tanti cum faciat Elephantum Majestas divina, ut non dedignetur, tam graphicô & pòlitô stylô per eundem infinitam suam potentiam, justitiam & sapientiam Hiobo non minus afflicto, quam impatienti ob oculos ponere: operæ pretium & me indignum divinorum operum admiratorem facturum existimo, si fusius ex mente Academiæ Leopoldinæ S. R. I. Naturæ Curiosorum in subsequentibus pagellis Elephantum κατ' ἄνδρα καὶ δύναμιν vivis coloribus depinxero, & quod passim docet rerum Magistra experientia, & in lectione Authorum occurrit, benevolo Lectori communicavero, qui mecum procul dubio non solum in admirationem rapietur, verum etiam ad divinas laudes instigabitur, dum accuratius perpenderit spectabilem corporis Elephantini formam, decentem partium structuram, celsasque in eum à Creatore collatas dotes.

Quis enim non miretur cum Plinio turrigeros Elephanti humeros? quis non stupeat animal brutum quadrupedes omnes magnitudine superans, reliquis tamen expeditius cicurari, & multa supra communem brutorum Naturam munia obire? siquidem est disciplinæ supra modum capax, gloriæ & vindictæ cupidum, humani sermonis gnarum, beneficiorum memor, æquitate, justitiâ & gratitudine conspicuum, Domino suo fidelissimum,

Ma-

Magistrum suum seu ἐλεφαντιστὴν impensè amans, sobolem suam tenerrimè diligens, in laboribus industrium, non solum ad expeditiones bellicas, sed & varios Oeconomicos Medicosque usus quam maximè idoneum, ut verè dixerit H. Cardanus de subtil. l. 10. p. 560. quod Natura ultimam perfectionem, quæ ex mortali materiâ confici poterat, Elephanto largita sit.

Aristoteles lib. 10. Histor. an. cap. 46. inter alia de Elephanto ita scribit: ἔστι δὲ καὶ εὐαίσθητον καὶ τῇ συνέσει τῇ ἄλλῃ ὑπερβάλλον, i. e. est autem apprimè bonis acutisque sensibus & quoad cætera intellectu excellens. Cicero de nat. Deorum lib. 3. inquit: Elephanto belluarum nulla prudentior: item Elephanti pollent acutissimis sensibus: & alibi dicit: esse isti belluæ quandam cum genere humanô societatem. Strabo de illo asserit, quod sit ἐγγὺς λογικῷ ζώῳ: sit proximus animali ratione prædito: & Philostratus: τοῦτο γὰρ ζῶον δεύτερον ἀνθρώπου τάττω κατὰ ξύνεσίν τε καὶ βουλάς; id est: hoc animal proximum ab homine colloco, prudentiâ & consiliô. Plinius lib. 1. de vitâ Apoll. hæc habet: Animalium maximum Elephas, proximumque humanis sensibus, quippe intellectus illis sermonis patrii, & imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicêre, memoria, amoris & gloriæ voluptas, immò verò, quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas, religio quoque, siderum, solisque & lunæ veneratio: hinc lepidè Joh. Passeratius canit:

> Multa hêic invenies Naturæ arcana sagacis,
> Forsan & humanos Elephantum in corpore sensus.
> Imbutos pietate animos cultuque Deorum.

Solum hoc animal laude accenditur, & contumeliâ angitur, de quibus fusius infra.

Hæc cum ita se habeant, mereri judico hoc animal, ut accuratiori scrutinio subjiciatur, magnique æstimetur: Si equo suo Cajus Caligula Cæsar præter cætera insani amoris argumenta & destinatum Romæ Consulatum, familiam illustrem ac splendidam assignavit, ut Suetonius cap. 55. memorat. multò magis æquum fore arbitror, longè præstantius animal eô, quô decet, affectu prosequi, dotesque à DEO in id collatas suspicere & in pretio habere.

De cætero cordatum Lectorem in hujus Tractatûs frontispicio statim monendum duxi, non omnia, quæ ex Historiographis & aliis Scriptoribus de hoc argumento citari possunt, Evangelicam semper authoritatem obtinere & infallibiliter vera esse: irrepunt quandoque hyperbolica nonnulla & innoxia mendaciola risu nata, ut Justus Lipsius epist. 50. Cent. 1. loqui amat, quæ in medio relinquimus, nec omnino nostra facimus, & Lector mecum æqui bonique consulet: fateri cogimur cum Æliano l. 6. c. 61. tam stupenda & propemodum verò majora passim referri de Elephanto, ut jure meritoque aliquis dubitare possit, an Authores semper veritati litent: credimus autem cum Solino in

procem polyh. constantiam veritatis esse penes illos, quos secuti sumus.

Ex pluribus hujus commatis assertis exempli loco sit, quod nonnulli Elephanto exactam prudentiam attribuant, sublimium rerum cognitionem & rationis usum assignent, quæ solius Hominis indelebilis character & proprium signaculum est: nam quicquid unquam consideratione dignum à brutis præstari potest, illud equidem non à ratione, quâ destituta sunt, sed à solo Naturæ instinctu, assiduô exercitio & quotidianâ assuefactione proficiscitur, sine quibus si foret, libentius illa genio suo indulgerent, & feritati suæ bestiali convenienter viverent: non enim bestiæ ut intelligentes phantasmata speculantur nec contemplantur, aut judiciô & memoriâ pollent, sed ut ἄλογα ζῶα naturæ suæ ductum sequuntur: licet enim Elephanti, simiæ, canes ad prudentiam & disciplinam aliquo modo accedant, tamen illis omnibus rerum insensibilium atque etiam notitia reflexa est denegata, ut eruditè disserit Philosophus hujus seculi acutissimus Marcus Marci à Kronland Philosoph. vet. restit. part. 1. s. 8. p. 61. Quod si singularia quædam in quibusdam animantibus deprehendimus, quæ rationem quadantenus imitantur, nobilis phantasiæ potius, quam intellectûs operâ ea perfici putamus: Simulacra quædam sunt & schemata rationis, & sua quoque bestiis est prudentia juxta effatum Aristotelis 1. Met. 1. non tamen ratio: quod enim aranea texat, formica micas colligat, apes mellificent, aves nidificent, ad id solô Naturæ instinctu feruntur, qui secundum Conimbricenses 2. Phys. 9. 24. nihil aliud est, quam operatio Phantasiæ determinatæ ad judicium convenientis aut incommodi, determinansque Naturam ad fugam vel persecutionem: vid. Joh. C. Dieterici antiquitat. Bibl. p 64. Frantzii histor. an. sacr. p. m. 24. Lœl. Bisciolan. t. 2. hor. subcis. l. 15. c. 2.

Utique non desunt magni Viri, qui belluis aliquam rationem concedunt, tam antiqui, quam recentiores: id quod Theologi Parisienses ad Cartesium scribunt, Meditation. de prima Philosophia obj. 6. p m. 150. Cum si ratio mediocris belluarum differat à ratione hominis, secundum plus & minus solummodo differet, quæ non mutant essentiam. Hinc rectè colligit Simon Majolus dier. Canicular. colloq 7. cum Cicerone, quod nullum animantium propius Elephantô accedat ad humanorum sensuum vires: huic enim sunt acutissimi sensus, ut loquitur Cicero l. 2. de N D. Omnium quadrupedum subtilitas animi præcipua illi conceditur à Plinio, ita ut â nullô aliô brutô hâc in parte superetur: pollet enim hoc animal præ aliis spirituum copiâ & subtilitate, fibrarumque flexilitate ex quibus facile colligere licet, illud, quamvis carere videatur ratione, ad illam tamen quam proxime accedere: siquidem non

solum

ſolum corporis magnitudine, ſed & ſolertiâ, induſtriâ atque calliditate reliqua omnia animalia longô poſt ſe intervallô relinquit, multa addiſcit, geſtus motusque hominum varios imitatur & exprimit.

Hinc egregiè Guil. Salluſtius Hebdomad. l. 6. in encomio Elephanti canit:

Innumeros inter populos & ſecla animantum.
Quas hodie, Sator alme, creas, queîs horrida tesqua,
Queîs valles habitare cavas atque antra dediſti:
Ecce! acies Elephas Dux alter in agmine primas
Anteit egregiè compos virtutis & Artis:
Seu ſpectare libet nutantem milite turrim,
Seu libet ingeniis mortalibus æmula cœpta:
Diſcere amat, ſecumque memor dictata revolvit:
Obſequitur juſſis, Regemque ſalutat & orbem
Luna, tuum, & dulces nutrit ſub pectore flammas.

Ἐναίσθητον eſſe hoc animal, non autem ratione præditum ſcribit Alſtedius Encyclop. L. 7. Phyſ. p. 6. c. 5. Verum enimvero niſi bruta aliquâ ratione gauderent, fruſtra â Prophetâ Jeſaiâ cap 1. dictum eſſet: cognovit bos Poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; etiam ciconia cognovit tempus ſuum, turturque grus & hirundo obſervant tempus ſuum: ex quibus Prophetæ teſtimoniis elucescit, illum reſpicere ad aliqualem in his brutis rationem: Cognitio enim Poſſeſſoris ſui & præſepis Domini ſui probat, quod in eorum phantaſiâ & memoriâ aliqua idea imprimatur: Phantaſia enim tàm in homine, quam in brutis nunquam otioſa eſt, nec in ſimplici reminiſcentiâ acquieſcit, ſed ſuas vires exſerit, dum blanditiis & geſtibus de præſentia Domini ſui gaudent.

Nullum itaque dubium eſt, rationem aliquam vel aliquid rationi analogum â ſummo Creatore brutis eſſe conceſſum, licet non in eô perfectionis gradu, ut homini: Vide de hiſce plura erudite commentantem Illuſtrem noſtrnm Præſidem Celſum Ephem. Cur. Dec. II. Anni VIII. Obſ. 161. in Schol. Eſtote prudentes, tanqam ſerpentes, jubet Salvator Matth. 10. Quomodo autem ſerpentibus potuiſſet tribuere prudentiam, niſi ratione aliqua gauderent, ſiquidem prudentia eſt effectus rationis, unde etiam animæ paſſiones proficiſcuntur in brutis, quoniam læſa iraſcuntur, bene tractata blandiuntur, odiô & invidiâ laborant, amore erga ſuos benefactores flagrant & gratitudinem exercent: Præterea bruta diſciplinæ ſunt capacia, quod teſtatur experientia rerum Magiſtra. Sic Hanno Pœnus ſecum in expeditionibus bellicis Leonem σκευοφόρον duxit, Pythagoras urſam ſibi familiarem, cæteris formidoloſam aluit, ut narrat Melchior Junius Orat. tom. 1. p. m. 647.

Annitar in hoc Tractatu, quantum in me, ne authoritati veterum, qui ſuam fidem ipſi vindicent, nimium tribuam, non autem omnem prorſus fidem illis derogem: quâ mediâ viâ ſi inceſſero, confido, me à ja-

à januâ haut aberraturum, nec ullum benevolo Lectori fastidium creaturum: quatenus autem authores αὐτόπται, Asiæ & Africæ inquilini, aut illa climata, ubi Elephanti degunt, perlustrantes loqvuntur, nemo vertet vitio mihi, cui raro hanc adire Corinthum aut Elephantum oculis usurpare contingit, si in talibus, quæ cum veritate aut plurimorum testimonio congruunt, illis fidem adhibeam.

Quibus hæc res est notior? quærit Justus Lipsius Epist. 50. Centur. 1. Nobisne? qui omni hôc nostrô ævô vix unum, (illum scilicet, qui Anno LXII. Cæsari ab Hispaniarum Rege dono missus fuit,) vidimus, eumque pusillum, juvenem, bonarum artium rudem: An illis, (Veteres indigitat,) quibus quotidie bellua in ore, in oculis? quibus tam crebra de ingenio & moribus Elephanti pericula facta, in bellis, in ludis? Habebant enim Elephantos & docebant magnâ curâ Afri, Asiani, Græci ad prælia: Romani magis ad spectacula & venationes: de fide igitur Veterum cur ambigimus? Nonne noverunt hoc animal? intimè atque optimè: an fallere nos voluerunt de compacto? nec potuerunt quidem in re quotidie omnium oculis sensibusque expositâ, & in quâ miracula milleni aliquot homines simul viderunt, id est, Theatra tota: ista ipsa ætas fidem fidei illorum struit, etsi in alio illô orbe: tandem in calce Epistolæ dicit citatus Author: non usque quaque in his talibus Veteres illos fidei litasse, facile credam: quis enim tam magni oneris sit, ut quicquid illi imponunt, vehat? nec tamen mali quidpiam in istis, etiam falsis, vel potius verò majoribus.

Enropæis satis tarde innotuit Elephas: & ut vult Pausanias: Ἐλέφαντας πρῶτος τῶν ἐκ τῆς Εὐρώπης Ἀλέξανδρος ἐκτήσατο: i. e. Elephantos primus inter Europæos Alexander habuit, qui victâ Indiâ illos intulit & immisit: sed ab ejus tamen morte statim crebri: atque hos transportavit in Italiam ipsam Pyrrhus in bello cum Romanis: hinc quoque jam Romæ celebres, & magis per Punica bella: quibus tanta copia, ut unô tempore CXLII. ceperit, & in urbem miserit L. Metellus: nam Critolaus apud Plutarchum apertè mendax, qui â Paulo Æmilio bellô Pyrrhi CLX. Romam missos vult, & quidem turritos: at postea sanè Romæ semper fuere, sive capti, sive magis pretiô parati ad populi voluptates: hinc videmus initia, videmus frequentiam, quæ magis expressa apud Plinium, qui videatur.

Ne autem in incepto nostro progrediamur sine ordine, quippe quô nihil vel in animo vel in opere sapientis est admirabilius, ut loquitur I. C. Scaliger. Exerc. 2. & 303. s. 9. lubet illa, quæ hinc inde dispersa apud Authores reperiuntur, certâ ac succinctâ complecti methodo, simplici stylô procedendo â subjecti essentiâ ad illius accidentia, qualitates, effecta & similia, de benevoli Lectoris æquissimô judiciô, præsertim in tam rara & intricatâ materia, circa quam versamur, nulli dubitantes: Alius aliò invenire potest plura: Nemo omnia: interim fortassis reperire licebit ἐν ὀλίγοις πολλά.



fol. 1.





Fol. 1. Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.



Partis I. Caput I.

Elephanti externam figuram & generaliorem conſiderationem exhibet.

DIverſimodè omninò res raræ fortè occurrentes ſolent conſiderari: vel enim ſaltem per tranſennam & perfunctoriè aſpiciuntur, præſertim à vulgo, neglectis interioribus: vel accuratiore contemplatione pervenitur ad intima rerum penetralia, in qua curioſus animus tandem acquieſcit. De inſigni Pictore Nicoſtratô refert Ælianus lib. 14. cap. 47. quod aliquando Helenæ imaginem ab ingenioſiſſimo Pictore Reaxe artificioſô efformatam penicillô attentioribus oculis uſurpans à quôdam fuerit interrogatus, cur tantoperè illam admiraretur? reſponderit: Non id me rogares, ſi meos oculos haberes: quô ipſo innuere voluit, magnum eſſe diſcrimen inter oculos artificis & vulgi: hoc enim exteriore tantum cortice contentum eſt: peritiores verò nuclei ſuavitate illecti, ut illô potiantur, nihil relinquunt intentatum: quorum veſtigiis in Elephanti perluſtratione inſiſtere operæ pretium erit.

Quô rarius autem & infrequentius in Europa eſt hoc animal, eô majorem apud Europæos meretur admirationem, exactioremque conſiderationem: ut propter parvitatem meritò admiramur minima animalcula, quorum exiguis corporibus Creator altiſſimus pleniſſimè diſtribuit adjumenta naturæ ſuæ congrua, adeò ut illis nihil videas deeſſe eorum omnium, quæ data ſunt magnis animalibus: ſic propter magnitudinem admiramur Gigantes inter homines, Cetum inter piſces, Struthiocamelum inter volucres, Draconem inter ſerpentes,

Elephantum inter quadrupedes: & ſanè cum nihil ferè præter miranda ſuggerat Elephas, longè digniſſimus eſt, qui curiosâ mentis indagine perluſtretur; & quidem tantô magis, quantô rarius eſt in noſtris præſertim oris hoc animal, ob grandem vaſtamque corporis ſtaturam inter quadrupedes omnium judiciô maximum.

Inter dona magnifica ex victoriis Indicis reportata Leoni X. P. M. à Luſitaniæ Rege Emanuele miſſa Paulus Jovius Hiſtoriar. lib. 12. refert fuiſſe etiam Elephantum à multis ſeculis Romæ non viſum: non minus hic apud nos & noſtrô tempore rarus, & propterea arduum valdè & difficile eſt, in hujus deſcriptione curioſo Lectori ex aſſe ſatisfacere: taceo, quod in Germania vix unquam Elephas fuerit cultro anatomico ſubjectus: & hæc cauſa eſt, cur Elephas noſter ex ſuis latebris tardius juſtô progrediatur: non enim nobis licuit, quod lubuit: nam præter imperfectam A. Moulini Collegii S. Trinit. Dublinenſis Medici ſectionem Elephanti cujusdam fortuitô incendiô exanimati Anglicè deſcriptam hactenus nullam aliam videre mihi fuit integrum: hinc optandum eſſet, ut accuratior Elephanti anatomia, quam Joh. Baptiſta du Hamel in Regiæ Scientiarum Academiæ Hiſtoriâ libr. 2. p 206. aliquando typis edendam Lectori promittit, lucem videat.

Omnes quadrupedes ſtaturæ proceritate ſuperare Elephantum in propatulo eſt: portentoſa ejus eſt celſitudo, horrida magnitudo, terribile corpus univerſum, & incredibile robur beſtiæ: diſcit ea, quæ interdum ægrè capiunt hominum nonnulli, & conformat corpus ad omnes ex arte motus & geſtus, de quibus infra pluribus dicetur. Elephas, ut ſcribit Aretæus, eſt fera longè ab aliis differens, ingens, craſſa, & celſitudo ejus tanta eſt, ut quaſi magnum animal ſuper aliud impoſitum videatur: craſſitudo ejus tanta, quantam plura craſſisſima animalia inter ſe conjuncta vix æquant: hinc admirans Cicero exclamat: At figura quæ vaſtior? & verè Oppianus:

Talem autem nullam & tantâ ſe mole moventem
Terra feram portat: - - - - -

Elephantum à ſe viſum deſcribit H. Cardanus lib. 10. de ſubtil. p. 549. Primum inquit, illius altitudo tanta erat, ut homo erectis manibus non attingeret dorſum: & erat juvenculus: craſſities duorum boum: ſed adultis & maximis, (nam & in his & equis aliisque animalibus non exiguum eſt diſcrimen ſecundum Regiones & Stirpes,) pro viginti quinque quandoque bobus corporis moles eſt: quod tamen per αὔξησιν à Cardano dici putat C. Schott. Phyſic. Curioſ. l. 8. c. 32. & quidem optimè: quanta enim hæc Elephanti moles foret? ſanè longe major illô pariter fabuloſô, cujus effigiem Polyphilus in ſuâ Hypnerotomachiâ deſcribit,

Alti-

Altitudinem in maximis usque ad decem cubitos se extendere refert idem Cardanus locô citatò, quod etiam vix verisimile videtur: in proceritate alii ad duodecimum, alii ad decimum tertium, alii ad decimum quintum dodrantem accedunt. v. Joh. Jonston. histor. nat. de quadruped. c. 5. p. 31. Notum est, inquit Scaliger exerc. 204. Indicos esse majores Afris: at iis, qui in Insulâ Maidegascar oriuntur, cedunt Indi. Magnitudo non est omnibus eadem, etiam adultis: Petrus Gillius, (qui interfuit etiam sectioni Elephanti in Syriâ, longô per Mediam, Mesopotamiam & Armeniam itinere confectô, Tigrique atque Euphrate trajectis exstincti,) mensus unum Constantinopoli invenit ab oculo usque ad extremum tergum pedes undecim, ab oculo usque ad extremam promuscidem octo. Al. Cadamustus vidit alium plus carnis habentem, quam quinque nostrates boves, penes quem Authorem sit fides.

Ælianus lib. 13. c. 8. scribit: Indicorum Elephantorum altitudinem esse cubitorum novem, latitudinem verò quinque: sed Solinus cap. 54. affirmat, Tabrobanam Insulam Indicam ferre multô majores Elephantos, quam ferat in continente India: plura de Elephantorum magnitudine dicentur infra capite de eorum differentiis.

Etsi verò tantæ molis animal sit Elephas, avem tamen dari multò majorem, quæ eum unguibus comprehensum in sublime rapiat, & Ruck vocetur in Insula Divi Laurentii sive Madagascar scribit Ulysses Aldrovandus lib. 1. de quadruped. cap. 9. p. 199. sit fides penes Authorem.

Tantæ magnitudinis animal tamen subditum nobis DEUS voluit, ut si doceatur, intelligat, si percutiatur, excipiat plagas & sustineat, evidenter nos docens, quod omnia subjecerit nobis, propterea quod ad imaginem Conditoris facti sumus, ut piè disserit S. Basilius hexem. Homil. 9. Ob egregias easque varias dotes, quas Elephas obtinet, castitatem scilicet, verecundiam, puritatem, animositatem & similes, non malè M. Joh. Seb. Mitternacht im geistlichen Thiergarten Sapientiæ symbolum vocat Elephantum, eumque cuilibet Christiano tanquam exemplum proponit p. 170.

Longitudo Elephanti minimè respondet altitudini: est enim secundum Cardanum locô citato multò altior, quam pro longitudinis ratione: ejus proceritas æstimatur 16. pedum: quapropter illis insidentes non secus fastidiô afficiuntur, quam illi, qui navigationi non assueti maria sulcant.

Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus protegunt umbræ vastum corpus ejus; circumdabunt eum salices torrentis, quibus verbis ejus magnitudinem exprimit Hiob. cap. 40. v. 16. quæ tanta est, ut vix à multis salicibus ejus corpus occultari & tegi possit.

Dorsô tam validô præditus est, ut non solum plures sessores, verum etiam ligneas turres armatis Viris repletas ferre possit: Imponitur illi machina duabus catenis inferius alligata, cui incumbit Turris ad minimum sex militibus repleta: collo vero insidet Rector bestiæ. Fidem ferè superat, & admiratione dignum est, quod libro 1. Maccabæor. c. 6. v. 37. de Antiochi Elephantis legitur: turres quoque ligneæ super eas, (scilicet bestias,) firmæ & obtegentes unamquamque bestiam erant accinctæ super eam machinis: & in unâquâque Viri triginta duo pugnantes cum Indo Magistro bestiæ: ita olim secundum Poëtam:

Turritos humeros Elephas bellator habebat:

Verum post inventionem pyrii pulveris desiit hæc speciosa bellandi ratio: nam ignis aspectu & bombardarum sonitu Elephanti terrentur & in fugam vertuntur.

Hier. Cardano de subtil. l. 10. videtur, hoc animal cum sue aliquid similitudinis habere temperamentô & moribus: irritatum enim efferum est, alias mite: gregatim etiam incedunt, loca palustria & cœnosa diligunt, oculos parvos habent ut sues Elephanti: Ast mirificè Cardanum pro more eapropter exagitat J.C.Scaliger exerc. 204. inquiens: Cum eos statueris dociles, saltatores, musicos, justos, pios, jurisjurandi militarisque etiam Sacramenti religiosos observatores ac vicissim exactores: ausus es cum suillâ eorum nationem pene unam facere: at forma non convenit, quia non conveniunt actiones: quæ hæc est membrorum animorumque suillorum condecentia, quæ cum bestiarum Heroe bellatore, eôdemque justo computari queat? Quin auditô stridore suis fugit Elephas: at sus audita voce suilla accurrit illico: tum barritus â grunnitu longè maximè diversus: & paulo post ait idem: sed recensenti patebit: nihil præter oculos, cujusmodi & equis multis & hominibus non paucis sunt: ac dentes, quales etiam habet Hippopotamus: tum limosa lustra, quæ etiam placent Bufalis: nihil, inquit, præter hæc esse, quæ cum aliis item communia, ad brutissimam bestiam referri possint: quanquam nos quoque suillo potius generi, quam culici similem esse dicamus.

Sed inconveniens foret secundum tritum adagium: Elephanto culicem conferre: aut ex muscâ Elephantum facere: id est, res exiguas verbis extollere atque amplificare: quod fecit Plutarchus multa de formicâ minimo animali magnificè locutus: Sic ex Causino Elephanti cum formicâ comparationem sistit Joh. Matthias Meyfartus in mellificio oratorio tom. 3. p. 264. Sic Lucianus inquit: Ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖς: ex minimâ re grande negotium facis. Quomodo Elephas ex pulice possit fieri, vide in Cartesii Dioptric. pag. 100. ἀδύνατον est, Elephantum sub alis celare, ut dicitur in proverbio: Elephantum citius sub alis celes: quô ipso stupenda

penda bestiæ magnitudo adumbratur.

Notum est illud πολυθρύλλητον: Musca contra Elephantum: Scarabæus adversus Aquilam: quod de dissimilibus bellatoribus dici consuevit: attamen culicem ad Elephantum æquiparat Cardanus exerc. 194. s. 6. scribens: dum culicem natura conderet, Elephantum meditatam fuisse: hoc est, ut jocatur Scaliger: Naturam cum Elephantum meditaretur, ejus formulam more Pictorum & Architectorum in culice proposuisse, quasi ichnographiam aut ectypum faceret. At Scaliger Cardanum salsè deridet, inquiens: neminem unquam tritum illud proverbium: Ex musca Elephantum facis, magis observasse, quam Cardanum: hinc exclamat: macte culex Cardanice, cujus idea Elephantus est, & addit: quid Elephanto cum bestiola senum crurum, quæ valga sunt, contrà quam Elephanto: & licet culices more Flephantorum sua obtineant rostella seu promuscides, à muscis ita fortè dictas: magnum tamen est discrimen inter promuscidem muscæ, quæ loco oris est, siquidem illâ sugit, & inter promuscidem Elephanti, quâ velut manu utitur: itaque rectè statuit, nullam prorsus hêic esse similitudinem inter culices ceu peccata Naturæ, & inter Elephantum, ceu animal longè perfectissimum: meritò itaque suggillatur à Scaligero κώνωψ' ἐλέφαντι παραβαλλόμενος, i. e. culex cum Elephanto à Cardano collatus.

Si cum alio quodam animali comparari deberet Elephas, commodius id fieret cum illo Indiæ Occidentalis animali, de quo Benzo Histor Nov. Orb. l. 2. c. 14. ita scribit: Apud Sucrenses Indos est animal, quod ab indigenis Cascuji dicitur, nigri porci specie, pilosum, durissimo corio, exiguis oculis, auribus patulis, ungulis fissis, brevi promuscide munitum, ut Elephas, barritu adeò terribili, ut homines obsurdescere faciat, cæterum carne ad edendum suavi.

Petrus Gassendus in vitâ Peireskii lib. 4. p. m. 156. refert, Peireskium non modò omnium Elephanti partium dimensiones excipi jussisse, sed etiam cum animal foret postea deducendum Aquas Sextias, demandasse fratri, itemque Viris industriis Johanni Lombardo & Josepho Sucheto, ut explorarent ipsius pondus: itaque ipsi rem peregerunt confectâ bilance ex trabe debitè suffultâ, idoneisque funibus illigatis & machinæ ligneæ, qua animal sustentabatur, & ligneæ cupæ, quæ pondera, (tormentarios nempè globos,) continebat: hoc modo exploratum est comprobatumque, Elephantem pendere libras provinciales quater mille & quingentas, hoc est, Parisienses proximè ter mille quingentas, & Romanas duodecim unciarum quinquies mille proximè.

Eleganter atque accuratè secundum omnes dimensiones Elephantum Constantinopoli à se visum de-

ſcribit Petrus Gillius Albienſis, cujus verba heîc inſerere operæ pretium duxi: duo, inquit, Elephanti hodie viſuntur Conſtantinopoli, quorum majorem ita menſus ſum: ejus perimeter tranſiens per mediũ ventrem & dorſum, eſt 15. pedum & ſemipedis: ejus altitudo eſt decem pedum & dodrantis: longitudo ab oculo ad extremum tergum undecim pedum & dodrantis unius: ab oculo usque ad extremam promuſcidem octo pedes, ab oculo ad ſummam frontem duo pedes & ſemipes: frons lata tres pedes: proboſcis ab ore ad extremum longa ſex pedes, & tres digitos: ſumma promuſcis habet perimetrum, quatuor pedum & ſemipedis: auris longa duos pedes & ſemipedem: tantundem lata eſt: Crus procerum quinque pedes & duos digitos: cruris ſummi perimeter eſt quinque pedum & ſemipedis: medii cruris ambitus trium pedum & decem digitorum: imi cruris ſupra pedem perimeter trium pedum & trium digitorum.

Pes eſt rotundus, cujus perimeter eſt aliquot pedum; pes habet quinque ungues leviter diſcretos, quorum quatuor ampli, ſinguli decem digitos, alti ſeptem digitos; cruris poſterioris ſummi perimeter quinque pedum, ſeptem digitorum; imi trium pedum & ſemipedis; cauda alta aliquot pedes, cujus ſummæ perimeter cubitalis; mediæ pedalis; imæ caudæ ambitus ferè ſemipedalis; Colli perimeter undecim pedum, quatuor digitorum eſt; ipſum collum longum duos pedes & dodrantem; tibiæ interiores diſtant â poſterioribus quatuor pedes; dentis (potius cornu) perimeter unius pedis & quinque digitorum.

Elephantus glaber eſt: excipio caudam extremam, ubi pauci pili, & mentum, ubi rari pili; cute eſt durâ & rugosâ, diſcurſus rugarum eſt cancellatus, & velut reticulatus; altior eſt non modò cruribus anterioribus, ſed parte dorſi anteriori, quam poſteriori. Tibias habet teretes, ſed anteriores teretiores & rotundiores, & ferè æquali craſſitudine; pedes rotundi ſunt, & planta pedis plana. Promuſcidem ſurſum, deorſum, ante, poſt, obliquè flectit & porrigit, incurvat, contrahit; modò implicat in cornua & intorquet variis ſpiris; nunc eam porrigit rectam, nunc obliquam retorquet, modo infra alvum inter tibias jaculatur tenentem herbarum manipulum ad abigendas muſcas, modò ſabulum & pulverem colligit, deinde promuſcide erecta ſpargit ſupra dorſum ad muſcas depellendas; depaſcitur herbas, promuſcide curvata eas decerpens: (ſic enim promuſcidem extendit & contrahit, ut homo manum) neque ſolum decerpit herbas, ſed decerptas in manipulum contrahit, ut eas facilius in os injicere poſſit: poſtquam enim herbas collegit, promuſcide eas hûc illûc verſat, quoad herbas longas contraxit in manipulum, has poſtmodum ori beneficio promuſcidis inge-

ingerit, deinde os movet, ut dentibus interioribus mandat.

Collum non incurvat ad pascendum, sed extento collo & tam eminenti, quam dorsum eminet: pastum capit promuscide, qua etiam bibit, ita ut intra nares aquam sugendo attrahat: deinde intra os abdit promuscidis plenæ partem longiorem duobus pedibus, quo minus aquæ decidat. Pastor Elephantorum sive fœnum sive frumentum det, utrumque contrahit in manipulos rotundos: frumentum quidem involvit in manipulum fæni rotundum, longum circiter dodrantem, latum ferè tantundem: eos sive manipulos, sive potius globos frumenti circumplicatos fæno projicit Pastor in terram ante Elephantum, quos hic comprehendens ori indit.

Adverti id, quod Aristoteles ante me (pergit Gillius) adverterat, crura posteriora flectere more hominis in anteriorem partem, contra quam equus & bos, qui flectunt in posteriorem. Hactenus P. Gillius.

Communiter altitudo Elephanti ad decem & ultra; latitudo ad quinque pedes se extendit: Elephas decennis Anno 1629. Noribergæ & Francofurti visus decem pedes altus fuit: Elephanti à Clarissimo Sturmio Noribergæ visi altitudo fuit medii dorsi supra terræ planitiem novem pedum, ut à justæ staturæ homine exerto brachio summitas attingi haut posset: longitudo à pectore ad caudæ radicem undecim ferme pedum, ambitus totius corporis tredecim pedum fuit.

Goropius Becanus apud Aldrovandum accuratè dimensus est Elephantum 8. annorum Antwerpiæ à se visum, cujus altitudinem octo pedum reperit. In sceleto Hybernico A. Moulini longitudo ossis innominati est 25. femoris 28. & tibiæ 19. digitorum, qui simul efficiunt 72. digitos sive 6. pedes: his si addantur 2. pedes pro explendo spatio, quod plantæ pedum, curvatura dorsi, cartilagines, caro denique & cutis requirunt, colligi inde potest istius Elephanti octopedalis altitudo. Julius Cæsar Scaliger exerc. 204. duplo majorem in medium affert Elephanti altitudinem, ex Indicarum navigationum Scriptoribus referens, Elephantos dari, qui sedecim pedum excedunt proceritatem, cujus rei fides sit apud Authorem. Adhuc majorem in Scenam producit Jacobus Saar in itinerario suo scribens, in Insula Ceylon se vidisse Elephantum plus quam 19. pedum altitudine conspicuum, quod tamen omnem ferè fidem superare videtur.

Elephas Anno 1668. à Rege Lusitaniæ ad Regem Christianissimum missus tum erat quadrimus: intra 13. annorum spatium uno duntaxat pede excrevit: altus fuit 7. pedes cum semisse, ejusdemque longitudinis. Vid J. B. du Hamel hist. Soc. Reg. scient. l. 2. sect. 9. cap. 1.

Temperamentum Elephanto contigit optimum; siquidem secundum

dum Avicennam DEUS cuique animali conceſſit ex complexione, quod meretur, quodque ejus actionibus & diſpoſitionibus melius convenit. Nonnulli, inter quos Garcias, melancholicum illi aſſignant temperamentum: nam noctu inter dormiendum ob horribilia inſomnia valdè terretur, adeò ut illius Rector illi propterea inſidere, eumque cum minis à ſomno arcere cogatur. Verumenimverò tam nobiles actiones, quas hoc animal edit, à ſanguine melancholico, craſſo, impuro ac frigido, qui animum obfuſcat, non dependere, ſed nobiliorem craſin arguere videntur: effectus quippe teſtatur de ſua cauſa: nam ſi ſolum hominem exceperis, nullum datur animal, quod actionum præſtantia cum Elephanto poſſit comparari: id quod ex admirandis ipſius dotibus, quæ inferius deſcribentur, manifeſtum evadet.

A quo vero temperamento tales proveniant actiones, inter Authores controvertitur: Ariſtoteles probl. ſ. 1. in peculiari quadam humoris melancholici διαθέσει ſapientiæ cauſam ponit: idem l. 2. de part. an. c. 4. ſanguinem frigidum & ſiccum laudat: Galenus verò ad præclaras actiones edendas requirit calidum & ſiccum temperamentum: nec deſtituitur rationibus. Non aberrare videntur à janua, qui Archæum benè conſtitutum Præſidem, curatorem & Rectorem internum finium cum Helmontio, tractat. Archæus Faber §. 6. & 7. ſtatuunt: huic in omnibus miſtis vis agendi primaria ſemper attribuitur, quo ſcilicet aurigante omnes laudabiles corporis & mentis functiones perficiuntur: hûc facit etiam ſpirituum & ſanguinis puritas: optimæ indolis ſecundum Ariſtotelem libro 2. part. an. cap. 2. ſunt animalia, quæ calidum, tenuem, defæcatum & ſincerum ſanguinem habent: quippe quæ virtutibus corporis atque ingenio plurimum valent: hinc benè idem l. 2. part. an. cap. 4. ſcribit: Non frigiditas ſanguinis ſapientia facit animalia, ſed tenuitas & puritas.

Non malè itaque temperamentum calidum & ſiccum Elephanto aſſignatur, ob inſignes hujus temtemperamenti effectus: quoniam id prudentes, induſtrios, audaces, voraces & vigiles efficit, cutem inſuper duram & fuſcam, corpusque robuſtum & ſolidum: quæ omnia in Elephanto deprehendere licet: quo accedit & illud, quod loca incolit calida & ſicca, frigorisque eſt impatientiſſimus: animantium enim naturæ cum locis aut Regionibus in quibus degunt, utplurimum conveniunt, potiſſimè propter ſimilem temperaturam.

PAR-

PARTIS I. CAPUT 2.

…anti Nomen, Etymologiam, Homonymiam, causam finalem ulterioremque descriptionem producit.

CUm à vocis usu sæpenumero provehamur ad rei perceptionem, secundum J. C. Scaligerum exerc. 1. resque vocibus significentur, & per voces cognoscendæ offerantur, non abs re erit, ut eô magis methodicè procedamus, nominis Elephantini, ejusque etymologiæ & reliquorum, quæ hûc pertinent, habere rationem. Ἐλέφας vocabulum Græcum, sed latinâ civitate donatum est: Ciceroni Elephantus dicitur: fortassis descendit à Græco vocabulo ὁ λόφος, quod montem significat, siquidem instar montis alto eminet vertice. Elephantus est à Genitivo Elephantis: nam sæpè ab obliquo novi veniunt recti: Sic à Titan est Titanus: ab hebdomas hedomada, &c. Vid. Gerh. Joh. Vossii etymologicon pag. 191.

Nomen suum traxisse videtur ab Hebræo אָלַף quod significat, didicit, studuit: idque ob insignem hujus animalis docilitatem: sunt qui ab אַלּוּף, quod Ductorem, Principem, Ducem, Dominum significat, derivant. Sunt, qui exponunt magnus aut major: quibus adstipulatur Thargum Jonathan: וְהָיָה כְּאַלֻּף & erit sicut Dux: denotat etiam bovem, cui aliqua corporis figuratione est similis: dantur, qui ab אֶלֶף deducunt, i. e. mille, per quod res nonnunquam intenditur, & quod secundum Martinium in Lexico pro multis aliquando dicitur: quemadmodum dicitur μυριοτεχνίτης, i. e. mille Artifex.

Romanis olim Elephas bos Lucas seu Lucanus quasi bos Luci, dicebatur, quia boves in Lucaniâ, Italiæ Regione inter Apuliam & Calabriam sitâ, nati grandiores erant: pravè olim appellatus fuit Vocluda & Vocluca pro Vos Luca; Vos, i. e. bos, quæ mutatio passim in Philoxeni glossis occurrit. Italia autem annô urbis conditæ 472. in Lucanis primum Elephantum in bello Epirotico vidit; unde bos Luca dictus fuit. Vid. Plin. Solin. & Gesner. de Elephanto. Non enim prisca simplicitas majora suis bobus dari in Orbe terrarum jumenta putabat, ut scribit Turnebus l. 13. cap. 9. igitur Romani stivam & agrum suum adhuc olentes, cum peregrina adveherentur, nomen illis

non suum, sed obvium aliquod & ex vicinô rure dabant: ita Pantheras nominarunt mures Africanos, Leones Ursos Numidicos, de quô vid. Lips. el. l. 2. c. 4. Sic Pausanias l. 5. & 9. Rhinocerota Taurum Æthiopicum vocat. Sic Romani olim Camelopardulum vocarunt ovem feram, Struthionem passerem marinum. Vide Taubmanni commentar. in Plauti Pœnulum p. m. 910. Sic in aliis linguis sæpè variant nomina, quin imò eadem nomina aliis animalibus attributa sunt; id quod fortè ex confusione linguarum Babylonicâ ortum duxisse putabat olim Vir Illustris Jobus Ludolphus b. m. e. gr. כלב, Kelb, Hebræis, Arabibus & Æthiopibus est Canis: Germanis, ein Kalb. עגל, Egel, Hebræis vitulus, Germanis ein Igel. לחם, lahm, Æthiop. bos, Germanis, Lamm.

De bove Luca canit Oppianus l. 2.

> Verum inter cornuta boves animalia Lucæ
> Sunt quoque: vulgus eos solet appellare Elephantos:

& Lucretius lib. 5.

> Inde boves Lucas turritô corpore tetros
> Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni
> Sufferre & magnas Martis turbare catervas.

Ennius Poëta vetustissimus rem impossibilem expressurus dicere solitus fuit: Prius pariet Locusta Lucam bovem, i. e. Elephantum; & Lactantius Firmianus libr. de Opif. DEI. c. 3. scribit: poteſtne igitur aliquis, cum videat, etiam boves Lucas cum immanissimis corporibus servire homini, queri de Opifice DEO?

Seneca in Hippolyto hæc habet: amat insani bellua Ponti, Lucique boves, id est, sylvestres, quia Lucus sylva est: ut sensus sit, maximas etiam belluas tum in mari, ut Cete: tum in terrâ, ut Elephantos, quasi à luco Lucas dictos amore vinci. Varro à luce sic dictos putat, eò quod longè relucerent Elephanti propter inauratos Regios clypeos, quibus eorum tunc ornatæ erant turres. Pyrrhus enim, Plutarchô referente, geminâ legatione sollicitatus à Tarentinis, Lucanis & Apulis, præmisit Cineam Oratorem & Milonem Ducem in Italiam cum viginti Elephantis & magno exercitu: eô annô, nimirum ab U. C. 472. Elephanti primâ vice in Italiâ in acie steterunt: quibus conspectis Romani magnô terrore perculsi & terga vertere coacti sunt, præsertim cum animalia esse non crederent. Vid. Pausaniæ Attic. lib. 1. p. m. 14. Post prælium infeliciter commissum Romani victi pacem à Pyrrho Victore per Legatos petebant: inter illos erat Cajus Fabricius, Vir corporis & animi dotibus insignis, rerumque bellicarum peritissimus: hunc Rex omnibus modis ad suas partes trahere studebat, magnâ pecuniæ vi propositâ, si Patriam relinquere, & Regi servire vellet: incassum omnia; posterô die Rex C. Fabricio terrorem incussurus ipsum ad colloquium vocat, Elephantô post aulæum collocatô; quô inter medios sermones semotô prægrandis Elephas exsertam proboscidem

super

ſuper Legati capit levabat, horrendô ſimul editô barritu; converſus Fabricius ſubridens dicebat: quemadmodum heri aurum Regium me movere non potuit, ita hodie vaſta hæc bellua mentem meam non mutabit; Rex valdoperè admiratus conſtantiam Viri quartam ſui Regni partem ipſi offerebat, ut ſui voti fieret compos; at ſurdo narrabatur fabula. Vid. Flor. hiſt. Ritter. n. 30. Theatr. vit. human. lib. 14. Prudent. pag. 813. ex Plutarcho in Pyrrh. p. 327. 328.

At ſemel tantum Pyrrho feliciter ceſſit hoc ſtratagema & Elephantorum ope parta Victoria: nam in prælio in Apulia cum Romanis commiſſo exoleverat belluarum terror: ubi C. Minutius unius Elephanti proboſcide gladiô abſciſsâ mori poſſe belluas oſtendebat; videntes hoc Romani jaculis atque haſtis Elephantos eorumque ligneas turres igne injectô impetebant, hinc turbatô ordine beſtiæ in ſuos converſæ magnam ſtragem ediderunt: ſic in tertiô prælio in Lucania ſub Auruſinis campis commiſſo unus junior Elephas in capite vulneratus, horrendum clamans atque hinc inde per ordines ſuorum diſcurrens victoriam peperit Romanis, qui poſtmodum in diverſis à Pœnis reportatis Victoriis Elephantis plurimis potiti ſunt: Sic annô ab U. C. 502. L. Cæcilius Metellus Asdrubalem in Siciliâ vicit, eique, ut Plinius refert, CXXXII. Elephantos ademit, qui Romæ in triumpho ducti ſunt: quin etiam in Africô triumpho ad currum Pompeji magni juncti fuerunt; de quibus infra plura dicentur.

Alexander Magnus inter Europæ Reges fractâ jam Pori & Indorum potentiâ primus Elephantos habuit, ſed illis rarò uſus eſt; poſt hujus mortem tum alii Reges, tum Antigonus habuit plurimos: Pyrrhus in pugnâ adverſus Demetrium commiſſa belluas has cepit; Hannibal in Africa, Rex Antiochus in Oriente, Jugurtha in Numidiâ copioſos Elephantos habuerunt: Africæ pars Europæ proxima aluit ab omni ævô: in Græcia ante Alexandrum Magnum nulli viſi ſunt. Hæc ἐν παρόδῳ.

Ut ad Etymologiam Elephanti, quatenus bos Lucas appellatur, redeam, memini Baronium ad an. 58. in eâ eſſe opinione, myſtici aliquid in eo eſſe, quod Romani ſic appellarint bovem Lucam: nempe, quia Evangeliſtæ Lucæ typicè ſoleat appingi bos, ut ſymbolum ſit ſacerdotii; quæ tamen opinio Gerh. Joh. Voſſio in etymologico p. 295. non arridet: putat enim non aliâ de causâ Romanos ſic vocaſſe Elephantum, quam quia animal id nondum noſſent, at ubi notum, Elephantum non bovem Lucam dixiſſe.

A nonnullis vocatur bellua κατ' ἐξοχὴν: Heſychio & Varrino Elephas πρίστας dicitur. Vid. J. Jonſton. Hiſtor. nat. lib. 1. c. 5. p. 30. Ab Ovidio 4. Triſt. 5. vocatur bellua Inda: quemadmodum ab Oppiano θὴρ ἰνδός. Halieutic. 5. Sic etiam Hyænæ κατ' ἐξοχὴν belluæ dicuntur. Plinius

Elephantos vocat Heroës animalium lib. 8. c. 6. eâdem ratione generali & ſimpliciter Elephas vocatur beſtia 1. Maccab. c. 6. v. 36. 37. & c. 11. v. 56. ut & à Cicerone lib. 9. ep. 6. ubi de Pompeji militibus ſcribit, quod confugerint ad auxilium beſtiarum, per quas metonymicè Regis Mauritaniæ Jubæ Elephantos intelligit.

Ἀνονόμαςον in ſacris Pandectis nonnullis videtur hoc animal; verumenimverò Hebræi tria habent Elephanti nomina, הַב פִּיל בְּהֵמוֹת. Prius non legitur, niſi in voce compoſita, 1. Reg. 10. 22. ut & rarò ſecundum: tertium verò, cujus ſingularis eſt בְּהֵמָה (à בְּהָם, i. e. animal, quod generale nomen ſub utroque genere utrumque comprehendit ſexum,) id eſt, beſtia, pecus, jumentum, συνεκδοχικῶς & conſultò in plurali ponitur ad denotandam Elephanti magnitudinem longè ampliſſimam vereque ſuſpiciendam, quaſi belluarum multarum inſtar ſit, à Julio Cæſare Scaligero beſtiarum Heros ob id cognominatus. Vid. D. Salom. Glaſſii Philologiam ſacram lib. 3. tract. 1. Canon. 24. p. 88. & Matth. Martini Lexic. Philologic. Datâ operâ ponitur pluralis בְּהֵמוֹת à Spiritu Sanctô, magnitudinem hujus animalis hôc ipſô adumbraturo: quemadmodum Proverb. 1. v. 20. Sapientiarum fit mentio, ad exprimendam more ſanctæ Linguæ ſummam & immenſam Sapientiam: Sic unus DEUS אלהים, Elohim, id eſt, Dii plurali voce appellatur, & Rex Ægypti Geneſ. 40. adonim, id eſt Domini dicitur: qualis loquendi ratio habetur Pſalm. 73. v. 22. ubi Regius Vates dicit ſe fuiſſe apud DEUM בְּהֵמוֹת, i. e. ingentem beſtiam, imò inſtar multarum beſtiarum, quaſi plura animalia in unum compacta ſint. Vid. procem. pag. 2.

Rabbi Moyſes בְּהֵמוֹת dicit eſſe generale vocabulum omnium jumentorum, quemadmodum Leviathan ſit commune nomen omnium ingentium piſcium: Rabbi Abraham autem putat, quod ſit mirabile animal ita appellatum: Thalmudicæ fabulæ nugantur, intelligi bovem illum prægrandem, cujus ſupra in procemio facta eſt mentio, quem Judæi ſomniant quotidie depaſcere mille montium gramina quavis nocte renaſcentia: quod ſi non contegerit, vix ſuffectura pro ipſius alimento totius mundi gramina: hunc in principio Creatorem feciſſe geminum garriunt, marem videlicet & fæminam, marem autem paulo poſt à DEO caſtratum & fœminam occiſam eſſe, ne ſcilicet multiplicati toti mundo eſſent oneri: ſuperſtitem verò bovem per tot ſecula probè ſaginatum cum Leviathano ſtupendæ magnitudinis piſce, & ave Barjuchne dictâ, tam magna ova excludente, ut unicum etiam è nido decidens, ſi diffringatur, in-

tegra oppida, pagos, villas diluvii instar inundatione liquoris sui absorbere possit, & cum vino de Gan Eden seu Paradiso, (quod ibi reconditum servetur ab initio mundi,) fructibus item ac delitiis aliis paradisiacis mensis apponendum tunc credunt, quando Messias Judaicus suos magnificô excipiet conviviô, quod tamen præcedet horribile hujus bovis cum Leviathano prægrandi illo Cete certamen in spectaculo exhibendum, vincente tamen & utrumque gladiô evaginato perimente Messia: qua de re videsis plura disserentem Dionysium Lutzenburgensem in Messiâ Judaicô cap. 7. p. 460. & seqq.

Per vocem בְּהֵמוֹת Hippopotanum, non Elephantum apud Hiobum loco supra citato denotari tradit Sam. Bochartus in Hierozoicô l. 2. cap. 23. ubi probare vult, non pluralis, sed singularis numeri esse, an assensum mereatur, æquus Lector judicet.

Ab Hebræis Elephas etiam dicitur שֶׁנְהַבִּים Senhabim, per quam vocem dentem Elephanti intelligi, multi, inter quos etiam Hieronymus & alii existimant: aliter autem sentit Bochartus in Hierozoic. l. 2. c. 23. ubi ipsum Elephantum hâc voce synechdochicè notari vult. Senhabim, inquit, est vox composita ex שן, sen, id est, dens: הבים, habim verò quid sit, non liquet, & quid significet, doctissimos hactenus latuit: cum itaque Hebræi prisci Elephantes vocaverint קהבים, Kahabim, suspicatur pro שן קהבים Sen Kahabim, mediâ syllabâ elisâ, quod passim compendii causâ fieri solet, Senhabim per abusum fuisse usurpatum. Cum itaque de classe Salomonis dicatur 1. Reg. 10. quod advexerit aurum, argentum, simias, pavones & Senhabim, potius Elephantos, quam ebur seu vulgo dictos Elephanti dentes per Senhabim denotari putat, quod etiam vult Syrus & Arabs: malè enim cohærere, cum sermo sit de animalibus, pavonibus videlicet & simiis, arbitratur, nullamque apparere rationem, si per senhabim aliquis ebur, non autem ipsum Elephantum intelligat.

Garzias ab Horto, Pro-Regis Indiarum Medicus, qui per triginta annos praxin Medicam apud Indos exercuit, in historia aromatum l. 1. p. m. 52. Elephantum pluribus exoticis insignit nominibus, verba ejus hæc sunt: appellatur Arabibus Elephantus Fil (ipse verò dens Cenalfil, quod dens Elephanti est,) in Guzarate & Decan, Ati; in Malavar, Ane; in Canara, Acete: Æthiopibus Ytembo; in Oriente passim Phil dicitur, unde Sendephil, dens Elephantis, pro quo legitur Senhabim. Vid. J. C. Dieterici antiquitat. Bibl. p. 443.

Græcum vocabulum esse Isidorus l. 12. putat, cui multi subscribunt: Gregorius Francus & Samuel Bochartus deducunt vocabulum ἐλέφας â verbo Græco ἀλφεῖν, quod signi-

significat invenire, excogitare, discere; originem ducere videtur hoc vocabulum ab Hebraico אלף, quod in Kal est discere, in Piel vero docere: Est enim animal valde argutum & docile. D. Caspar. Horn. in discursu de Elephanto nomen â voce λόφος deducit, quæ collem seu montem significat, quem Elephas vastitate sui corporis æquare videtur, cui adstipulatur Isidorus apud Vincentium Bellunensem, ut & Oppianus:

- - - - Conspectô quippe Elephanto
Jures illum altis incedere montibus æquum.

Schindlerus vult, ex Alphil Arabico, (quod est Phil cum articulo) factum Græcum vocabulum ἐλέφας.

Indis â voce, quam edit Elephas, Barrum dici, Isidorus author est, quod tamen Garzias ab Hortô non admittit locô citatô: Sabinorum lingua Barrus, forsan non ineptè â Græco βάρος dicitur: quod patet ex Sidonio carmine 23. ita canente:

Non, si quas eboris trabes refractis
Rostris Marmarici dedêre Barri.

Apud Horatium exstat hæc vox epod. 12.

Quid tibi vis mulier nigris dignissima Barris?

id est, Elephantis Indicis probè mentulatis, per quos intelligit Flaccus valentissimos amatores, & strenuos in bello Veneris bellatores: itaque non ineptè derivari videtur hoc vocabulum â βάρος, pondus, onus: vel βαρύς, ponderosus seu gravis, propter molem & gravitatem corporis Elephantini.

Sonus, quem Barri edunt, Barritus dicitur, â barriendo, quod illis proprium est, quem sonum prima refert syllaba: sic incertus author canit in Philomelâ:

Et Barrus barrit, Cervi glocitant & Onagri:

quamvis barritus etiam clamorem significet, qui attollitur, cum utraque acies sese junxit, quâ de re videatur Vegetius lib. 3. de re militari, cap. 18. Olim enim imminente jam conflictu Romani sublatâ voce militum animos accendentes non minimum hôc ipso injiciebant hostibus terrorem, qui clamor barritus dicebatur; de quô Ammianus l. 21. hæc habet: Gesturientes barritum ciere vel maximum, qui clamor ipso fervore certaminum à tenui susurrô exoriens, paulatimque adolescens extollitur ritu fluctuum cautibus illisorum. Vid. Lips. de militiâ Romana lib. 4. dialog. 11. cui placet barritum deducere â verbo Germanico, quamvis jam minus usitatô beren oder barren/ id est, clamare, vocem tollere, quod probat Cluverius, & ex hâc disciplina Germanorum & rem & ipsum vocabulum mutuatos Romanos lib. 1. antiq. German. cap. 51. censet: idem facere hodie Novi Orbis gentes constat: id quod etiam adhûc Turcis, imò nonnullis Europæ populis in bello usitatum est; imo ejusmodi barritu, seu ut cum Corvino alii legunt, barditu olim Germani sese mutuò ad fortiter pugnandum atque audaciam animabant, futuræque

ræque pugnæ fortunam ipso cantu augurabantur, ut scribit Cornel. Tacitus de moribus Germanorum; interdum tamen usuvenire solet, ut vasa vacua quam maximè tinniant: â barro ebur dici, quasi è barro, arbitratur Servius: Græcis barritus vocatur τετρισμὸς, stridor apud Livium, Plinium & Ammianum.

Apud Pœnos olim Elephas vocabatur Cæsar, quod secundum linguam Punicam idem est, quod præsidium & tutamen Legionum: id quod evincunt nonnullæ antiquissimæ illorum monetæ, in quibus conspicitur cusus Elephas cum epigraphe: Cæsar, unde Cajus Julius Cæsar cognominatus esse fertur: quâ de re Matthæus Dresserus in Isagog. Historic. part. 1. millenar. IV. p. m. 431. ita scribit: Cajus Julius Cæsar natus annô mundi 3872. ex gente Juliâ & Cæsarum familia, non a cæso matris utero dictus, alioquin Cæso rectius diceretur; neque à Cæsarie, sed a cæsô Elephanto, qui Punica lingua Cæsar nominatur: quamobrem etiam Elephantum in nummis suis signavit, & primus Cæsaris usurpavit nomen: hinc etiam nomen traxit Mauritania Cæsariensis, a qua etiam Elephanti ibi nati dicti sunt Cæsares.

Huic asserto suum addit calculum Casaubonus comment. in Sueton. p. 4. quamvis in notis ad Spartian. non a Pœnis, sed a Mauris Elephantum Cæsarem dici existimet: nam, inquit, Punicam linguam traducem fuisse ac propaginem linguæ Hebraicæ certissimum est: Hebræis autem כִּיל dicitur, non Cæsar, quamvis non exstet in sacris literis ea vox: omnes sanè, qui vel Hebraicè locuti sunt, vel quavis alia vicinarum linguarum, quæ ex illa principe fluxerunt, פִּיל Elephantum nominant, Arabes quoque: Græcorũ etiam & Latinorum appellatio inde est: nam ἐλέφας literis transpositis dixerunt pro ἐφέλας vel ἀφέλας, חפִיל. Hactenus Casaubonus.

Cæterum vox Elephas non tantum animali, verum etiam aliis pluribus rebus improprie attribuitur: sic ipsum ebur a Gloss. Cyr. ἐλέφας τὸ ὀστοῦν, & secundum Gloss. Philox. ἐλέφας οὐ τὸ ζῶον, ἀλλ' ἡ ἐκ τοῦ ὀδόντος ὕλη vocatur: â Theocrito ed. 15. candidum ebur λευκὸς ἐλέφας nominatur: hinc Virgil. Æneid. v. 464. ita canit:

> Dona dehinc auro gravia, sectôque Elephanto;

Et libro 3. Georgicor.

> In foribus pugnam ex auro, solidoque Elephanto
> Gangaridum faciam, Victorisque arma Quirini.

Strabo l. 16. mentionem facit celsissimi cujusdam montis in Æthiopia, qui Elephas vocetur, cujus cacumen quam longissimè videatur à navigantibus in mari, de quo etiam vid. Wolffgang. Hildebrandi Mag. natural. l. 4. p. 15. a quo ejusque accolis forte nomen traxisse Salmasius putat Elephantum: Castaldô teste mons hic est sub Ægypto,

apud Sinum Avalitem: est & Elephus mons Asiæ contra Lesbum Insulam qui & Elatus dicitur, ubi Alcibiades obiit, & Cervæ aurem scissam habent. Vid. Philipp. Ferrarii Lexicon Geographic. Mons fluvio Hydaspi conterminus fuit dictus Elephas ob sequentem caussam: Alexandro M. cum exercitu Indiam invadente, visum fuit incolis, armis Regi occurrendum esse: Pori vero illarum terrarum Regis Elephas, quô vehebatur, repentè œstrô percitus tumulum solis conscendit, ibique humana voce usus, Domine Rex, inquit, qui genus ab Gegasio ducis, nihil contra Alexandrum moliare; est enim Jove natus; & cum dictô occubuit; quô audito Porus trepidus ad Alexandri genua accidit, pacemque oravit, qua potitus montem a belua Elephantem appellavit. Raderus citante Freinshemio in commentar. in Curt.

Modo citatus Strabo ad oras Ægypti & Æthiopiæ urbem Elephantiam seu Elephantinam dictam memorat: Elephantine Thebaidis oppidum est, ubi nulli arbori nec vitibus decidunt folia. Plinius l.16.21. Idem mentionem facit Insulæ Nili ita dictæ, ubi Æthiopicæ naves conveniunt. Confer. Herodot. Euterp. l. 2. 3. qui urbem hanc incolentes & ex Nilo flumine potantes Ægyptios esse scribit: celebrem lapidicinam ibi fuisse idem refert lib. 3. Thaliæ. A Thebis ad hanc urbem octingenta viginti fuisse stadia refert idem. Elephantinæ & Meroës urbium Æthiopicarum meminit Ammianus Marcellinus lib. 22. p. m. 245.

Evagrius Scholasticus lib. 1. c. 7. meminit Elephantinæ Regionis cujusdam sitæ ad extremam oram Provinciæ Thebaidis, in quam Nestorius ex Panopoli per milites barbaros abductus sit. Elephantinæ cujusdam Urbis meminit Procopius l. 1. de bello Persico circa mare rubrum sitæ, in quâ Blemyes & Nobatæ populi habitant: esse in Nilo Insulam Elephantidem dictam infra novissimum cataracten, tria M. pass. & supra Syenen xvj. M. navigationis Ægyptiæ finem, ubi Æthiopicæ naves conveniunt, quas plicatiles humeris transferunt, quoties ad Cataractas ventum, scribit Plinius lib. 5. cap. 9. Ptolomæus Elephantidis seu Elephantinæ Insulæ intra Nilum fluvium sitæ meminit cum urbe ita dictâ, quæ & Tabenna nominatur: videri hêic puteum inclusum saxo scribit Strabo lib. 17. in quo Nili incrementa solent incidi. Sunt & Elephantini populi Apuliæ: Elwangam Civitatem Germaniæ in Suevia Regione ad fluvium Jaxium sitam, cujus Dominus est Princeps Imperii, Elephanciacum vocat Guil. Eisengreinius centenar. 1. part. 5. distinct. 1. in quam exuvias S. Fl. Domicillæ Martyris translatas memorat.

Est & Elephantis secundum Robertum Stephanum in dictionario Nominum propriorum & alios plures Viri Poëtæ, ut & secundum nonnullos fœminæ Poëtriæ nomen, de

de quâ Martialis epigrammat. l. 12. ep. 43. ad Sabellum ita ſcribit:

Facundos mihi de libidinoſis
Legiſti nimium, Sabelle verſus:
Quales nec Didymi ſciunt puellæ.
Nec molles Elephantidos libelli:

quamvis crediderim, Martialem hêic non tam de Poëtâ, quam de Poëtriâ famoſiſſimâ ſcilicet illâ meretrice Elephantide loqui, quæ ad exemplum Aſtyanaſſæ, Helenæ famulæ in Venereâ palæſtrâ probè exercitatæ cum Philenide ejusdem commatis proſtibulo obſcænos de variis concubitus generibus libros non minus accuratè, quam turpiter ſcripſiſſe fertur: quorum fit mentio non ſolum apud Martialem, itemque in Priapejis, ſed & apud Suetonium in Tiber. cap. 43. ubi de Tiberio legimus, quod cubicula plurifariam diſpoſita tabellis laſciviſſimarum picturarum & figurarum adornaverit, librisque Elephantidis inſtruxerit. Hujus laſciviſſimæ mulieris meminit Tatianus Aſſyrius in libro adverſus gentes, item Suidas & Plinius. Hæc de Coſmeticis ſeu illis rebus, quæ ad ornatum pertinent, ſcripſit ſecundum Galenum lib. 1. pharmacor. local. cap. 1. qui ab hac Elephantide Emplaſtrum Elephantinum à Corneliô Celsô lib. 5. cap. 19. deſcriptum fuiſſe inventum exiſtimat. Vid. Nicol. Leonic. Thomæum de variâ hiſtor. lib. 3. p. m. 293. A. Tiraquell. de Nobilitate cap. 31. pag. 409.

Elephantidis Medici cujusdam meminit Galenus Tom. 3. lib. 1. de compoſ. Pharmacor. ſecund. loca c. 10. ubi ſequentia verba leguntur: Scripta ſunt & alia multa apud Aſclepiadem & Heraclidem Tarentinum, Elephantidemque ac Moſchionem de ornatu.

Eſt & Elephantias ſerpentis genus: de quô Iſidor. lib. 12. cap. 4. ſcribit, quod is, quem momorderit, Elephantiaſi ſtatim corripiatur: V. Eliota Anglus. De Elephanto Gammaro videri poteſt Phoſphorus noſter Sachſius, beatæ memoriæ, in gammarologia p. m. 86. Apud Plinium hiſtor. nat. l. 9. c. 5. & lib. 32. c. 11. piſcem marinum invenire licet, qui Elephas vocatur, de quo Nicolaus Perottus refert, quod ſit belua maris ingens in freto Caditano, candidam proboſcidem habens: fortaſſis ejusdem ſpeciei piſcis, cujus Benzo in hiſtor. Nov. Orb. l. 2. c. 14. meminit, quod ſcilicet in Hiſpaniola reperiatur, Lutræ ſimilis, ſed 35. pedes longus, 12. craſſus, capite & caudâ bovem referens, exiguis oculis, pelle durâ & piloſâ, coloris Veneti, pedes duos Elephantinos habens, catulos geminô ubere lactans: hunc piſcem Hiſpani nominant Manatum, quod pinnas ad caput & veluti binas manus habeat.

In mari erythræo dari piſcem, qui ab Arabibus Elephas marinus indigitetur, & dentibus extra os prominentibus, ut & tergore Elephantinô inſignis ſit, refert. P. Gillius Albienſis, dicitque, ſe ejusmodi multa tergora vidiſſe, quæ Mercatores

tores Raithini vendere solent agrestibus Arabibus & Monachis montis Sinæi ad soleas calceorum validissima, & diu durabilia, si illis utantur in siccis locis, nam madefacta citius consumuntur: addit, se ex his unum vidisse, eâ magnitudine, quâ tergus exsistit bubulum, crassitudine digitali, colore fusco, atque emisse dentes pedalis longitudinis singulos, ambitu sex digitos complectentes.

De ejusmodi pisce J. C. Scaliger exerc. 218. 4. scribit sequentia: Est Morss piscis ad litora populorum, qui Samogithii appellantur, ad Oceanum septentrionalem, in quem se exonerat Duvina fluvius illustris: bestiæ bovis magnitudo: crura brevia, qualia & fibris: pectus cæteris membris & latius & elatius: dentes geminos & exsertos grandes habet affines ebori candore: è quibus tum gladiorum capulos, tum alia opera faciunt: addunt, ob pondus ensibus manubria quæri, præsertim in Moscovia, ut vult Robertus Constantinus in supplement. Lat. Linguæ: majores enim ex eâ gravitate ictus infligi: pretium appensæ materiæ ut ebori. Somnum capturus hic piscis in terram exit, excelsa loca eligit, neque unquam nisi gregatim: quum sese teneri sciat sopore profundissimô, custodem vigilem more gruum statuit: qui si oppressus somnô à Venatoribus capiatur, universus grex in prædam cedit: quod si custos pervigil mugitu sonum dederit, extemplô cuncti posterioribus pedibus ad dentes applicatis tanquam vehiculo pre declive in subjectum mare lubricô lapsu ruunt: sæpenumerò super grandissimis crustis glaciatis, quæ in mari feruntur, capiunt quietem: hi cum ad Elephantorum proportionem nonnihil accedant, temerè puto ab aliis scriptum, in eô mari Elephantos esse, qui dentibus per noctem tanquam anchoris ad rupem fundati atque stabiliti somno sese dent.

Elephantus hic seu belua marina, Gallis Rohart, aliis Rosmarus & Morsch dicitur, (ut author est Olaus Magnus l. hist. 21. cap. 28.) magnitudine ac candore dentium Elephantum referens. Plinius l. 9. cap. 5. scribit, sub Tiberiô juxta Lugdunensis Provinciæ litus in Insula simul trecentas & amplius beluas reciprocantem destituisse Oceanum miræ varietatis & magnitudinis, nec pauciores in Santonum litore.

P. Gillius in descript. Elephanti p. m. 30. testatur, se compertum habere ex probatæ fidei hominibus, quod in India viderint & comederint Chærelephantos seu porcis aliquô modô similes.

Marinus Astacus supra memoratus maximus ex rubro flavoque livescens nonnullis Elephantus, quibusdam Leo dicitur ob magnitudinem: utrumque Aldrovandus l. 2. cap. 3. histor. exsangv. pro uno habet. Plinius lib. 32. cap. 11 locustarum generis nigri mentionem facit,

cum

cum pedibus quaternis bisulcis, brachiis duobus binis articulis singulisque forficulis denticulatis præditis, quos Elephantos vocat. Vid. Phosphori nostri Sachsii b. m. Gammarologiam cap. 5. pag. 86. cap. 17. pag. 309.

Elephas Scriptoribus Francicis pro litui vel tubæ specie crebrò usurpatus dicitur Olifant: & laudatur ab Olao Wormio libro de cornu aureo p. 27. vetus cantilena Islandica Runica, quam sic Latinè vertit: Per viginti milliaria Gallica audiebatur sonus Olifanti, dum scutorum expugnator cornu inflavit durissimum. Vid. Caroli du Fresne Glossar.

P. Ammanus in charact. Plantar. pag. 256. mentionem facit plantæ, quæ ab ipso dicitur Elephas maximus Campoclarensium Columnæ, estque Scordium vel Scordio affinis: Baccæ Coculæ (Coculs Körner) Elephantinæ vocantur, quæ secundum Dendrographiam D. Jonstoni proveniunt in Ægypto & Indiâ Orientali, & adhibentur ad pediculos necandos, & capiendos pisces. Vid. Christoph Vielheyers Beschreibung frembder Materialien.

Elephantinos libros ex ebore magnificis impensis factos fuisse olim apud Romanos, in quibus Senatûsconsulta, quæ ad Principes pertinebant, scribebantur, summâ curâ in bibliothecâ Ulpia servatos author est Vopiscus in Tacitum. Alexander ab Alexandro l. 4. c. 11. Horum meminit Ulpianus lib. 32. Pand. eosque Codices eburneos vocat: facti enim erant ex ebore sectili: veram tamen Nominis causam putat esse G. J. Vossius in etymologic. pag. 191. quod illorum membranæ factæ essent ex intestinis Elephantinis. Ridiculum est illorum commentum, qui hos libros ita dictos autumant ab operis amplitudine, quasi Elephantorum proceritas nominis ansam illis dederit. Vid. Hadrian. Jun. in Nomenclatore & Melchior Guilandinus in commentario de papyro: horum fuerunt Numero 35. in quibus tribuum & tribulium continebantur nomina.

Pictorum Coryphæus Apelles ex ebore usto singularem colorem produxit. Elephantinum dictum: eo utentes vocabat ætas illa ἐλεφαντοζωγράφους: de quo vid. Plutarch. in Penil. Color hic fuit æruginis æmulus, ut vult Franciscus Marius Grapaldus lib. de part. æd. p. 36.

Est & Elephas morbus, de quo Lucretius lib. 6.

> Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili
> Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam:

hunc tamen in aliis etiam Regionibus reperiri, dicetur infra. Vocatur hic morbus Elephantiasis, jumenta etiam corripiens secundum Vegetium lib. 1. 19. hoc laborantes Elephantiosos vocat Theod. Prisc. l. 1. 3. Hæc lepræ species, quæ totum corpus maculis, scabie fœdâ & tumoribus squallidum reddit, quatenus est morbus magnus, teter

& terribilis, non immeritô ab Arabibus toti Elephanto; quatenus diuturnus, ipsius longævitati; ob pedum tumorem Elephantinis tibiis; ob asperam rugosam & quasi sulcis scissam cutem corio Elephanti comparatur.

Invenit etiam inter ostenta & monstra locum Elephas: Sic Plinius l. 7. H. N. c. 3. scribit, mulierem quandam Alcippen Elephantum peperisse: infantem cum capite Elephantino vide apud Fortunatum Licetum l. 2. de monstris & apud Plutarchum in Marcello. Calculus ex vesicâ humanâ exsectus figuram Elephanti exprimens, Isenaci olim à me visus. Porcum monstrosum cum Elephantinâ proboscide ære expressum tradit Fridericus Wilhelmus Schmuck in fasciculo admirandor. Natur. De hominibus formam Elephanti referentibus post suffumigia quædam facta vid. Trinum Magicum Cæs. Longini, si meretur pag. 109.

Inter insignia etiam refertur, quemadmodum Nobiles ab Effren caput Elephantinum in galeâ gerunt: Comites de Helffenstein in clypeo gentilitio gerunt album Elephantum cum nigris dentibus & pedibus monti flavô insistentem in campô rubro: similibus ferè insignibus gaudet familia Weileriana. Vid. Cyr. Spangenbergs Adels-Spiegels anderen Theil lib. 12. c. 35. Vesontium Sequanorum Gallis Besançon, Germanis Bysantz / Civitas in insignibus Elephantum gerit. Vid. Braun. Civitat. Orbis Terrar. l. 2. Familiæ nobilis de Elephanto nomen adeptæ imprimis celebris cujusdam JCti Christophori de Elephanto, qui Albam Regalem olim incoluit meminit idem lib. 11. cap. 17.

In antiquis monetis etiam videtur excusus Elephas: quin & inter idola invenit locum: Sic J. M. Dillherr in seiner Propheten-Schul p. m. 469. mentionem facit Idoli Insulæ Indiæ Orientalis Celoes cum capite Elephanti, quod Rex illius loci cum subditis suis veneratur: In Regno Magni Mogolis idolum datur septemplici proboscide insigne, cujus effigiem exhibet Olai Dappers Asia, p. 62. irrepsit etiam in officinas pharmaceuticas Emplastrum Elephantinum ab Aëtio descriptum, quod paratur ex Cerussæ p. xxx. Ceræ p. xxxxv. olei heminâ, aquæ sextario. Vid Johan Gorræi definit. Med. p. 132. Andr. Tiraquellus de Nobil. c. 31. p. 409. hoc Emplastrum à supra memorata muliere Elephantide dictâ ita vocari censet, cujus fortè inventrix fuit: hujus emplastri meminit etiam Cornelius Celsus l. 5. c. 19 Fructus Anacardii vocatur pediculus Elephanti, sed malè ab imperitis secundum Sylvaticum.

Homines stupidos & insulsos caudices, qui neque saltare neque natare norunt, ut tritum sonat proverbium, Elephantos vocare nonnulli solent: unde natum est proverbium: Ἐλέφαντος διαφέρεις οὐδὲν,

id

id est, ab Elephanto differs nihil: cui adagio locum fecit absque dubio corporis Elephantini moles, & vastæ formæ apparens fœditas: quo pertinet illud Plautinum: Meus herus Elephanti coriô tectus non suô est, neque plus habet sapientiæ quam lapis. Primam tamen ingenii laudem Plinius l. c. Elephantis inter bruta tribuit. V. Adag. Erasm. Chiliad. 2. cent. 9. p. m. 449.

Theophrasto Paracelso aqua fortis dicitur Elephas, de quo Vid. Martini Rulandi Lexicon Alchimiæ p. 195 & Gerard. Dornei Dictionar. Paracelf. p. 41.

Scacchiæ seu latrunculorum ludo etiam se immiscuit Elephas, in quo utrinque claudit agmen via recta suô more progrediens, de quo Maro ille Christianus M. Hier. Vida in ludo Scacchiæ hæc habet:

> Nec deest, quæ ferat armatas in prælia turres
> Bellua, utrinque Indos credas spectare Elephantos,

& paulo post:

> Sed gemini claudunt aciem qui hinc inde Elephanti.
> Cum turres in bella gerunt, & prælia miscent.
> Rectâ fronte valent dextrâ lævaque retroque
> Ferre aditum contra, campumque impune per omnem
> Proruere, ac totis passim dare funera castris.

Apud Athenæum, Damoxenum & Epinicum ingentis capacitatis patera, (ein grosser Willkommen /) Elephas nominatur, quæ tres congios, secundum alios novem mensuras capiebat: unde fortè natum est proverbium: οὐδ' ἂν Ελέφας ἐκπίοι, i. e. nec Elephantus quidem ebiberet, poculum scilicet prægrande, quod Prisci Rhyton appellabant ἀπὸ τῆς ῥύσεως, cui evacuando vix Elephantus, qui magnam alioquin aquæ vim absorbere potest, sufficeret: producit tamen modò citatus Athenæus aliquem bibaculum in scenam dicentem: ἐγὼ δὲ τοῦτον ἐκπέπωκα πολλάκις, id est, hoc poculum ego sæpius exhausi: sed hic responsum tulit: οὐδὲν ἐλέφαντος γὰρ διαφέρεις οὐδὲ σύ: nihil ab Elephante differs hâc quidem in parte.

Ipsis Elephantis etiam Nomina fuisse olim imposita constat: Sic meminit Carolus Sigonius lib. 4. histor. Ital. cujusdam Persarum Regis Elephanti Abulabaz dicti, quæ immanis bellua in Italiam missa propter sui raritatem omnibus ingens præbebat spectaculum: de alio, qui Perico vocabatur, infra fiet mentio.

Definitio, quæ rei quidditatem & essentiam secundum Aristotelem posterior. analytic. l. 2. c. 3. declarare debet, sequitur, quam talem ponimus: Elephas est animal brutum, quadrupes, mansuetum, robustum, barriens ac docile, horridum ob vastam corporis molem, admirandâ formâ ac sagacitate præditum, ad Creatoris ter Opt. Max. laudem & hominis utilitatem quintâ creationis die ex nihilo productum. In hâc definitione Elephas

ſecundum ſuas cauſas & adjuncta propria breviter deſcribitur. Alſtedius Encyclopæd. lib.7. Phyſ. p.6. c.5. Elephantum ita deſcribit: Elephas eſt quadrupes vaſtæ & portentoſæ magnitudinis, promuſcide ex ore demiſsâ tanquam manu omnia apprehendens: in hâc deſcriptione autem admirandæ hujus animalis indolis nulla fit mentio.

Ad creandum cum cæteris brutis Elephantum non indiguit Creator altiſſimus alterius cujusdam opera, neque hunc in finem ullis Deunculis aut geniis uſus, eosque, ut ſomniant nonnulli, ita allocutus eſt: ut animantia mortali generentur conditione, convertite vos ex Naturæ legibus ad eorum procreationem, & vim meam, quam in veſtro ortu adhibui, imitamini: ut olim etiam docuit Philoſophorum anteſignanus Plato; qui genii Platonici, ut rectè monet Scaliger exerc. 303. in porticibus quidem picti aut in aulæis texti haberi poſſunt, procul autem à Chriſtiano tanquam deliramenta abeſſe debent: ſed fecit DEUS ſuam omnipotentiam declaraturus ſecundum ſacrum codicem beſtias & pecudes terræ in ſpecies ſuas, omniaque reptilia terrena in ſpecies ſuas, nullius creaturæ in hoc opere uſus adminiculô & conſiliô, & vidit DEUS, id eſſe bonum. Gen. 1. v. 25. condidit Elephantum itaque DEUS tanquam principale quoddam & præcipuum opus, vel ex primariis animantibus unum, procul omni dubiô primò & ante reliqua bruta, & quidem citra præſuppoſitam materiam ex nihilo, vel ex rudi & indigeſta terraquea mole: & ſic Elephantus ex terra conditus naturam ſortitus eſt terrenam, deſtructibilem & corruptioni obnoxiam.

Quemadmodum autem in Naturæ operibus nihil temerè viceque fortuita committitur, ſed alicujus rei gratia omnia aguntur, ut ſcribit Ariſtoteles 1. part. c. 5. ita finalis cauſa productionis Elephanti, & quidem palmaria & principalior eſt gloria Creatoris, qui omnia condidit propter ſe ipſum, ut ſcilicet θεατὴς τῶν ἔργων τοῦ Θεοῦ ὁ ἄνθρωπος, quô nomine hominem inſignit Hermes Trismegiſtus, ſtupenda DEI opera admiretur atque ex his non ſolum cognoſcat ſuum Conditorem, verum etiam ſecundum Eccleſiaſtici monitum c. 47. v. 10. ex toto corde laudet & amet.

Quem in finem autem animal hoc grande & ſolo aſpectu terrorem incutiens Natura produxit? ut fortaſſis ſit pondus inutile terræ fruges conſumere natum, nec ulla hominibus præſtet commoda? Minimè: verum quia, Cicerone teſte, belluarum nulla prudentior, nulla fortior, nulla corporis lacertis laterumque firmitudine validior producta eſt, ut homini ſerviat, & ad ipſius commodum & recreationem ſuum conferat ſymbolum: & hæc eſt altera minus principalis finalis cauſa.

Sunt,



Fol. 23.

Jacob Petrus Sculpsit [illegible]

Sunt, qui inquisitionem in causas finales rerum Physicarum proscribere tentant, eamque magnæ arrogantiæ, temeritatis & impietatis argumentum esse arbitrantur, quo nomine etiam Cartesius à nonnullis culpatur: sed hi assensum non merentur, siquidem hoc ipso eriperetur Physico occasio, Summi Creatoris inexhaustam sapientiam penitius cognoscendi, eumque propterea laudandi & amandi. Hominis causa videtur omnia genuisse Natura, ut verè disserit Plinius l. 7. in procem. Nam omnia sunt propter hominem: homo autem propter DEUM & ipsius gloriam. Usum præstat Elephas homini militarem, œconomicum, culinarem & Medicum, de quibus infra pluribus agetur.

PARTIS I. CAPUT 3.

Elephanti pellem perlustrat.

CUm interioria rerum earumque specificas formas accurato mentis scrutinio indagare in hac humanæ mentis caligine vix possibile sit, siquidem entium quorumcunque quidditas & eorum veritas præcisa clausa est versus nos & patens ad infinitum secundum Helmontium tractat. animæ p. m. 351. exteriorem tamen illorum delibare corticem & curiosis perlustrare oculis licet: id quod etiam in Elephanti consideratione nobis contingit, cujus interna forma captum nostrum fugiens externarum partium contemplatione contentos nos esse jubet: quæ singulæ quo magis in Elephanto peculiaria præ aliis brutorum partibus exhibent, eo diligentius examinari merentur.

Hunc in finem optandum esset, ut anatomico cultro & oculo Elephantum trutinari nobis copia vel data fuisset vel adhuc daretur: quia verò hoc animal rarissimum est nostris præsertim in oris, vix illud sperare licet: eapropter illa, quæ exterarum Regionum Medici αὐτόπται literarum monumentis consignarunt, nobis hêic inservire debent: inter hos post Aristotelem prima occupat subsellia Galenus, qui libro 17. de usu partium se Romæ Elephantum secuisse testatur: sed dolendum est, quod in describendis ipsius partibus nimis parcus sit, de quarum nulla allegato loco, nisi de proboscide, alibi autem de vesica fellis disserit.

Anno 1682. A. Moulinus edidit Historiam anatomicam Elephanti Aõ. 1681. d. 17. Junii Dublini in incendio stabuli combusti, sed hæc valdè imperfecta est, nec quoad omnes partes absolvi potuit, cum in ambusto cadavere impossibile

fuerit, omnia accuratè observare: apud hunc authorem sceleton æri incisum videre licet, verum à flammis, in quibus Elephas perierat, aliquantisper mutilatum: Florentiæ verò in celebri Mediceorum Museo visitur ejusmodi sceleton integrum adhûc & inviolatum. Nobis à capite ad calcem progredi, Elephantum, quantum licet, contemplari, atque à cute ordiri lubet, cujus poros Moulinus aliquibus in locis invenit tam amplos, ut ferè oculis paterent.

Cuticulam Elephanti Dublini ustulati modo citatus author invenit ab incendiô à cute adhûc integra, (quoniam super hanc jacens inventus est Elephas,) elevatam, quasi scabie quâdam infectam, quæ aliquibus in locis verrucis profundè radicatis similis erat: hanc omnium, quas unquam viderit, fuisse densiorem tenacioremque testatur hic Author.

Durissimum dorso tergus est, ventri mollius: setarum hirsutiæ nullæ. Solinus c. 38. Cutem Elephanti rugosam, glabram, rimis, rhagadibus & tuberibus obsitam, inæqualem & cancellatam Plinius H N. l. 8 c. 10. Cassiodorus ulcerosis vallibus exaratam vocat: hæc in tantam duritiem solidatur, ut ossea fere appareat: hinc Galenus l. 3. de usu partium illam summè duram vocat: hæc facit ad arcendas aëris injurias, & ad securitatem contra Leones aliasque grandiores feras quibuscum Elephanto nonnunquam dimicandum est: aspera valdè est, fusci & cinerei coloris, ferè instar cutis equinæ à funibus detritæ: in tergo tam dura perhibetur, ut vix armorum ictibus aut bombardarum globis penetrari possit: hinc Mauri illa pro clypeô utuntur: Peguani verò hanc locô armorum gestant: pone aures verò & juxta oculos tam crassa non est: unde Oppianus de illa verè:

Scabra cutis corpus densa & crassissima cingit.
Non ense ancipiti aut ferrô penetrabilis ullo:
Vix ulli jaculo, vix ulli pervia telo.

Aretæus librô 2. c. 13. illam ita describit: Corium habet asperum, crassissimumque tumoribus inæquale, fissuras habens ceu semitas prælongas, alias divisuras concavas transversas, alias verò obliquas valdè profundas. Cutem mortuo detractam inter tangendum totam viscosam fieri, author est J. B. Tavernier Itinerar. Ind. l. 1. c. 18. Ad varios usus ut alia brutorum coria adhiberi à Ceilonensibus scribit Joh. Jacob Saar in disc. de rebus Ind. cap. 4. p. 67.

A. Moulinus sub cute ustulati sui Elephanti multas glandulas cum interspersa quadam pinguedine reperit: nullum autem panniculum carnosum fortè à flammis absumptum se invenire potuisse scribit: cum tamen hujus beneficio cute corrugata muscas enecari concedat: quod etiam in cute cervi observare licet, quæ pariter adeò mobilis est,

ut

ut ſua corrugatione muſcas apprehendat: Vid. beati D. Grabii Elaphographiam cap. 30. pag. 309. hinc forte natum proverbium: Fruſtra involat in Elephantum culex: multitudo tamen culicum Elephanto ſæpè faceſſit negotium, qui odore pellis Elephanti ad pungendum quaſi invitantur:

Iſt ſchon der Elephant das gröſte von
den Thieren/
Muß er doch offtermahls der Mücken
Stiche ſpühren.

de quo eleganter Nicol. Taurellus in emblem.

Magnum multa ſuis Elephantum muſca
fatigat
Morſibus: huic nec opem cauda pedesque ferunt:
Sed calvum mirâ ſuperat tamen arte Columbum:
Hic veſpas motu pellit: at ille necat:
Crudelesque ferus dura cute contrahit auceps
Rugas, veſpa quibus capta fremensque perit:
Vincere quando feros nullâ vi poſſumus hoſtes:
Quidni victa ſagax ſuppleat arma dolus?

Pleraque bruta pellem movent beneficio panniculi carnoſi ſtatim ſub pellè conſpicui: hinc Elephanti contracta complicataque pelle & procul dubio panniculo carnoſo muſcas interceptas conterunt: cum enim extenſi muſcarum receperunt examina, arctatis in rugas repentè cancellis comprehenſas enecant. V. Plinius l. c. has enim & tanta belluæ vaſtitas ſentit: quamvis enim dura ſit cutis, nihilominus illam pro lubitu contrahendo corrugant, hocque pacto Natura duce muſcas ſibi moleſtas enecare poſſunt atque elidere: caudâ enim glabrâ illud expedire non valent: ergò cute pro cauda, juba, villo hunc in finem utuntur: hinc natum eſt illud Phalaridis adagium: Culicem haut curat Elephantus: id quod dictum videtur ob ſingularem duritiem cutis Elephantinæ, quæ fertur etiam jacula excutere, tantum abeſt, ut culicis morſu poſſit offendi: adhiberi poterit, quoties ſignificare volumus, excelſis animis leves & vulgares injurias eſſe negligendas. Hêic merito reprehenditur Plinius, qui putat, ea animalia magis bruta eſſe, quibus craſſior eſt cutis: ſiquidem Elephanti, quorum tergora propter craſſitiem vix armis penetrabilia ſunt, nihilominus maxima præ reliquis brutis ſagacitate pollent.

An glabra vel piloſa ſit cutis, dubitat Plinius H. N. l. 11. c. 39. alibi verò Elephantorum corpora ſetas habere ſcribit; Ariſtoteles H. A. l. 2. c. 1. ſcribit: ὁ δ' ἐλέφας ἥκιστα δασὺς ἐστι τῶν τετραπόδων: id eſt, Elephantus in quadrupedum genere hirtus minimè eſt. Pilos Elephanti ex novo Orbe deportatos duorum palmorum longitudinem æquantes vidit Gillius: nullum alioquin tergori datum eſt ſetarum tegumentum, ne in cauda quidem pro abigendo tædio muſcarum, ſed cancellata cute in rugas coarctata illas enecant, ut modo dictum. Cardanus nudam eſſe ait Elephanti cutem, ratione

additâ, cur talis esse debeat: rarissimum enim esse scribit: ut unus aut alter pilus hinc colligatur: pilosam tamen esse putat supremam dorsi partem una cum auribus, non secus ac in aliis animalibus: in reliquis verò corporis Elephanti partibus non fuisse commodum crescere pilos existimat: nam materia pilorum in cutem translata duriorem illam efficit: ob id pili minus erant necessarii: qui si adfuissent, magnum incommodum attulissent in aquis & paludibus versanti: semel excussô autem tergore totus nitet, & celerrimè siccescit.

Cadamustus nigricantes pilos duorum palmorum mensuram excedentes ex Elephanto se evulsisse testatur, cui calculum suum addit Gillius. Augustinus Cassiodorus in descriptione Regni Congo cap. 10. p. 24. scribit, in caudis Elephantorum nigras atque splendentes videri setas junci crassitie, tanti apud Angolenses eorumque finitimos pretii, ut unus pilus pro duobus aut tribus mancipiis vendatur: quibus collum exornare solis Nobilibus sit concessum: & quô provectior ætate sit Elephas, eô nigriores in caudâ pilos alere refert: addit, hos pilos tam firmos esse, ut à robustissimô Virô disrumpi vix ac ne vix quidem possint.

Pilos in suô Elephanto A. Moulinus paucos invenit, sed notabiliter rigidos & ferè porcorum setis spissiores, nigros, juxta radices viscido quodam rore pro suo nutrimento obductos: observavit præterea glandulas miliares, ipsius judicio à sanguinis massâ materiam aliquam excrementitiam nutritioni pilorum aptam probabiliter separantes. Cute pilosâ non indigebat ingens hoc animal in calidissimis Indiæ & Africæ locis nasciturum & victurum, nec opus erat, ut contra frigus pilis tegeretur, quos si haberet, facilè propter affrictum, ad quem ob cutis pruritum valdè proclivis est, perderet.

In sectione Elephanti à D. du Varney Anno 1681. celebratâ in pelle distincta esse quatuor corpora advertit prosector: primum erat cutaneum corpus, densum admodum ex innumeris fibris mutuò implexis compositum: fibræ illæ magnâ ex parte erant tendineæ, venis, arteriis & glandulis consperfæ. 2. Corpus papillare in eâ cute manifestè apparebat: papillæ omnes penè erant uniusmodi & sibi similes. 3. Reticularis membrana ex thecis, quæ papillas involvunt, ita erat composita, ut unaquæque ex aliis constaret: postremò cuticula cum reticulari membrana arctè erat conjuncta, contra atque in homine. Vid. Joh. Baptist. du Hamel histor. Regiæ Scientiarum Academiæ l. 2. sect. 9. cap. 1. pag. 203.

Pellis Elephanti durissima & fusca est, accedens ad colorem boum, qui vulgò bubali appellantur, crassa medium digitum, lata novem pedes & decem digitos, longa verò à radice caudæ ad frontem tantundem:



Fol. 27. Jacob Petrus Sculpsit Erffurtj

dem: in quâ dimensione complectitur Gillius in descript. Elephanti colli pellem latam quinque pedes.

Elephanti corio circumtectus esse creditur, qui ἀναίσθητος, stupidus est, &

Vervecûm in patria crassôque sub aethere natus,

quem Germani Dickhäutig vocare solent: id quod Plautini sales in Milit. gloriof. act. 2. sc. 2. eleganter exprimunt, de quo supra cap. 2. dictum: nam antiquitus homo magnus simulque stupidus Elephantus vocabatur, crassitie & foeditate pellis Elephanti locum proverbio faciente. Vid. Petrus Laurembergius in anatom. corpor. humani exercitatione 2.

PARTIS I. CAPUT 4.

Elephanti Caput Partesque nonnullas supremi Ventris describit.

CAput Elephanto obtigit praegrande, latum vastumque, sed vix à brevissimo collo distinctum, & in ipsis humeris considens, cum fronte fornicatâ tam validâ, ut possit ea proceras palmas tantoperè impellere, donec ad casum inclinent, quas tandem pedibus impetens prosternit in terram. Vid. Aristot. l. 9. H. A. c. 1. cumque Natura ob robur & cornua (vulgò dentes) caput magnum efficere cogeretur, informe illud & sine rotunditate fecit: qualiscunque enim additio ad ornamentum facta capiti, ipsum in immensum auxisset: ob id valdè deforme caput habent Elephanti, ut scribit H. Cardanus subtil. l. 10. p. m. 560. unde Oppianus:

Huic informe caput robustum ingensque:

Magnum hoc caput innititur curtae quidem, ast robustissimae Cervici, ut secundum Aretaeum in ipsis humeris considere videatur. Ut scilicet Elephas esset robustissimus, collo brevi ipsi opus fuit, inquit H. Cardanus de subtil. p. 558. ac minimè flexili: unde & Leones cervicem rarò aut parum flectunt: estque id etiam signum in hominibus, si à natura sit, roboris & fortitudinis. Collum Elephanti brevius est, quam latius. Os vicinum pectori, quod oris porcini similitudinem aliquam gerit, atque hôc non promuscide sugunt, teste Aeliano & Aristotele histor. animal. l. 2. c. 6.

A Moulinus in anatomia sui Elephanti Aõ. 1681. edita refert, in craniô Elephanti esse magnum cellularum numerum, plerumque triangula-

gularium, membranulis obductarum, in quibus multa ſint vaſa ſanguinea curioſè diſpoſita, iſtasque cellulas ex tenuibus bracteis oſſeis factas eſſe. Johannes Rajus Anglus in Synopſi animalium quadrupedum obſervat, poſticam cranii partem in duos prægrandes ſinus ita dividi, ut clunes humanos referre videatur: neque ut in multis aliis quadrupedibus cerebello excipiendo cavitatem ſeu alveum productum extrorſum conſpicuum habere, ſed potius cranii humani figuram imitari. Cranium Elephanti in raritheciô Laurentiano Lipſiæ ſe vidiſſe ad me perſcripſit Excellentiſſimus Garmannus, beatæ memoriæ, ponderans tres ferè centenarios fortaſſis cum cornubus adhûc cranio adhærentibus.

Sub cranio Elephanti ſerra diviſo invenit A. Moulinus duram matrem validiſſimam, piamque matrem à ſubſtantiâ cerebri facilè ſeparabilem: pars corticalis cerebri videbatur ſolitò candidior: cerebellum humano ſimile: hoc cum cerebro pependit libras decem: nervos idem obſervavit validiſſimos, eorumque decem paria: vertebræ colli fuerunt ſeptem, dorſi viginti quinque: Dorſum erat arquatum, quæ figura maximè confert ad robur. Vid. Author locô citatô, ubi inferiorem maxillam Elephanti propemodum porci maxillæ ſimilem fuiſſe ſcribit.

Cerebrum Elephanto majus eſſe, quam cæteris animalibus, ſtatuit Dominicus de Marchettis in anatom cap. 12. p. m. 189. quamvis Ariſtoteles l. 2. de part. animal. cap. 7. ſoli homini hanc aſſignet prærogativam: hujus animalis naturalis ſagacitas, cujus infra fiet mentio, facilè evincit, quod ſat cerebri poſſideat. Secundum tempora ſpiramentum eſſe Strabo refert, per quod mas pingue quoddam tempore congreſſus emittit, idque & fæminæ tum patens.

Utrinque capiti alarum inſtar adhærent aures magnæ, latæ, pro corporis ratione exiguæ, pendulæ, duas vel tres tamen ſpithamas, & quod excedit, longæ, ad tres usque pedes porrectæ, ſecundum J. B. de Hamel hiſtor. Reg. Scient. Academiæ l. 2. ſ. 9. c. 1. conſciſſæ quaſi ac fiſſæ., tam validæ, ut Rector vel Seſſor, quamvis proceræ ſtaturæ Vir illis inſidere poſſit. Sunt absque formâ aurium & quaſi quadratæ, ut ſcribit Caſpar. Schott. Phyſ. Curioſ l. 8. c. 33. Sex ſpithamas in Regno Congo Elephantorum aures ſuperare, & ovali ſuâ figura oblonga Turcarum ſcuta referre ſcribit Aug. Caſſiodorus in deſcript. Regni Congo p. 24. Sex pedes in latitudine (fortè ambitu) aures habere ſcribit Zeiler centur. 1. epiſt. 25. Pendent inſtar alarum ad jugulum usque & pectus: alis veſpertilionum non ſunt diſſimiles ſecundum Petrum della Valle itinerar. l. 2. harum concuſſione culices & muſcas abigunt, id quod etiam proboſcide & caudâ præſtant, quousque licet;

Mobiles

Mobiles sunt aures reliquorum animantium more: movent enim illas ut ventilabra: solus homo aures non movet secundum Aristotelem l. 1. histor. an. c. 11. His foramen aurium, quod pollex implet, Elephas tegit, ut si velit, ne ventus quidem, multô minus insecta ingredi queant: crassitudo auris totius non est crassior reliquâ pelle: circa aurem pilos habet frequentes tres transversos digitos longos, quales etiam videre licet in dorsi supremâ parte. Vid. H. Cardan. lib. 10. de subtil. p. 550. Secundum Ælianum l. 8. c. 10. aures cervicem armosque tegunt, quemadmodum navigia velis conteguntur. Vid. Aretæum l. 2. de diut. morb. c. 13. P. Gillius in descript. Elephanti p. m. 20. Sub auribus locus est, cui scalprô mallei ictu adactô bestia interficitur; quod inventum Hásdrubalis fuisse Livius refert: hac in parte Elephas maximè sensibilis est: hinc uncô ferreô illum insidens Rector sæpè ferit, pungit, & quaqua versus compellit, ut scribit Joh. Jacob Saar in discursu de rebus Indicis cap. 2. pag. 16. & Petr. della Valle l.c. Apud Sambros Æthiopiæ populos omnes quadrupedes, atque etiam Elephantos auribus carere cum Plinio Solinus author est: an res ita se habeat, dubium: his enim cervicem armosque tegunt, sicut navigia velis conteguntur, quô simili utitur Ælianus lib. 8. c. 10.

Oculi quamvis satis magni & graviter se moventes, pro tanti tamen corporis magnitudine satis exigui apparent: hinc Oppianus:

> Illi oculi tanti tantô pro corpore non sunt:

Oculorum parvitas est, ut secundum Cardanum de subtil p. 559. tutiores forent ab ictibus, cum recondi non possent: recondi autem non poterant, quia à lateribus positi non vidissent ea, quæ ante occurrerent: necessarium autem fuit esse à lateribus, ne ob nixum cornuum, vulgo dentium, & proboscidis propinquitatem læderentur, atque ita animal ante senium cæcum efficeretur, tum maximè, quia longissimæ vitæ futurum erat.

Solet autem hos suos oculos graviter movere: suillis non absimiles esse Vartomannus & Casp. Hornius de Eleph. cap 2. scribit, qui ex Petro Gillio Albiensi citat sequentia: Similitudinem oculorum humanorum Elephanti gerunt non modò figurâ, sed etiam affectu ipso: humani enim sunt, graves & moderati, ut sapientiam, justitiam, moderationem, reliquasque animi dotes ab homine secundas præ se gerant: tanta enim gravitas in oculis est, ut vel ipso obtutu Regem se animalium, atque adeò humanis sensibus vicinum, imò proximum profiteatur: ignotos homines ad se accedentes, leves, insolentes, petulantes oculis internoscere præ se fert à moderatis & gravibus, quos libentius intueri videtur.

Acutô valdè visu pollere credit H. Cardanus lib. 10. de subtil. p. 550.

quamprimum in lucem editus eſt, circumſpicit de nutrimentô ſuô ſollicitus. P. à S.T. in itinerar. Or. p. 387. ſcribit, Elephantum habere oculos bovinis ſimiles, ſed pro proportione totius nimis parvos. Ovium oculis ſimiles oculos habuiſſe ſuum Elephantum teſtatur A. Moulinus in deſcriptione Elephanti.

Sub proboſcide, de quâ in ſequente capite fuſius agetur, latet os non adeò magnum in acumen deſinens ferè inſtar roſtri ſuilli canalis inſtar formatum, cui proboſcidem cibô & potu onuſtam, toties, quoties opus eſt, ſatis profunde ingerit: ſitum hoc eſt juxta collum & pectus, ut vult Aloyſius Cadamuſtus & Matthiolus comm. in l. 2. Dioſcoridic cap. 50. p. 215. atque hôc, non proboſcide catuli ſugunt, teſte Ælianô & Ariſtotele H. A. l. 2. c. 6. Interrogati & aſſuefacti proferunt ore hunc ſonum: Ho, de quo infra pluribus, quemadmodum equus ad ſonum tubæ dicit: Ha, Ha, He, cum è longinquo odoratur bellum, ut legimus apud Hiobum cap. 39. verſu 28. Fabuloſa ſunt, quæ Alcoranus Mahometicus l. 1. c. 2. p. m. 13. refert de Elephanto Abdalmutaliſum ita alloquente: Super te ſit ſalus, dignitas, honor & victoria.

Elephantus citra nares ore ipſo vocem edit ſpirabundam, quemadmodum cum homo ſimul & ſpiritum reddit & loquitur: at per nares ſimile tubarum raucitati ſonat, ut ſcribit Ariſtoteles l. 4. H. A. c. 9. Idem l. 8. H. A. c. 26. author eſt, quod interdum terram lapidesque ori ingerat, eosque devoret. Inferior maxilla hujus animalis porci maxillæ ſimilis eſt in figurâ, ſed quantitate longe major.

Linguam habet exiguam, aliquô modô latam, & magis quam in pleriſque cæteris animantibus intus poſitam & retractam, ita ut vix videri queat. Vid. Ariſtotelem l. 2. H. A. c. 6. H. Cardanum ſubtil. l. 10. Lingua Elephanto præcipue lata, inquit Plinius H. N. l. 11. c. 37. Nic. Perottus in Cornu cop. p. 228. Gillius non latam, neque planam eſſe ſcribit, ſed vergere in formam teretem, & deſinere in mucronem. Pro tanti animalis proportione perpuſilla, & pene abdita eſt, ut in vivente vix videri poſſit. Vid Caſp. Horn. deſcript. Eleph. p. 12. Brevicula & gracilis eſt, parumque mobilis, magnitudine cum bubula fere comparanda. Cum lingua ſit ob dentes, Elephas autem dentibus anterioribus careat, lingua parva & intus recondita opus fuit, quoniam dentibus molaribus inſervire debuit: ſimul ſi magna fuiſſet, impedimentum attuliſſet, ne proboſcis cibum usque ad dentes molares porrigeret.

Lingua ſecundum alios major eſt bovina in conſuetô loco ſita: ſed annotante A. Moulino loc. cit. hoc habet peculiare in ſe, quod meatus deorſum ad ventriculum per eam patuit, fuit enim foramen prope radicem ejus, in cujus medio

erat

erat initium œſophagi. Aſperam arteriam ſatis magnam obſervavit idem, ſed epiglottide deſtitutam.

PARTIS I. CAPUT 5.

Elephanti Proboſcidem examinat.

QUo loco aliis animantibus naſus eſt, Elephanti habent partem quandam pendentem, anguſtam, inanem, cavam ac longam, anterius carneam, & nonnihil cartilaginoſam, quam pro libitu contrahere, & ultra ſex pedes & ultra extendere poſſunt; ad terram hæc pertingit, in fine perforata, flexilis, lubrica & volubilis eſt, ſerpentis in modum: Lucretius ideo Elephantos anguimanos vocat. vid. Johan. Jonſton. hiſt. natural. de quadruped. l. 1. cap. 5. vocatur Græcis & Latinis naſus Elephanti vel potius pars à naſo porrecta demiſſaque terram verſus: Plinius nunc proboſcidem, nunc manum nominat lib. 8. c. 7. Dicitur etiam Latinis tuba, Promuſcis, a muſcarum ligula, ut vult Scaliger exerc. 194. 204. proboſcis, apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum manus, naſuta manus apud Casſiodor. lib. 10. varior. nam veluti manus illi, quaque omnia prenſat ſecundum Oppianum, promuſcis apud Vitruvium. Græcè προβοσκὶς, ἀπὸ τοῦ βόσκειν, à paſcendo, quoniam hujus membri adminiculô Elephas pabula ori ingerit, & ita paſcitur. Philoſtrato vocatur ἡ τοῦ ἐλέφαντος προνομαία pari etymo ἀπὸ τοῦ νέμειν, a paſcendo: vel ἀπὸ τῆς νομῆς, a paſtu, vel ἀπὸ τοῦ νομοῦ, a pabulo: aliis dicitur ῥὶς ἐλέφαντος, ut & Suidæ: Ariſtoteli audit Μυκτὴρ ſeu μυκασμὸς ἀπὸ τοῦ μυκάειν, a boando ſeu mugiendo: ſeu ἀπὸ τοῦ μύζειν, quod ſecundum Cœl. Rhodiginum ſignificat labiis occluſis ſonum naribus elicere. Gallis dicitur Trompe ou Muſeau d'un Elephant.

Hanc peculiarem partem, qua miranda præſtat, à Creatore ſortitus eſt Elephas; quamvis etiam alia minora animalia, v. g. loligo, ſepia, muſca ſecundum Athenæum gaudeant eadem in ſuo genere; hac cibum tam ſiccum, quam humidum capit, orique perinde ac manu admovet: arbores etiam eadem complectendo evellit, ut ſcribit Ariſtoteles l. 2. de part. an. c. 16. Hinc Cicero I. A. 231. ſcribit: Manus data eſt Elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habent ad paſtum. De hac H. Cardanus l. 10. de ſubtil. p. 550. ita ſcribit: E ſuprema parte frontis naſus exporrigitur, non ut in aliis animalibus junctus Capiti, ſed disjunctus, quia usque ad terram

ram propendet, & tanta ferme est ejus longitudo, quanta animalis altitudo: hanc narium loco esse nemo dubitat, postquam divisa est, ut nasus, & ea respirat atque odorat. Hinc Aristoteles loco citato ita scribit: Narem Elephantus habet, ut spiret, quomodo & cætera animalia, quibus pulmo, eandemque prælongam atque in anfractum flexibilem, propter moram in humore diuturnam, & tardum inde discessum.

Vi odorandi præstat Elephas: nec solus vultur odoratu præcellit, aliis etiam animalibus hic abundè concessus est: sic Leo sentit coitum in adultera odore, annotante id C. V. Schneidero l. 5. de catarrh. cap. 1. pag. 97. Teste Æliano Elephas etiam suaveolentibus mirificè delectatur; hinc Joh. Faber Lynceus prodit, ejus sudorem moschum olere: odoratur, inquit Plinius, manu haut improprie sic appellatâ, quasi oblongâ tubâ multnm conferente ad odorandum.

Proboscis ad prensandum pabulum contentius exporrecta pedibus quasi quinque & quatuor digitis a rictu antrorsum aut septem ped. ad lineam inter oculos transversam mensurabatur a ClarissimoSturmioTract. de Elephanto cap. 1. Substantia ejus nervosa & muscularis est, valde mollis, flexilis & corrugabilis, sed obrigescere quoque apta: siquidem & in terram usque extendi potest, vix tum humano brachio crassior, & retro colligi in unius fere cubiti brevitatem, sed valde spissa & lata tum evadens, subrigi denique tanto robore, ut insidentem Magistrum nullo negotio in sublime attollere, & quaquaversum circumportare posit: variâ ejus inflexione Elephas avenam ex vanno quasi manipulatim involvit, panes simulagineos complectitur, & ori admovet, potulenta excipit, eaque introrsum flexa proboscide ad oris intima faucesque ipsas & linguæ radicem immediate transfert, miro imprimis tortuosi flexus in potulentis transportandis, (ne quid scilicet in via effundatur,) artificio: ut haut immerito proboscis hæc Elephanti manus vel cum addidamento manus nasuta dicatur. Vid Sturmius loco citato. Nervosissima est extrema illius pars ac tenerrima, (cujus percussionem valde metuit Elephas,) tribus velut apicibus prædita, quibus minutissimas res tanquam digitis comprehendere potest. Vid. beati Job. Ludolffi Hist. Æthiop. c. 10. l. 3. hac nummos in terram projectos tollit, & sessori suo porrigit: hâc scutellam vino plenam ita humo elevat, ut citra effusionem sessori det ebibendam; eadem ori suo una vice plures quam sedecim vini libras infundit, idque aliquoties iterat, si copia datur.

De hac Galenus l. 17. de usu part. in princip. ita scribit: habet hoc animal, quo loco aliis est nasus, partem quandam pendentem, angustam, ac longam, adeo, ut ad terram pertingat: quam cum primum sum con-

conſpicatus, ſupervacaneam atque inutilem eſſe putavi: cum autem animal ipſum ea uti pro manu animadverti, tunc non amplius ipſam judicavi eſſe inutilem, quod uſus hujus partis cum actione utili eſſet conjunctus: quandoquidem partis uſus ita demum apparet, ſi actionem habeat utilem: hac parte ceu manu ſic omnia tractat Elephas, eamque ita rebus apprehendendis applicat, ut ne minima etiam numiſmata ipſum effugiant, quæ Rectori vel Seſſori ſuo tradit: quemadmodum igitur, ſi animal parte hac non uteretur, ipſa eſſet ſuperflua, & Natura, quæ ipſam conformaſſet, non ubique eſſet artificioſa: ita cum actiones per eam obeat utiliſſimas, ipſa quidem eſt utilis, Naturam autem oſtendit eſſe artificioſam: poſtea vero cum ipſam animadvertiſſem in fine eſſe perforatam, intellexiſſemque præterea, animal ipſum per foramina iſta velut per nares reſpirare, cognovi ſane, eum quoque uſum animali partem hanc præſtare; poſtquam autem mortuo Elephante usque ad radicem partis ipſius diſſecans, meatus, qui a foraminibus ſurſum feruntur, reperi non aliter, quam in nobis, exitum habere duplicem: unum quidem, qui ad ipſum cerebrum perveniebat, alterum autem in os perforatum, impenſius adhuc Naturæ artem ſum admiratus: ubi autem etiam didici, ipſum animal, cum fluvium aut lacum profundum trajicit, ut totum ipſius corpus demergatur, per ſublatam in altum hanc proboſcidem reſpirare, Naturæ providentiam intellexi, non in eo duntaxat, quod partes omnes ipſius animalis pulchre conſtruxerit, ſed quod ipſum etiam eis uti docuerit. Hactenus Galenus l. c.

Hujus partis motus cum admirabilis ſit, ſpecialem utique & diffuſiorem requirit theoriam: hac utitur bellua ad varios uſus cum inſigni ſpectatorum voluptate, extendendo & contrahendo ipſam: hæc ipſius manus eſt apprehenſioni inſerviens: inquit Ariſtoteles lib. 2. de part. an. c. 16. ea enim non alio modo utitur, niſi ut manu: quin & omnis vis in ea videtur ſita eſſe: eâdem arbores dejicit, ab equo Equitem deturbat, peditem correptum, quo libuerit, projicit: gladio ad eam alligato in bello hoſtes interimit: per hanc Rectores aſcendunt & deſcendunt: hâc hominem in ſublime tollunt, iterumque juſſi deponunt; hâc grandia levant onera & aſportant: eâ ſolus inter reliqua animalia cibos tam ſiccos quam humidos colligit, capit & ad os admovet; eâdem ſpirat, bibit, ſeu potius attracta potulenta ori ingerit & faucibus infundit, ut & odoratur: eandem Rectori ſuo & ſpectatoribus ſæpè, quemadmodum homo homini manum in fidem offert: eâ aquam haurit & aſpergit illâ circumſtantes: hinc rectè Cœlius Rhodiginus lect. antiq. l. 2. c. 28. inquit: in Elephantis mira & peculiaris narium ratio eſt:

 quip-

quippe implet iis manus vicem. Vide Philostrat. l. 2.

Proboscis ei ad terram demissa & anterius carnosa est: hâc cibum potumque assumit in os, quod ei sub cervice est, sicut Sturioni: eâdem aliquoties nummum è terrâ tollentem vidi, & aliquando detrahentem ramum arboris, quem Viri 24. fune trahentes ad humum flectere non poterant, eum solus Elephas tribus vicibus motum detrahebat, ut scribit Vartomannus. Secundum Albertum Magnum longa est decem cubitos, quando extenditur: hâc utitur tanquam manu in capiendo cibo, bello & aliis operibus.

A superiori maxilla, ubi alioquin genis locus est, emergit & propendet prælongum hoc rostrum, partim carne, partim cartilagine ob majus robur præditum, in omnem partem flexile: illud pro lubitu contrahit, interdum ad septem, imò decem pedes extendit: parte superiore latius est: inferiore sensim acuminatur & gracilescit: in extremitate rostrum suillum æquat, duobus foraminibus instar narium pertusum, quæ per longitudinem se extendentia illud totum intus cavum reddunt: hæc duo foramina usque ad pulmones pertingentia, duplicisque tibiæ imaginem referentia Naturam terebrasse Aretæus scribit: animal ipsum per foramina illa velut per nares, & cum fluvium aut lacum profundum trajicit, ut totum ipsius corpus demergatur, per sublatam in altum proboscidem respirat, ut supra dictum: hæc ferè se habet instar instrumenti urinatorum, quô quamdiu in profundo manent, aërem extrinsecus attrahunt.

Super illa foramina videre licet parvam quandam & acutam lingulam, quæ Aristoteli τραχύτις dicitur: hâc omnis generis acceptas res involvit, minutas v. gr. nummos, saccharum, hordei & tritici grana, semina, uvarum acinos & similia concurrente beneficiô aëris per modo dicta foramina attracti tollit, apprehendit, & nummum etiam humi projectum facili negotiô attollit, sublatumque populo ostendit, aut sessori suo porrigit: majores verò res incurvatâ nonnihil proboscide tàm tenaciter & arctè tenet, ut citius Herculi clavam, quam huic illas extorseris: hâc exhaurit scyphum vini, quod postmodum ori infundit: hâc corollas nectit, quod fecit Elephas Noribergæ Anno 1629. visus, qui referente D. Casp. Hornio l. c. corollas ex stramine nexuit: hâc muscas abigit, & in illas arenam spargit: hâc gubernatorem suum elevat, & ad ipsius nutum circumgestat.

Nunquam hanc non occupatam videas, siquidem sine intermissione hinc inde movetur: in campo si fortè Elephas versatur, herbas vel arborum folia hâc decerpit, hâc lapides à se longè, imò nonnunquam ad scopum directos ejaculatur, hâc aquam haurit, quâ aspersâ corpus

corpus lavat: hâc ſublatis humô terræ glebis aut ſaxis ludit: id quod eleganter Gillius locô citatô deſcribit: In itinere, inquit, promuſcidem gerit ad terram porrectam, & niſi paululum eam incurvaret, reptantem humi traheret, aut pedibus calcaret: hinc Oppianus:

> - - - terram demitttitut usque
> de medio omnigenos longiſſima naris ad uſus
> Incurva & tenuis. - - - - -

ipſam hûc illûc circumfert, ſemper inquirens aliquid, quod edat, nunquam otioſam habet, nunc folia ſtringit, nunc herbas decerpit, &c. & paulô poſt: Nunc à vicinis quippiam expoſcit, & cum hæc deſunt, promuſcide ſaxa volvit, aut terram projicit: hanc tam flexibilem habet, ut eâ utatur ſupinâ, pronâ, obliquâ, eamque modò infra ventrem, modo in latera inflectat, abigens & elidens crabrones, vel pulverem inſpergat loco, cui inſident, modô reflectat ſurſum verſus, ut etiam ſupra caput erigat: hâc geſtat catulos parvulos in ſublime elevatos, cum per aquas transeundum eſt: natare enim nequeunt, utut impensè delectentur aquis: quamvis natare Elephantum putet S. Gregorius, quando ſacram Scripturam comparat magno fluvio, in quô natat Elephas, & ovicula pedibus tranſit.

Proinde non inconcinnè hæc pars nonnullis manus naſuta vel ſimpliciter manus vocatur, cujus ſimilem uſum ad unguem Elephanto exhibet: hinc eleganter Oppianus:

> Illa feræ manus eſt, illâ quæcunque libido eſt
> Expediunt, hanc mille modis variant Elephanti:

hujus ope ſicca & humida alimenta ad os deportant: ſiquidem ipſis non eſt integrum ob brevitatem colli & ingentem corporis molem aliorum brutorum more pabulum humô tollere aut dentibus arripere: eapropter opus habent hoc flexili & in omnes partes convolubili organô, quô quælibet obvia, minuta magna & mediocria apprehendunt mediantibus ſpiritibus per fibras muſculares copiosè diffuſis: cum enim pedes ſat proceros & cervicem difficulter mobilem ſortiti ſint, atque inſuper prælonga cornua, (vulgo dentes) cibum ſumpturis remoram objiciant, non poſſunt ore decerpere gramina, vel boum more collô ad terram inclinatô pabula capere aut aquam haurire, quam ob cauſam hôc organô à natura commodè ſubſtitutô indiguêre, ſingulari privilegiô nullis cæteroquin quadrupedibus conceſsô: Veterum nonnulli Elephantos boves anguimanos appellarunt. Inter marina dantur conchæ & cochleæ, ſepiæ & lolligines promuſcide donatæ, quibus capiunt & ori admovent cibum: inter inſecta muſcæ tam firmam habent, ut & quadrupedum terga penetrare & perforare poſſint.

Subſtantia autem proboſcidis hujus multum à ſubſtantia naſi differt:

fert: nam tota nervea est & quasi coriacea, adeò ut eam colligat atque remittat Elephas pro lubitu: tam brevem enim quandoque facit & contrahit, ut vix cubitum superet, & tum latissima est: interdum verò illam ita extendit, ut ad terram descendat, & tum vix humanô brachiô est crassior: est tamen mollioris substantiæ, quam reliqua cutis: ideò Romani in acie eam præscindere aggrediebantur: facilimè enim illam amputari Pyrrhi præliorum experimentis patuit, ut scribit Plinius l. 8. H. N. c. 7. circumvolvit eam undique & maxima cum celeritate: suo Rectori eam porrigit atque offert, ut ascendat, eâ sylvas vastat, atque arbores prosternit unô vel altero tractu, quas plures homines evertere nequeunt, imprimis palmas ut earum fructibus potiatur: hinc Oppianus:

> Fagos ille altas, oleastros, celsaque sternit
> Secula palmarum, & veteres radicitus ornos.

Quando esuriunt, cibum extentâ promuscide capiunt, eam in os reflectunt, ejusdemque extremam partem pabulum tenentem intra os, ut homines solent cochlear, immittunt: pari modô, quando sitiunt, ut eleganter id describit Aretæus, proboscidis extremam narem in aquam demergunt, deinde tanquam respirantes vice aëris multum aquæ attrahunt, iterumque effundunt, quoad ventrem tanquam onerariam navem compleverint. Hôc officiô pedes Elephanti tanquam animalis digitati fungi debebant, ut philosophatur Aristoteles l. 2. part. an. c. 6. hos enim manuum vice habet genus quadrupedum digitatum, (πολυδάκτυλον,) non solum ponderis sustinendi causa: cum autem vastissimum sit hoc animal, ejusque grandi ponderi sustinendo vix sufficiant pedes, proboscide utitur hîc natura ad supplendum eorum ministerium.

Adjuvat & proboscidis longitudo ad decerpendos fructus & ramos, ne universas arbores evertere cogeretur, quod fuisset laboriosum atque damnosum, nec solum ipsi, sed etiam aliis, sublatô scilicet alimentô imposterum. Vid. H. Cardan. de subtil. l. 10. p. 557. & seq. qui vidit illum prementem capite ea, quæ voluit evertere. Ingentia onera proboscide attollunt: robustos viros proboscide comprehensos in sublime rapere, & terræ allidere possunt. Si fortè quis illos injuriâ aut contumeliâ affecerit, proboscidem putidâ aquâ replent, eâque adversarium fœdè contaminant. Ensem solebant olim Indi alligare proboscidis imo, quô hostes occiderent: moniti enim sola Rectoris voce norant, quos ferire & à quibus abstinere debebant. Proboscidi tanta facilitas tractandi, ut etiam stipem Elephas illâ colligat: unde illud adagium Augusti dicentis cuidam libellum supplicem sibi cum timore porrigenti: tanquam Elephanto stipem porrigis: constringit enim proboscidem



Fol.36. *Jacob Petrus Sculpsit. Erffurti.*

boſcidem in imo ut libet, parteſque alias extendit, alias contrahit, ut vix homo melius digitis quicquam apprehendat.

Non malè Scaliger l. c. proboſcidem vocat tubam ob longitudinem ſcilicet & cavitatem, ſiquidem horribilem proboſcide ſonitum, raucam vocem ſeu barritum edit, tubæ ſono æquiparandum: per illam enim ceu inſtrumentum longum & concavum ſimile tubarum raucitati ſonat, ut ſcribit Ariſtoteles l. 4. H. A. c. 9. inſtar hominis loquentis ſimul & ſpirantis, unde eam ſpirabundam vocat Plinius l. 11. c. 51. Itaque propria ipſius affectio barritus eſt, quod vocabulum vocem Elephanti non malè exprimit: edit enim iſtum ſonum, quem prima refert ſyllaba: verbum autem barrire an ſit Romanum vel aliunde translatum, & poſtmodum forô latinô donatum, aliis relinquo diſquirendum: barrire itaque ſecundum Feſtum dicuntur Elephanti à ſonô vocis, hinc & ipſi barri vocantur: unde barrire etiam dicuntur milites, cum ineunt prælium: ſolent enim clamore accendere animos, ut pugnam animoſius aggrediantur.

Natura hanc Elephanti partem ad plura officia condidit, ſiquidem unius rei plures ſunt fines: ſpirant enim & bibunt, odoranturque ſuâ haut impropriè appellatâ manu ſecundum Plinium H. N. l. 8. c. 10. proboſcide aërem attrahit: nam ſecundum Ariſtotelem l. c. omnia animalia, quibus pulmo eſt, nares habent, ut ſpirent: indiguit autem Elephas tam longô nasô pro faciliori non ſolum in terreſtri itinere, verum etiam, quando ipſi per flumina ambulandum eſt, reſpiratione: hæc ſi nimis profunda ſunt, proboſcide extra aquam exſerta ſe aquæ committit, more urinatorum longo canali coriaceô capiti atque ori applicato, cujus orificium ſupra aquas eminet, pro captanda reſpiratione utentium, cujus adminiculo ſpiritum ducere, & ad tempus ſub aquis permanere poſſunt.

Quando ad ſomnum ſe componit Elephas, ſpirat & reſpirat magno & longo ſonitu: nam ſecundum Gillium in deſcript. Elephanti p. 8. ejus una ſpiratio tamdiu durat, ut triginta vocabula proferre poſſis, totidemque a fine exſpirationis ad initium inſpirationis repetere valeas: in exſpiratione tantum temporis ponit, quantum in inſpiratione; quæ utraque cum ſit ſonans velut fiſtula quædam, tamen ſpiratio eſt ſine percusſione ſoni: at reſpiratio habet quaſdam percusſiones velut fiſtula ad tactum foraminum: Citra nares ore ipſo vocem elidit ſpirabundam, quemadmodum cum homo ſimul ſpiritum reddit & loquitur: At per nares ſimile tubarum raucitati ſonat ſecundum Ariſtotelem loco citato; ſternutamento ſimilem edit ſonum ſecundum Plinium l. c. interdum cum aliqua concusſione corporis. Elephantorum ſpiritum ſerpentes extrahere

ex latebris Plinius H. N. l. 11. c. 53. ſcribit: quemadmodum ſpiritus cervorum illos urit authore eodem.

Non ſolum per proboſcidem, verum etiam per os emittit vocem: qua ratione Elephas aſſuefactus ad interrogata reſpondet: Ho! quando ſcilicet ex illo quæritur, an Rectorem ſuum diligat? an vinum vel aliud quid bene ſapiat? & ſimilia.

Beneficio hujus proboſcidis ſeu longi naſi Elephas exquiſito pollet odoratu: nam judiciô Philoſophi l. 2. de gen. an. c. 2. illa animalia, quorum nares porrectæ ſunt longius, quam maxime valent olfactu: hinc Elephas melones & cucumeres, quibus impenſe delectatur, ê longinquo odoratur. Hominem cum valde timeant, ejus veſtigia ſolerter obſervant: dum ex ſylvis progrediuntur, primus in ordine herbam ab homine conculcatam forte offendens, illam ſtatim decerpit, eamque ſociis ſuis communicat, quo facto omnes odore hominis percepto dilabuntur. Semper ſuæ proboſcidi timet valdopere Elephas, gnarus illam facile amputari poſſe: quapropter illam urgente periculo ſub alvum flectit & abſcondit.

Promuſcidis detractam pellem P. Gillius invenit latam pedem unum & ſex digitos: â radice dentium exteriorum ad nares longam 4. pedes & 6. digitos: in extremitate, ubi nares exitum habent, craſſam digitum unum: & differt pars inferior â ſuperiore: nam inferior extremitas, facta velut labrum, lata eſt 5. digitos, craſſa digitum: at pars ſuperior in mucronem deſinit, & tres digitos longior exiſtit, quam inferior pars: ſenſim deſinit in mucronem initio latum tres digitos, in extremo minimum digitum: hâc ſuperiore parte aperire & tegere nares ſolet, & eam incurvare, ut nos digitos ſolemus, cum aliquid capere volumus.

Lubet heîc inſerere illa. quæ Anno 1681. d. 5. Februarii in ſectione Elephanti Verſaliis â D. du Verney facta obſervata ſunt de proboſcide, quæ ex parvis muſculis pene innumeris erat compoſita, quinque & amplius pedes longa, quam ad libitum contrahebat & producebat: Extremum illius paulo latius inſtar crateris, cujus ora foris exſtabat, & ex ea velut digitum proferebat, quo quidem perinde ut manu uti ſolent Elephanti, quo Elephas hic funiculum nodo aſtrictum ſolvebat, & minutiora corpora contrectabat, graviora frangebat, atque ex illa appendice onera ſurſum tollere viſus eſt: in imo hujus vaſis ſunt duo foramina, quibus ducunt & reddunt Spiritum, atque hujus attractionis vi potus proboſcidis cava ſubit, qua ſubinde inflexa per os hunc demittit non ſine ſtrepitu, ex imo pulſu aëris non ex ſuctione ipſa profecto: Sic herbam eodem proboſcidis extremo avellit, eamque glomeratam in oris

intima

intima propellit: nullum enim cibum ore ipſo ſumit, niſi per proboſcidem: unde & nares in proboſcide ſunt collocatæ, ut ciborum naturam olfactu ipſo exploret, ne quid noxium aut ingratum intus ſubeat.

Itaque uſus proboſcidis & functio eſt multiplex: nam ducit aerem per aperta illa duo foramina: per eadem potum in oris cavitatem transmittit: in omnes partes ſe inflectit, variis quoque modis ſeſe contrahit & producit, idque per membranas tendineas & nervoſas, per carnem muſculoſam nullis oſſibus firmatam. In medio proboſcidis duo ſunt tubi membranoſi & læves, per quos aer ſpirando ductus & aqua epota transmittuntur, ille in pulmonem, hic in œſophagum & ventriculum: ductus illi in extrema ſui parte ſunt latiores: ſic aer exſpiratione ipſa liquorem majore vi protrudit in oris cava, quod ex ampliori ſpatio in anguſtius commeet: non enim conſtrictione ſuccesſiva, ut in œſophago & in ipſis inteſtinis hic motus perficitur, cum fibræ carneæ & circulares deſint. Actiones quippe omnes proboſcidis contractione & productione continentur, ſed utraque diverſis plane fit modis: fibræ enim utriusque actionis effectrices nactæ ſunt contrarios ſitus: ex iis aliæ muſculos componunt, qui una ſui parte extrema cum interioris ductus membrana, parte altera cum exteri proboſcidis involucro connexi perpendiculares dici poſſunt, quod ad angulos rectos tum interiori, tum exteriori membranæ inſiſtant. Alii vero muſculi ſunt quodammodo utrique membranæ paralleli, iique ab uno extremo proboſcidis verſus alterum incedunt.

Perpendicularium numerus eſt prope infinitus, atque horum pars carnoſa verſus ductum interiorem, tendinea verſus exteriorem membranam dirigitur: contra accidit in muſculis parallelis, qui ita ſunt inter ſe aptati & conſerti circa cujusque parvi muſculi ventrem, ut plures unum & eundem velut muſculum inſtar lori prælongi a ſumma proboſcidis parte ad imam deſcendentis octo aut decem lineis lati efficere videantur. Horum tendines membranæ interioris ductui oblique inſeruntur, alii ab aliis ſejunguntur per membranam e tendinibus perpendicularium muſculorum conflatam: ſed minores muſculi, ê quibus paralleli majores coaleſcunt, ſuos habent tendines cum parte carnoſa cujusque perpendicularis muſculi permiſtas & confuſas quodammodo: nam paralleli quique muſculi, cum duo extrema habeant interiori ductus membranæ, & ventrem exteriori proboſcidis membranæ affixum, ii non recti ſed curvi ſemper manent: ex iis utcunque intelligitur, qua ratione proboſcis contrahatur & producatur: cum enim muſculi perpendiculares vim ſuam exſerunt, tum exteriorem proboſcidis membranam ad ipſam ductus,

ductus membranam propius adducunt, sicque imminuta crassitie proboscidem in longum magis produci necesse est.

Paralleli vero junctis agunt viribus, atque id præstant, ut partes interioris ductus, quibus ii musculi tendines suos habent affixos, ad sese mutuo accedant, unde & proboscidem contrahi necesse est: atque ut hi musculi variis in locis motus suos exserunt, diversi quoque motus fiunt, & variis modis proboscis ipsa inflectitur: & quidem ea distendi & contrahi potuisset per fibras circulares, & sphincteres quosdam: sed ea fibrarum structura ductus ipsos, qui patentes & aperti esse debent, plus satis coarctasset: unde huic incommodo per musculos perpendiculares cavit supremus naturæ opifex, iique uno & eodem tempore exteriorem proboscidis membranam intus adducunt; & ductuum interiorum membranas diducunt: quæ enim necessaria est proboscidis productioni contractio, ea solis musculorum carnibus interjectis perficitur, unde & ductus semper aperti & liberi manent. Vid. Joh. Baptist. du Hamel Histor. Regiæ Scientiarum Academiæ l. 2. pag. 204.

Optandum esset, ut etiam illa, quæ in hac sectione de pellis Elephantinæ structura curiose annotata sunt, & quæ ad musculorum, viscerum, ossium & aliarum partium conformationem spectant, in lucem prodeant.

A. Moulinus in sectione sui Elephanti cum separasset â fronte proboscidem, observavit ejus substantiam ad amussim similem linguæ bovinæ excisæ cum multa interspersa pinguedine, potuitque ibi discernere tres distinctos fibrarum ordines, unum oblique & spiraliter descendentem, alium spiraliter sed crucis modo descendentem, tertius ordo constabat fibris rectis, quibus adminiculis proboscis extendi, contrahi, sursum, deorsum, dextrorsum & sinistrorsum pro lubitu animalis moveri potest: hic motus cum omnino sit singularis, & ab aliis plane diversus, requirit singularem theoriam, quam exactam & omnibus numeris absolutam videre Author mecum in votis habet, & ab eruditis Anatomicis, quibus hæc animalia secandi datur copia, exspectat: interim ipse existimat, hunc motum fieri â circularibus fibris. vid. Author. l. c.

PARTIS I. CAPUT 6.
Elephanti Cornua (vulgò dentes) trutinatur.

CORnua propriè dicta cernuntur in animalibus, quorum robur, virtus & pulchritudo ex illis elucet: hinc in sacro codice cornu metaphorice sumitur pro potestate, siquidem cornuta animalia cornibus se defen-

defendunt, & adversarios prosternunt: ita dicitur Ps. 75. Cornua impiorum confringam: denotant præterea Cornua dominium & regimen: nam animalia, quæ magna habent Cornua, plerumque reliquis dominantur: hinc Propheta Daniel c. 7. potentiam regnorum, bella & victoriam per cornua animalium describit: tandem arguunt pulchritudinem, quoniam brutorum decus ex parte consistit in cornibus. Jobus etiam filiæ suæ perquam speciosæ à cornu nomen indidit, appellando eam Kerenhapuch, cornu conversionis, cap. 42. Ita Zacharias Lucæ cap. 1. Redemptorem nostrum pulchrè nominat κέρας σωτηρίας, Cornu salutis: & Regius Propheta David DEUM suum vocat Cornu salutis suæ, Psalm 18. qua de re pulchrè disserit D. B. Meisnerus in Meditation. Evangel. festiv. p. m. 625.

Cum itaque Elephas inter præcipua animalia bruta prima occupet subsellia, opus habuit ad suam defensionem & ornatum more reliquorum etiam cornibus, sed omninò singularibus: ex hujus enim ore utrinque eminent duo cornua, (Maulhörner) quæ Plinius arma vocat ingentia, resimata, deorsum retorta, recurva & aliquot pedes longa, nata è mandibula superiore, proboscidem in medio habentia, dignitatis & præeminentiæ argumenta, tantæ molis ac roboris, ut iis hominem, imò & trabem transversam imponere, atque in altum attollere nullo negotio queat: evertit ædificia cum impetu dentes admovens magnos, inquit Aristoteles H. A. l. 9. c. 1. Hic statuit, cornua Elephanto esse denegata, cum magnitudinis ipsius exsuperantia ad injurias arcendas sufficiat: Veris autem cornibus Elephantum gaudere, patebit ex sequentibus: Denn er reisset von den Bäumen grosse Aeste vermittelst seiner Maulhörner herunter/ ut scribit E. G. Happelius p. 2. rel. Cur. p. 731. Arbore exacuant limantque cornua Elephanti, ut saxo Rhinocerotes, & apri dentium sicas, ut legimus apud Plinium H. N. l. 18. c 1. Juba vocat cornua: Ezechiel verò Propheta misto nomine nominat cornua dentis. Si quid ex cornibus & dentibus compositum esse dixero, nemo vitio daturus est, scribit Ulysses Aldrovandus l. 1. de quadruped. p. 200. Varro l. 6 de I. L. Elephantos dicit quadrupedes cornutas.

Hæc cornua, (quæ masculis sunt reflexa, & quasi falcata, fæminis verò nonnullis recta & prona) Aretæus describit, quod sint communiter prorsum spectantia, recta non admodum, sed paululum in superiora retorta, ut pondus extollere possint: cui adstipulatur Petrus Gillius, inquiens: errant, qui dicunt, ea vergere ad terram: non enim sursum, neque deorsum, sed recta in anteriorem partem sensim in fine incurvata sursum versus feruntur. Vulgus hæc cornua cum Herodoto l. 8. c. 3. & ipsa vulgari consuetudine dentes vocat, hinc Priscianus:

Vel dentes stringunt Elephantis ab ore revulsos,

sed minus rectè, ut infra patebit: cujus sententiæ etiam fuit Plinius, qui l. 11. c. 37. hæc habet: Dentium tria sunt genera, serrati aut continui aut exserti: Serrati pectinatim coëuntes, ne contrario occursu atterantur, sunt serpentibus, piscibus, canibus: continui homini, equo, bovi: exserti apro, hippopotamo, Elephanto.

Quemadmodum autem communiter dentium materia non est merè ossea, sed inter os & petram media sive neutra: ita etiam secundum Helmontium de lithiasi c. 1. cornu (vulgò dens) Elephanti magnam partem ossis habet, alteramque lapidis seu dentiformem: Sic ex mente ejusdem l. c. Cornu cervi partim de materiâ osseâ, partim de ligneâ participat: adeoque & propterea spinas atque ramos æmulari annnueque decidere videtur, ob proprietatem frondium & partis ligneæ retentam: cujus asserti valorem in medio relinquo, & Ælianum l. 11. c. 37. secutus existimo, τὸν ἐλέφαντα ὀ ὀδόντας ἔχειν, ἀλλὰ κέρατα: Pagninus קַרְנוֹת שֵׁן vertit cornua eburnea: & Tremellius cum Junio cornua eboris: Veteres etiam Elephantos cornutas quadrupedes vocarunt. Vid. N. Perottus in C. C. p. 22.

E superiore mandibula hæc cornua nasci negat Scaliger, exerc. 204. quando ait: Eorum maximus error, qui dentes illos (ut vocat) è superiori nasci mandibulâ atque deorsum spectare prodiderunt: nam præter sensus fidem, quæ id falsum esse docet, est subtilitas in duabus rationibus: priorem sumimus ab usu: alteram è constitutione: usum eorum in gentilitiis ajunt præliis: quamobrem obtrectationis impatiens animal in rivalis perniciem illos acuere legimus: tam vasti dentis igitur ima cuspis quam in partem ictum infligeret? deinde quî fieri possit, ut tam latum pectus tam parvæ cederet distantiæ, quanta à primore mandibula proficiscitur? Nam & eorum flexus & colli brevitas effecissent, ut aut pectori infigerentur, aut inter crura subtus ipsum pectus tegerentur.

At contradicunt Scaligero plurimi Authores, inter quos Pausanias curiosus harum rerum indagator & oculatus testis expresse scribit: In Elephantis à superiore id, quod dentes multi esse putarunt, descendit maxilla: cui suffragatur Aretæus inquiens: Cornua non semper frontem & tempora, qualis cornigeris natura est, sed in ore & superiore maxilla sita sunt: his addit suum calculum Garzias ab Horto, per 30. annos in Indiis versatus, ut & Oppianus ita canens:

E superis surgunt gemina arma valentia malis
Porrecta in cœlum geminos imitantia dentes.

&

& alibi canit:

> - - - vulgus dentes existimat esse:
> Non sic appellare placet, sed cornua duci,
> Cornea cum virtus illis videatur inesse.

Idem sentit Helmontius in tractat. Terra inscripto p. m. 56. refeferens: in Hingsene prope Scaldim 12. pedes subter Horizontem, humidô prato repertum fuisse cornu vulgò dentem Elephantis cum totâ maxillâ, cujus tertiam partem duorum pedum longitudine se asservare secum scribit & hinc quandoque vivos Elephantos in hoc tractu fuisse autumat. Sed cornua non dentes esse, ex quibus ebur fit, apud Habessinos etiam populos aliosque non ambigitur, & ipsa materia & situs id docent, ex cranio enim proveniunt: fœminæ illis utplurimum carent, ut scribit Illustris Ludolphus, beatæ memoriæ Histor. Æthiop. cap. 10.

Petrus Gillius in descript. El. p. 12. statuit, ab ossibus anterioribus frontis hæc cornua oriri: nec abs re, cum viderit aliquando in Elephanti cranio eorum partem multis securis ictibus excisam relictam intra capitis os, cavam, exorientem à fronte paulò infra radices promuscidis: maxillæ autem aliquô spatiô ab illo loco distant: hôc pactô cornua hæc à tempori bus orta per os extrorsum resupinata sese offerunt: ex ore ergò non prodeunt, sed ex pelle eminente supra os, qua circumdantur ad suas radices. Vid. Author. p. 14. Decimô quoque annô secundum nonnullos Elephanti ea abjiciunt & defodiunt, sicut cervi quotannis illa perdunt. Hinc Turnebus l. 13. cap. 24. ait: Ebur, ut opinor, non ineptè nec inscitè in cornuum genere reponitur: quod confirmat Pausanias l. 1. Eliacor. qui Elephanti cranium se accuratè considerasse scribit: præterea ebur igne emollitur, hominumque arte & operâ expolitur, quod dentibus non convenit. Vid. Pausan. descript. veteris Græciæ. Elephas itaque ut magnitudine & specie corporis à cæteris animalibus multum differt, sic diversum etiam & peculiarem cornuum habet exortum.

Hæc cum ita se habeant, non videntur à januâ aberrare, sed potius ἀκριβολογεῖν illi, qui pro cornibus hos dentes habent: inter quos est Varro, qui l. 6. de L. L. Elephantos vocat quadrupedes cornutas, ut supra dictum: & addit: nam quos dentes multi nominant, sunt cornua: usum enim dentium non obtinent, siquidem non ad masticationem cibi, sed potius ad defensionem inserviunt: præterea certô tempore decidunt, & more cornuum cervi regenerantur, quod etiam in Elephantis quovis decenniô contingit secundum nonnullos: quod tamen Garzias ab Horto & Scaliger exerc. 204. verum esse negat. Plinius autem lib. 8 c. 3. ait: quod dentes casu aliquo vel senectâ decidentes defodiantur ab Elephantis: accedit, quod inter Elephantos

solummodò mares cervorum more cornibus credantur gaudere, non fœminæ: quamvis de hoc similiter dubitet Scaliger, loco citato affirmans se legisse, in fœminis perbreves & palmi longitudine esse dentes. Nullis omnino cornibus fœminas armatas esse refert E. G. Happelius Relat. Curios. p. 2. p. 743. sed contradicit Aristoteles l. 2. H. A. c. 5. ita scribens: Duo prominent grandes, quos mares grandiores resimatosque habent: fœminæ minores deorsum reflexos, contra quam mares: vergunt enim deorsum, pronique deviant: at Gillius l. c. dicit, errare illos, qui dicunt, hos dentes ita dictos vergere ad terram: non enim sursum neque deorsum feruntur, sed recti in anteriorem partem sensim in fine incurvati sursum versus, ut linea à media dentis radice ad summum mucronem non excederet extra directionem, sed in mucrone rescissi erant, itaque minus curvi & breviores, longi sesquipedem, quorum singulorum perimeter in medio habebat pedem.

Juba & Pausanias olim contra Philostratum disputabant, esse cornua, non dentes: nec destituebantur rationibus: Primum Juba sic argumentabatur: Cornua nunquam mutantur, quod videre licet in bobus & capris: dentes verò mutantur: Elephantorum dentes sic dicti non mutantur, non igitur sunt dentes, sed potius cornua. Pausanias l. 5. Eliac. p. m. 198. idem concludit, inquiens: Cornua mutantur, ut in cervis, capreolis &c. majores dentes nunquam: neque enim apris hi, qui prominent, mutantur: at sic dicti dentes Elephantorum mutantur: sunt igitur cornua. Dentes præterea è mandibulis nascuntur: Cornua verò ex temporibus: at Elephantorum sic nominati dentes ex temporibus nascuntur, non ex mandibulis: hocque se vidisse in Elephanti calvariâ affirmat. Sunt autem hæc cornua ab aliorum animalium cornibus diversa, quemadmodum nec magnitudine nec figura cum aliis conveniunt.

Elephantorum cornua igne molliuntur ad varios usus, quod proprium est cornibus: dentes vero corrumpuntur & comburuntur ab igne, nunquam molliuntur: quibus Jubæ & Pausaniæ rationibus H. Cardanus de subtil. p. 554. adhûc duas firmiores adjicit: prima est, quod Elephantorum vulgò dicti dentes teretes sunt, & exactè rotundi absque acie, quod cornibus proprium est: nam dentes mucronati sunt, ut apri, canum atque aliorum omnium. Secunda est, quod Elephas dentibus caret in anteriore parte, non solum in superiore mandibula, sed inferiore etiam, quod proprium esse solum cornigeris animalibus l. c. scribit.

Cœlius Rhodiginus lect. antiq. l. 7. p. m. 348. laudat Pausaniæ sententiam, & rectissimè cornua dici statuit: Primum inquit cum Pausania,

nia, astruentibus diversam opinionem perpendenda Gallicæ feræ natura, quam vocant Alcen: spectandi & Tauri Æthiopici: Alcis utique in superciliis adnascuntur cornua, sed maribus modò, nam fæminæ prorsus carent eô adjumentô: Æthiopici vero Tauri è naribus cornua proferunt: quæ cum ita sint, cuinam fiat admiratio, cum ex animalis ore promi cornua videat audiatve? Sed suppetunt & argumenta hæc: Cornua utique per annorum periodos corrupta decidunt, ac rursum succrescunt protuberantque: probant id cervi: probant & Dorcades: verum Elephantis itidem contingit: dens verò adultiori præsertim excussus quando suboriatur? aut ubinam renasci compertum? vel si dentes sunt, qui ex ore proferuntur, non cornua, quânam ratione progerminant denuo? adde, quod ignibus indomiti fermè habentur dentes: at boum & Elephantorum cornua in hâc re sequacis maximè sunt naturæ: nam ignis vi, utcunque collibuerit, efformantur. Hippopotamis suibusque ex inferiore malâ dentes prorumpunt exserti, quos χαυλιόδοντας appellant. Scito itaque ex temporibus prosilire cornua, atque ita extrorsum reflecti: id quod non, quia audierim, commemoro: sed in Campania in Dianæ sacello Elephanti cranium pro arbitrio sum contemplatus: id ita comperi: nec sanè mirandum: nam & in aliis Elephas à reliquorum naturâ insigniter disparatus animadverti potest, tum formâ, tum mensurâ. Hactenus ex Pausania Rhodiginus.

Philostratus contra cum Herodoto, Dionysio Periogete, Plinio, Ovidio, Claudiano & Arabibus aliisque dentes esse non cornua evincere conatur tribus sequentibus rationibus: quarum prima est, quod cornibus juxta annorum numerum circuli quidam innascantur in radice, velut videre licet in bobus ac capris: dentibus vero nulli sunt circuli, nam illi sunt undique læves, nec annorum numero quicquam accedit præter magnitudinem: at Elephantorum dentes tales sunt, leves scilicet & absque circulis; II. Dentes solidi sunt undiquaque, nec inane habent quicquam præter exiguum foramen, quod proprium est dentibus: cornua vero vacua sunt intus, id quod in bobus spectare licet. III. Nullum animal est cornibus præditum, nisi quod ungulas habet, & bifidas, ut cervi, capreoli, boves, capræ: at Elephas neque ungulam habet in pedibus, sed digitos: nec bifidos, sed in quinque partes distinctos.

Verum rationes istæ parvi sunt momenti: nam primo falsum est, quod in omnibus animalium cornibus sint Circuli: exempli loco sint Cervi Cornua, quibus prorsus nulli sunt circuli: præterea Cornua Elephanti sunt Cornua sui generis, atque aliis Cornibus non per omnia similia: Secundo contra experientiam est, quod Elephantorum den-

tes ſint prorſus ſolidi, nec intus quicquam inane habeant: ſunt enim manifeſtè vacui, quâ parte cranio, ut aprorum dentes, quâ parte mandibulæ inſeruntur: deinde hoc abludit â veritate, quod omnia cornua ſint inania: in bobus & bubalis quidem ſunt talia: in Cervis vero non item, quemadmodum nec in capris, quorum Cornua pleraque ſunt ſolidiora, nec in totum vacua. Tandem nec tertia ratio aliquid contra Elephanti Cornua concludit: nam Elephanti digiti ſunt ungulæ ſui generis, quamvis non ſint bifidæ, ſed in quinque partes diſtinctæ. De his plura vide apud H. Cardanum locô citatô, Aldrovandum aliosque.

Potiori itaque jure vocantur Cornua quam dentes: quod mecum ſtatuunt Authores omni exceptione majores ob graves rationes: nam primo ê cranio oriuntur, quod Cornuum proprium eſt: 2. quia facile ſecantur, poliuntur, & in quamvis formam effinguntur, quod cum aliorum animalium dentibus fieri nequit: 3. quia decidunt, & renaſcuntur, ut Cornua Cervorum: cum alioquin ſoli homini dentes decidant: quod tamen Philoſophus etiam equis, mulis & aſinis contingere ſcribit H. A. l. 2. c. 1. Hinc ipſi etiam Æthiopes, apud quos vernaculum eſt hoc animal, Akronoth, id eſt, Cornua nominant: quin & analyſis Chimica magis corneam quam oſſeam ſubſtantiam heîc adeſſe evincit. Itaque recte Ælianus lib. 11. cap. 37. ſentit, inquiens: τὸν γὰρ ἐλέφαντα οὔ φημι ὀδόντας ἔχειν ἀλλὰ κέρατα: cui ſubſcribunt Aretæus, Varro & Pierius, qui lib. 2. hieroglyph. nulli animalium cornua majora & ſpecioſiora attribuit, quam Elephanto: Oppianus illa ſequenti modô delineat:

- - Arma exſertos imitantia dentes.
Unde aliqui dentes decepti errore vocarunt.

Martialis vocat cornua, lib. 13. de Ægle edentula, ideoque dentibus eburneis utente ita canens:

Sic tentata ſibi videtur Ægle
emptis oſſibus Indicoque cornu.

Nonnullis placet Aldrovandi, Bochartique de media illorum natura ſententia, quam origo confirmare videtur, ut ſupra dictum, Pauſaniæ notata, qui à temporibus ſuperne eos deſcendere, & ita foras tendere non auritus, ſed oculatus teſtis ſcripſit: A. Moulinus & Rajus vero ê maxilla ſuperiore eos deducunt, ſcribentes, illos intus concavos eſſe, & quadam velut medullâ compactiore, glandularum aliquam mixturam habente repletos.

Prominuli dentes eburnei, vulgo Gallis Deffenſes, magis Cornua, quam dentes cenſeri debent, ſeu eorum ſpectemus originem â dentium ortu longe diverſam, ſeu naturam ipſam eboris, quod in igne emollitur, ut cornua, non item dentes. Vid. Joh. Baptiſt. du Hamel Hiſt. R. S. A. l. 2. p. 206. Ubi ê maxilla erumpunt, carneâ ſubſtantia impleta ſunt, quam nihil aliud eſſe, quam vaſorum congeriem pericranio

nio involutam statuit modò laudatus author l. c.

Circa cornua belluis maxima cura: alterius mucroni parcunt, ne sit præliis hebes: alterius usu fodiunt radices, impellunt moles, arbores exstirpant, teste Pliniô, Ælianô, Solinô, & Plutarchô: cum ab Indis arborem radicitus extrahere compelluntur, non prius illum laborem aggrediuntur, quam concusserint arborem, sic periclitantes, an everti possit, vel ab impetu invicta sit futura: quôvis decenniô decidere hæc cornua Forerus scribit im Thierbuch pag. 78. quæ Elephas homini invidens in terra abscondit, singulari artificio tamen illa posse reperiri scribit ibidem: sed abludere à veritate, quod ante mortem cadant cornua Elephantis, dextrum etiam ab iis non sepeliri putat Scaliger exerc. 204. Propter hæc sua arma tamen non se peti norunt, & decidua casu aliquô vel senectâ defodiunt, ex invidia quasi ne homines hoc thesauro potiantur.

Decidua igitur & regenerabilia esse hæc cornua, imo ab ipsis Elephantis interdum decuti multi Authores statuunt, quâ de re Passeratius in encomio Elephanti:

> Hæc quando exhaustæ nequeunt defendere vires,
> Insidiæque urgent & spicula densa latronum,
> Arboris impingunt trunco, fractosque relinquunt,
> Castoreô ut redimant usuram luminis astu:

Modum describit Ælianus l. 14. cap. 5. ita: Quando Elephanti in Mauritania degentes cornua decutiunt, procumbunt in genua, & cornua intrudunt terræ, ubi mollis & laxa est, donec amplius conspici nequeant: terram superinjectam postea pedibus complanant, quæ ob soli fertilitatem citò gramine obducitur, adeò ut vix explorari possit locus, in quo cornua sunt recondita: Mauri verò, ut cornibus hisce potiantur, rem aggrediuntur ita: in loco ubi defossa esse cornua suspicantur, hinc inde disponunt utres ex caprarum pellibus conflatos aqua repletos: quod si sub utre aliquo lateat fortè absconditum Elephanti cornu, statim uter à mirabili & abscondita illius virtute exsiccabitur, & sic locus detectus est: Fidem vindicet Author. Hoc ebur ab Elephantis defossum omnium præstantissimum esse, præsertim ab humanis pedibus aliquandiu tritum scribit Junius in notis: non autem video, quomodo defossione istâ pedumque humanorum conculcatione quædam præstantia ebori accedere possit, cum potius sub terra nitore suo privari & vilius reddi videatur.

Ingentis magnitudinis nonnunquam sunt hæc cornua: vidit Ludovicus Vartomannus in Sumatra Insula duo, quæ appensa libras trecentas & triginta sex pendebant, teste Jonstono histor. nat. de quadruped. p. m. 31. Duo Elephanti cornua pependisse pondo trecenta viginti quinque J. C. Scaliger ex

Indicis historiis refert exerc. 204. Terzogus in Museo Septaliano meminit unius 160. librarum pondere, & Vielhauer in der Beschreibung frembder Materialien dentem ita dictum delineat 200. libras pendentem: quod confirmat H. Cardanus de subtil. l. 10. p. 549. addens, se vidisse non semel Elephanti cornua, quæ fermè sex cubitos vel incurva æquarent, quæ si recta fuissent, longiora planè fuissent septem cubitis; modò citatus Scaliger vidit unum cornu se longè procerius: se verò ultra quinque pedes longum fuisse scribit exerc. 263. Aloysius Cadamustus 8. pedum agnoscit longitudinem, qui aliquando unum Elephantem spectavit occisum, cujus cornuum amplitudo palmos ternos excedebat: unum cornu ponderasse, quod ferè fidem superat, 325. pondo memorat apud Taprobanem Ludovicus Barth rerum Indicar. lib. 3. & secundum Arabes ita crescunt, ut quandoque centum minarum pondus singuli exæquent. Vid. Bochart. Hierozoic. l. 2. c. 24. qui, ut supra memoratum, mediam inter dentes & cornua naturam producit in scenam, motus authoritate Ezechielis Prophetæ, qui misto nomine cornuum dentis mentionem facit cap. 27. v. 15.

De eorum magnitudine ita Plinius H. N. l. 8. cap. 10. Magnitudo, inquit, dentium (cornuum) videtur quidem in templis præcipua, sed tamen in extremis Africæ, qua confinis Æthiopiæ est, postium vicem in domiciliis & januis præbere, sepesque in iis & pecorum stabulis pro palis Elephantorum dentibus (cornibus) fieri Polybius tradit, authore Gulussa Regulo. De ejusmodi dentibus eboreis quærit Martialis:

An Libycas possint sustinuisse trabes?

Gillius sæpè longitudinem decem pedum æquare memorat. Venetus quidam Mercator unum aureis triginta sex emisse dicitur longitudine dodrantum ipsius quatuordecim, crassitudine dodrantum quatuor, tantô pondere, ut vix humô tolli potuerit. Sed & Sabellicus author est, fuisse Firmo duos Elephantinos ita dictos dentes, tam enormi magnitudine, ut Aurelianus Firmi Victor eos pro miraculo Romam deportandos curaverit. In Indiâ Orientali & Regione Magni Mogol inveniuntur tantæ magnitudinis, ut in utroque possit insidere homo sine gravatione & molestiâ Elephanti. Vid. Ettmülleri Zoolog. p. 172.

Anno Christi 1546. ultra centum Elephanti cornua Basileam transportata fuisse, quorum unum 9. pedes longum, tres vero dodrantes crassum fuerit, & vix â se attolli potuerit, quippe circiter libras 100. pendens, scribit Münsterus in Cosmograph. idem bienniò ante ejusmodi Cornu Basileam advectum esse narrat, quod decem pedes longum fuerit, & pependerit centum & quatuordecim pondo. In Africâ tantam reperiri Cornuum Elephantinorum copiam, ut integra vivaria,

ria, quæ ambitu suo aliquot millia passuum complectuntur, illis circum septa reperiantur, scribit I. B. Tavernier Itiner. Indic. l. 1. c. 18. Largam eboris copiam apud Cafras populos in vicinia promontorii bonæ spei reperiri refert idem Itiner. Ind. l. 2. Æthiopes occidunt Elephantos, ut eorum liceat potiri cornibus, quæ Lusitanis deinde vendunt, carnibus autem vescuntur. Vid. Joh. Hug. â Linschoten part. 4. Ind. Or. c. 2. Persarum Regi pro annulô tributô illa pendunt. Forerus de Eleph. pag. 78.

Quo juniores sunt Elephanti, eô candidiora & nitidiora obtinent Cornua: quorum unô, quod acutius est alterô, ad corporis defensionem, altero verò ad effossionem radicum & herbarum excisionemque arborum utuntur, quem in finem illa exacuunt, ut in durô Saxô Rhinocerotes. Elephanti masculi Cornua prorsum respicere, fœminæ autem vergere deorsum pronaque deviare & gibba esse cum Aristotele H. A. l. 2. c. 5. affirmat H. Cardanus l. c. adjectô schemate, quod ibidem videre licet: se tamen id in vivo animali vidisse negat. Fœminæ secundum Garziam ab Hortô non omnes Cornua habent: si verò adsunt, dodrantem vix excedunt. Elephanti Indici mares duntaxat obtinent Cornua: Æthiopicis verò ac Libycis sunt in utrôque sexu, ut Amyntianus tradit in libr, de Elephanto. In Insula Zeylan natu primum saltem Elephanti catulum cornibus insignitum esse refert I. B. Tavernier l. c.

Palustrium Elephantorum Cornua livida sunt, rara, tractatu difficilia, & in plerisque partibus foramina sunt: in aliis vero partibus quasi grandinis grana seu tumores quidam insurgunt, & arti minimè obtemperant. Montanorum verò minora sunt, sed sufficienter alba, & nihil in eis difficile invenitur: optima autem sunt compestrium Elephantorum, maxima, longissima, & incidi facilia, ut nullo labore in quamcunque manus voluerit partem, deducantur, ut scribit Philostratus l. c. Cornua fœminæ majus pretium quam maris habere refert Ælianus l. c. Abjiciunt ea decimo quoque annô & defodiunt. Gesnerus l. 1. de quadrup. p. m. 412. Ex candore dentium intelligitur juventa secundum Solinum cap. 33.

Produnt nonnulli, Elephantos â venatoribus circumventos, cum sciant, prædam solum in cornibus suis ab illis expeti, illa vehementer impingere arboribus, evellere, atque hôc modô se redimere: quâ de re vide A. Matthiol. comment. in l. 2. Dioscoridis cap. 50. quod tamen hic Author credit fabulosum esse: quemadmodum etiam falsum esse ostendit, quod Fiber viso Venatore sibi ipsi testes amputet.

PARTIS I. CAPUT 7.

Dentes molares considerat.

OS habet Elephas pectori propinquum, ut cum suillo aliquam ineat similitudinem, ut scribit Matthiolus comment. in lib. 2 Diosco rid. cap. 50. pag. 215. Inferior quoque maxilla hujus animalis porci maxillæ similis est in figurâ, sed quantitate longe major: hæc solummodo inter edendum movetur, dentes superiores nunquam, quamvis plurimi hoc nec in seipsis animadvertant, ut scribit H. Cardanus l. c. Dentes incisores nullos, maxillares habet octo contra Plinium, qui duntaxat Elephanto intus quatuor dentes attribuit: suntque duo interiores dentes in singulis maxillis, quorum major est perpetuum os multis figuris distinctum, cujus superficies ad libellam plana est, longa septem, lata tres digitos, exasperata in decem velut gradus seu pulvinos, canaliculis distinctos, serratos & exasperatos: singuli autem canaliculi transversi hujus superficiem secantes non modo à lateribus, sed etiam ab utrisque capitibus clauduntur pulvinis: alter dens intimus est, cujus superficies est plana, longa tres digitos, lata totidem etiam exiguis canaliculis exasperata: in lateribus utriusque dentis singularum maxillarum apparent pulvini, velut dentes respondentes pulvinis positis in superficie, distincti striis, velut naturâ unumdentem in decem formare condiscente. Vid. Gillius in descript. Eleph. c. 3.

Peireskius in Elephanto Bergenserium advectô totô biduô seu rogando seu experiundo ita multa addidicit, ut sibi factum putarit satis: inter cætera cum probasset omne genus edulii, jussissetque dulcia præsertim, quod gratissima forent, ministrari, adeò ut Elephas jam ipsum & agnosceret & blanditiis prosequeretur, fiduciam cepit, (sed præeunte animalis gubernatore) ingerendi brachium in os, explorandique ipsius dentes: deprehendit autem hinc in utrâque maxillâ binos, ut planè octo existerent, & non solum quatuor, ut voluerat Plinius: neque verò dentes attrectavit modò, sed etiam per Gubernatorem ceram ipsis applicuit, quô illorum simul magnitudinem formamque faceret expressam: inde autem perspectum habuit, grandem illum molarem dentem ex Africâ missum ab Arcosio, Elephantis esse non Gigantis dentem: neque est amplius demiratus, cur ex Gigante Teutobocho tam pauci fuissent dentes ostensi. Gassendus in vita Peireskii l. 4. p. m. 156.

PAR-

PARTIS I. CAPUT 8.
Elephanti partes medii ventris expendit.

PLurima Elephantorum viſcera cum viſceribus porcorum convenire, niſi quod multò illis majora ſint, communiter ſtatuitur: videtur hoc animal cum ſue aliquid habere ſimilitudinis, inquit H. Cardanus de ſubtil. l. 10. p. 561. quod confirmat D. Caſp. Horn. cap. 2. de Eleph. aliique non pauci. Viſcera bubulis quadruplô majora illi aſſignat Plinius l. 11. c. 37. quemadmodum etiam ejus caro rubra eſt, ut bufalorum, & tenera, quâ aliqui in India uſi carnem Elephantinam affirmarunt bubulâ meliorem, ut ſcribit Petrus Gillius l. c. carnem & ſanguinem Elephanti Moulinus obſervavit ſale urinosô ſcatentem, quod ipſi inter ſecandum innotuit, non ſolum ab urinoſis effluviis nares adeò graviter afficientibus, ut vix ea perferre potuerit, verum etiam ab acuto dolore, quem ſanguis manu tractatus in digitô caſuali vulnere læsô inferebat, quod in aliorum animalium ſanguine non obſervatur, quem dolorem per aliquot dies noctesque duraſſe ſcribit: aſſata etiam & in ſartagine frixa caro referebat ſaporem carnis bubulæ macilentæ ſale conditæ: his ὡς ἐν παρόδῳ præmiſſis ad partes medii ventris perluſtrandas, quantum ex probatis Authoribus nobis conſtat, accingimur.

Pulmonum amplitudine Elephantum quater ſuperare bovem ſtatuit Plinius l. c. conveniunt tamen ratione figuræ, cum aliorum grandiorum animalium pulmonibus: cavitas thoracis implebatur pulmonibus & corde, ut refert de Elephantô â ſe ſectô A. Moulinus l. c.

Pericardium, ut ſcribit Author modo citatus, conſtabat ex validiſſima membrana, magnamque ſeri quantitatem in ſe continebat: Cor uſualem conicam habebat figuram ac ſitum velut in aliis animalibus: auriculæ & ventriculi cordis conſtabant dimenſionibus cordis magnitudini competentibus: tales etiam fuerunt valvæ, & ferè eædem numero & figura, ut in aliis animalibus: item tres valvulæ mitrales ſat magnæ: in ſepto cordis medio autem nullum invenit meatum hic Author, nec oſſiculum, quod Galenus ſe reperiſſe affirmat in Elephanto Romæ à ſe diſſecto.

De corde Elephanti ita ſcribit Ælianus H. A. l. 4. c. 31. Duplici tum corde, tum ſenſu animi Elephantus eſſe dicitur, & altero quidem irâ incendi, alterô mitigari & leniri, Maurorum ſermonibus pervulgatum. Sic ſcribit Conradus Geſnerus l. 1. de quadruped. pag. 414. duplex Elephanto cor eſſe, unum quod furore accenſus exſerit, alte-

rum, quod in clementiam propendet. Duorum descriptionem apud Aldrovandum vide. Lipsius epistol. 50. centur. 1. subscribit Æliano, inquiens: & cur jam Æliano non credam, qui jure optimo duplex Cor tribuit animalibus tam cordatis? Sic refert Theophrastus, in Paphlagonia omnes perdices duo corda; in Bisaltia verò lepores duo jecinora obtinere: verumenimverò deceptos fuisse hos Authores existimo, dum aliquid aliud pro corde vel hepate habuerunt: quamvis Franciscus Plazzonus cordis appendicem aliquando invenerit alterius veluti rudimentum, cujus ectypon in Theatro publico Anno 1622. & Anno 1624. ostendit. Vid. Joh. Rhodii mantissam anatomicam ad Thom. Bartholin. p. 11. num. 12. Revera igitur Elephas unum tantum cor habet, quod amplum pedem unum in quadrimo deprehendit Gillius in descript. Eleph. p. m. 12.

Falsò ex Aristotele l. 3. de part. an. c. 4. asseritur, Elephantum, balænam & alia majora animalia tres obtinere cordis ventriculos, quos utique Galenus Romæ in Elephantô à se dissectô non invenit: nec Walæus & Sylvius in dissectô balænæ fœtu tres cavitates in corde observarunt. Non nisi rarissimè tres cordis sinus sunt inventi. Æmilius Parisanus tot vidit in corde cujusdam velaturam facientis: bis totidem reperit Veslingius: Walæus quoque in bove tertium cordis ventriculum vidit: Cæsalpinus tres in avibus observavit, ut & piscibus. Vid. Thom. Bartholin. l. 2. anatom. c. 7. p. m. 392. Sed ista rarò contingunt & præter consuetum naturæ ordinem: nam in cordis fabricâ quandoque ludit natura: sic in bovini cordis septo intermedio supernâ parte secundum cordis longitudinem Walæus aliquando sinum invenit ad sinistrum ventriculum circa mucronem patulum, qui longitudine amplitudineque digitum indicem æquabat. Vide Walæum in epistola de motu Chyli.

In Elephanti corde duæ tantum reperiuntur cavitates, dextra scilicet & sinistra, superficiem habentes internam, inæqualem & asperam, maximè verò sinistra. Galenus l. 7. anatomicar. administrat. scribit, Elephanti cor duos tantum obtinere ventriculos contra Aristotelem, qui magnis animalibus tres attribuit: hujus historiam animalium partim falsam, partim imperfectam non sine ratione dixit Olaus Borrichius Hermet. Ægypt. c. 10. p. 244. & post hunc ejus exscriptorem Ælianum etiam reprehendit. Aristotelem etiam olim redarguit Galenus l. 7. administrat. anatomic. c. 10. ubi etiam eleganter de osse in corde Elephanti discurrit.

Ex corde dissecti Elephanti Galenus magnum os exemit: Vid. J. Jonston. hist. nat. de quadruped. c. 7. p. 32. Hoc os in Elephantô maximô Romæ jugulatô, ad cujus dissectionem Medici convenerant discendi gratia, duosne cor haberet ver-

vertices, an unum, & an ventriculos duos vel tres, ſine negotiô reperit unà cum familiaribus digitos admolitus, & voluiſſet etiàm aſtantibus inexercitatis, qui ut in minoribus, ita etiam in majoribus id non reperiri aſſerebant, id demonſtrare, niſi familiares riſiſſent, & ne illis oſtenderet, rogaſſent: corde verò à Cæſaris coquis exemptô, miſit aliquem ex familiaribus exercitatum in ejuſmodi rebus, rogatum coquos, ut os ab ipſis eximi ſinerent, & ſic factum eſt. Id etiam non parvæ magnitudinis os, & quod vix fidem mereatur Medicos latuiſſe, apud nos aſſervatur. Hactenus Galenus, quem citat Rolfincius, beatæ memoriæ, Diſſertat. anatomic. l. 6. c. 19. Nam adverſus Ariſtotelem, Medicos veteres & ſui ævi ſtatuit Galenus l. 6. de uſu part. c. 19. & lib. 7. adminiſtrat. anatomic. in omnibus animalibus tale os cordis inveniri. Os eximiæ magnitudinis in corde jugulati Elephanti ſe vidiſſe ſcribit Aldrovandus. Vid. J. Jonſton. thavmatograph. de quadruped. cap. 17. quod tamen in dubium vocat P. Lauremberg. exerc. anatomicâ decimâ ſcribens: id os, ſicubi reperitur, præter naturam eſſe, & diſpendio potius ac damno animali, quam commodo ac uſui fore. A. Moulinus in corde Elephanti à ſe diſſecti nullum os fuiſſe inventum ſcribit loco citato.

Cum ſanguis beneficio circulationis acquirat in corde ultimatam ſuam perfectionem, non abs re erit, paucis hoc loco ejus facere mentionem: creditur autem ſanguis Elephanti juſtô eſſe frigidior, reſpectu ſcilicet habito ad illa animalia, quæ calidiorem obtinent: hinc Dracones tanquam animalia calidiſſima, ſanguinem Elephanti frigidum valdè appetunt, utque illo potiantur, cum illo ἄσπονδον bellum gerunt, & tamdiu dimicant, donec Elephas tot ictibus enervatus Draconi in prædam cedat: nonnunquam tamen uſu venire ſolet, ut Elephas cadens Draconem ipſum vaſtâ ſuâ mole proterat atque exſtinguat, qua de re infra pluribus agetur. Vid. etiam Plin. l. c. De acrimonia ſanguinis Elephantini ſupra in principio hujus capitis actum eſt.

Carotidem arteriam ſæpè citatus Author A. Moulinus in ſuo Elephanto tam amplam fuiſſe tradit, ut arundinem in ſe recipere capax fuerit. Idem œſophagum obſervavit exterius muſculoſum, interius verò membranoſum fibris denſioribus inſtructum.

Mammas duas in anteriore parte juxta pectus habet & mas & fæmina valdè exiguas pro corporis vaſtitate, ita ut eas à latere conſpicere propemodum nequeas. Ariſtoteles l. 2. hiſtor. an. c. 1. ſcribit, illas non eſſe in pectore, ſed paulò citra ſub armis: nullum enim animal præter hominem mammas parte gerit priore: cur duas tantum habeat, & non plures, ut alia bruta, cauſam aſſignat hanc Philoſophus, quod uniprolis ſit. Sed cur non

inter femora? quia multifidum eſt animal: nullum enim inter femora mammas habet, cui pedes diſcreti in digitos ſunt. Cur ſupra ſub armis? reſpondet Ariſtoteles: quia in iis, quæ plures obtinent mammas, & primæ ſunt, & plurimum lactis hauriunt, &c. Idem ſcrofæ facere aſſolent: porcæ enim primis editis mammas præbent primas: itaque cui unum eſt, quod primum in lucem prodit, id primas habeat mammas neceſſe eſt: primæ autem ſunt, quæ ſub armis habentur: Elephas hâc de cauſa duas eôque locô mammas habet ſapientisſimo Creatoris ter Opt. maximi conſilio, ut ſcilicet catulus lactens &. ore ſugens commodiorem haberet acceſſum proboſcide non obſtante, quam hôc anteriore loco quaquaverſum flectere & amovere poteſt, ut ſic commodius lactetur.

Ejusmodi Elephantem fœminam duas in anteriore parte mammas habentem & catulum lactantem Anno 1690. Ambſtelodami ſe vidiſſe, amicus mihi retulit: quod etiam confirmat Bartholinus anatom. l. 2. c. 1. Mammas duas parvulas occultabat ſub armis anteriorum crurum Elephas Clariſſ. Sturmii: cum poſt contrectatas populoque demonſtratas mammas â Magiſtro ſuo interrogaretur, ubinam virgines ſuas haberent mammas, proboſcide utrumque pectoris latus percusſit.

Coſtarum craſſitiem Moulinus in ſuâ Anatomia Elephanti non indicat: longitudine autem longiſſimam illarum 32. digitos æquaſſe ſcribit.

Diaphragma validiſſimis carneis nervoſisque fibris erat inſtructum.

Theodorus Ryckius in oratione de Gigantibus mentionem facit coſtæ cujusdam forte ex Indiâ allatæ, quæ in anatomico Academiæ Leidenſis theatro oſtenditur, & juxta exteriorem flexuram octo pedes longa eſt, & ubi ſpiſſisſima, circa osſis ſterni commiſſuram pedem unum cum tribus unciis circuitu ſuo implet. Ex Elephanto deſumptam arbritratur hanc coſtam, quod tamen falſum eſt, & omnem fidem ſuperat.

PARTIS I. CAPUT 9.

Partes infimi ventris, crura, pedes, &c. contemplatur.

VEntriculum Elephanti quod attinet, videtur de ejus exſiſtentia in Elephanto Ariſtoteles eſſe dubius, nec ullam ejus facere mentionem: ſic enim ſcribit l. 2. H. A. c. 17. inteſtinum eſt ei ita ſinuoſum, ut alvos quatuor habere videatur: in hoc etiam cibus recipitur: nullum enim receptaculum cibi aliud ſeparatim adeſt. Quod confirmat Gillius de ſecto ab Arabibus Elephanto referens, quod primo extra-

cta fuerint inteſtina ingentia candidisſima, & plane coloris eburnei, ita ſinuoſa, ut alvos habere quatuor viderentur. Galenus inteſtinum hoc latisſimum & equi ſimilimum affirmat. Contra Plinius l. 11. c. 37. ſcribit: Elephantum more boum quatuor habere ventriculos: ſcilicet ventrem primum, reticulum, omaſum & abomaſum: Venter & pars ejus reticulum crudo cibo cuſtodiendo dicantur: Omaſus ab ore immediato tractu pabulum ſuſcipit, ſi tenue ſit: ſi craſſum, prius a bove ruminatum, ab hoc brevi morâ in abomaſum labitur: huic ſuum calculum addit Hier. Mercurialis variar. lect. l. 5. c. 15. hujusque rei cauſam ponit corporis Elephantini magnitudinem, cui unus non ſufficeret ventriculus, ut & dentium paucitatem, quorum ex mente plurimorum quatuor tantum, revera tamen octo adſunt, nec ita, ut debebant, comminuunt alimenta, adeo ut longiore poſtmodum coctione in tot receptaculis opus habeant. Hæc ſi vera eſſent, ſequeretur, Elephantum more boum ruminare debere, quod tamen in illis non obſervatur: nam ſecundum Ariſtotelem H. A. l. 9. c. 50. omnia animalia, quæ plures habent ventriculos, ruminant: nunquam autem Elephas viſus eſt ruminare, ut boves, aut maſticationem more illorum in ore repetere, quamvis quoad enumerata organa cum ruminantibus valdopere conveniat.

A. Moulinus quatuor ventriculos forte pro uno habuit, dum ſcribit, Elephanti ſui ventriculum quatuor pedes & tres latos ungues in longitudine, in ambitu vero circiter tres & ſemi-pedes æquaſſe. Oeſophagum hic Author non invenit inſertum, ut in aliis animalibus, ſed circiter longitudine pedis verſus medium: quoad tunicas autem & reliqua ventriculus ab aliorum animalium ventriculis non diſtabat: exterius autem muſculoſus, interius membranoſus erat. In ventriculo ſui Elephanti Moulinus reperit lapillos uncias quatuor ponderantes, in litore forte devoratos, quos hoc animal interdum ſolet deglutire.

De canna, quæ in ventriculo Elephanti in aula Magni Mogolis creverat, vide in Athanaſii Kircheri China illuſtrata, part. 2. cap. 5. ſequentem memorabilem hiſtoriam: Contigit non ante multos annos, Elephantum inſignem & Regi maxime charum arundinum eſu ſtomachum ita oneraſſe, ut gravem inde infirmitatem incurrerit, quam Medici curaturi ſolitis ſuis medicamentis nihil profecerunt: bellua interim proboſcide intra fauces adactâ apertè aliquid ſibi in ſtomacho latere demonſtrare videbatur: quod Medicus Europæus advertens brachiô pariter in ejus fauces adactô, belluâ id haut illibenter permittente, tandem invenit arundinem in fundo ſtomachi radicatam in folia effloruiſſe, unde materiam prius catarcticis magnæ efficaciæ

medicamentis præparatam tandem radicitus evulſam foliis virentibus conſpicuam extraxit, belluamque priſtinæ ſanitati reſtituit.

Pancreas invenit A. Moulinus in deſcript. ſui Elephanti valde longum, â medio ſtomachi ferè usque ad jejunum ſe extendens: in hâc glandula reperit ductum tam amplum, ut absque violentia minimum comprehenderet digitum: in hoc ductu invenit ſuccum quendam non quidem limpidum, qualis communiter apparere ſolet, ſed ſubobſcuri & viridis coloris, fluidum tamen nec adeò viſcidum.

Omentum modo dictus Author invenit valdè tenue cum duplici tamen membrana & interſperſis vaſis ſanguineis cum modicâ pinguedine: venæ meſaraicæ erant valde craſſæ, quarum nonnullæ æquabant venam majorem grandioris moloſſi, nullam vero glandulam in meſenterio ſe vidiſſe ſcribit.

Jecur ſuillo jecinori quoad figuram externam prorſus ſimile, aſt bovinô quadruplô majus eſt. Ariſt. l. 2. H. A. c. 17. Vid. Plin. lib. 11. c. 37. ἄχολον eſſe epar, & veſicula felleâ carere Elephantum ſcribit Philoſophus l. 2. H. A. c. 15. inciſa tamen parte, quâ fel adhærere alias ſolet, humor felleus effluit: itaque felle non caret, quamvis illud in abſcondita capſula lateat. Ælianum, qui fel in pectore Elephanti collocat, â januâ aberrare, nec aſſenſum mereri liquet. Jecur felle carens ex medio centro quoquô verſus habebat pedem, atque eo plus ubi anguli ſunt obtuſi, craſſum erat ſeptem digitos, ſcribit P. Gillius in deſcript. Elephanti p. 12. Plinius non jecur, ſed pulmonem ejus quadruplo majorem bubulô aſſerit.

Jecur grande obſervavit A. Moulinus locô citatô & glanduloſum cum Malpigio, diviſum in duos lobos, ſtomachum Elephanti circumdantes: an autem hic fuerit naturalis locus ſtomachi, vel in ipſo incendio uſtulati ſitus fuerit mutatus, aliis determinandum relinquit: membrana jecur veſtiens flammis fuit elevata, quaſi nunquam cum epate fuiſſet juncta vel ſuperficialiter ſaltem connexa: ubi vero videbatur intimè cohærere, levi negotio ſine laceratione ſeparari potuit.

Sunt, qui veſiculam felleam, quæ in Elephanto exigua eſt, in epatis parenchymate abſconditam eſſe ſtatuunt: dantur etiam, qui illam omnino deeſſe vel venulis quibusdam incluſam eſſe cenſent cum Ariſtot. l. 4. de part. animal c. 2. ubi de cervô, camelô, vitulô marinô, delphinô, equô, mulô, aſinô, damâ docetur, quod felle careant: quod tamen experientia refellit: nam ut ſaltem Cervi ſolius heîc mentionem faciam, unde quæſo tanta in ipſius inteſtinis amarities, niſi â bile? quo fit, ut & canes ab illorum eſu, niſi forte multâ obducta ſint pinguedine, abhorreant. Deceptos arbitror fuiſſe Veterum nonnullos, qui dum in enarratis animalibus exiguam & vix

nota-

notabilem fellis veſiculam invenerunt, illa prorſus felle carere putarunt.

Rectius Galenus affirmat, Elephantos habere χοληδόχον veſiculam, id quod procul dubio in Elephantô â ſe Romæ diſſectô obſervavit: bile itaque non caret Elephas, quâ tamen non abundat: hanc bilis paucitatem eſſe cauſam longævitatis in quadrupedibus ſtatuit Ariſtoteles analyt. poſt. l. 2. c. 17. cum in his ſit ſanguis dulcis & ab excrementis bilioſis depuratus: in quibus verò ſanguis juſtô bilioſior eſt, ad febres aliosque morbos facilè viam ſternit.

Bilem invenit A. Moulinus l. c. in fine primi inteſtini, quod in hoc animali improprie duodenum dici putat, quoniam ſat longum fuerit: ubi etiam inveſtigavit ductum communem ad jecur ad videndam veſiculam felleam: ſed illam defuiſſe ſcribit: ejus locô invenit porum bilarium exire à jecore veluti ductum hepaticum: notavit etiam, quod bilis illic reperta differret colore & conſiſtentiâ ab eâ, quam invenerat in ductu hepaticô: hæc enim erat lucidè flava & mucilaginoſa: illa verò obſcurè viridis, & parum fluidior felle bubulô: quod talis autem in felle animantium ſit differentia, nullum eſt dubium: dabitque id eruditis anſam in hujus rei cauſam ulterius inquirendi. Porro in ſectione hepatis nihil peculiariter notandum invenit modò citatus Author, niſi quod ipſius ſubſtantia apertè glanduloſa fuerit, id quod etiam à Malpighio obſervatum.

Lien ſecundum Ariſtotelem l. 2. H. A. c. 17. proportione ad tam vaſtum animal habitâ non adeò magnus eſt, ſed valdè exiguus: in eo tamen, quem cultro anatomico ſubmiſſum vidit Gillius, quatuor pedes longus, & dodrantem latus fuit. Splenem A. Moulinus in ſuo Elephanto obſervavit quatuor latos ungues latum, longum verò aliquot pedes: fuit autem valdè glanduloſus: id quod Malpighius etiam obſervavit libro de ſtructurâ viſcerum: cæterum nihil ſingulare in eo advertere licuit huic proſectori.

Renes in lumbis exactè adaptatos modò dictus Author vidit l. c. quorum figura erat ovalis: membranæ includebantur valdè forti, quæ cum illis nullibi connectebatur, niſi ad vaſa emulgentia: hâc membranâ ablatâ quilibet ren inventus eſt conſiſtere ex ſex lobulis: cavitas, quæ communiter aliis in renibus reperitur, heic defuit.

Renes ſuccenturiati fuerunt ſiti, ubi in aliis animalibus locati ſunt, in quorum cavitate continebatur nigricans ſanguis: hinc veteres illos vocarunt capſulas atrabilarias.

Ureteres in aliquot partes diviſi non ampliores erant bovinis: quemadmodum etiam veſica urinaria ejusdem erat dimenſionis cum veſica bubula, validioribus tamen & denſioribus tunicis prædita.

Exta suillis proxima sunt: Jonston. hist. nat. de quadruped. l. 1. c. 5. p. 32. sed longè majora. Vid. Aristot. H. A. c. 17. ubi ait: Elephanto intestinum ita sinuosum (συμφύσεις ἔχον) ut alvos habere quatuor videatur: quod confirmat P. Gillius in descr. Elephanti p. 12. A. Moulinus in suo Elephanto invenit intestina tenuia non adeò crassa & grandia, sed valdè longa: cæcum stercore durô distentum: Colon monstrosè amplum 15. pedes longum: valvulam coli reperire non potuit: intestinum rectum circiter 4 pedes longum: tota longitudo intestinorum erat xxv. ulnarum. Fibræ intestinorum tàm rectæ quam spirales valdè erant spissæ, ut & venæ mesaraicæ: in mesenteriô valde densô nullum adfuit pinguedinis vestigium, nulla notabilis glandula. Ex stercore, quod in Elephanti intestinis hospitatur, in arca Nohæ porcum exortum esse blaterat stultissimus simul atque nequissimus impostorum Mahomet, referente Scaligero de subtil. exerc. 194.

Ecce! vis seu fortitudo ejus in lumbis, & robur ejus in umbilico ventris ejus, inquit DEUS ter Opt. Max. ad Hiobum ex turbine cap. 40. quæ verba nonnulli ad singularem in procreatione sobolis potentiam secundum communem S. Scripturæ sensum, quo filii ex Patrum lumbis egressi dicuntur, extendunt: quemadmodum Hebr. 7. extat: adhuc in lumbis Patris erat: & Gregor. M. exposit. moral. l. 32. in caput 40. Hiobi cap. 11. ait: Seminaria coitus in lumbis esse perhibentur. Nicolaus Lyra eandem fovet sententiam, quod nempe in his verbis agatur de virtute Elephanti generativa: per fortitudinem igitur lumborum intelligit semen, quod in animalibus hinc defluit ad genitalia: illa verò verba: virtus illius in umbilico ventris ejus hunc habere sensum innuit, quod in coitu superponat umbilicum dorso fæmellæ, & ideò ibi habeat fortitudinem nervorum, ne lædatur ex concussione corporum tàm magnorum. L. Osiander aliter hunc locum explicat in Commentario inquiens: maximum suum robur habet in lumbis & ventre, ita quidem, ut olim Prisci turres ligneas hujus animantis tergo imposuerint. Per verba hæc: Potentia in lumbis ejus: J. C. Dietericus antiq. bibl. p. m. 444. putat Hiobum innuere etiam eas partes, quæ in reliquis animantibus molles sunt, in Elephanto esse durissimas & fortissimas, adeò ut sicut mole, ita & lumborum robore reliquas superet.

Elephantus genitale equo simile habet, sed parvum, nec pro corporis magnitudine, ut vult Aristot. H. A. l. 2. c. 1. Hier. Cardanus verò l. 10. de subtil. p. m. 550. scribit, masculum habere maximum membrum genitale, adeo, ut ferè terram attingat: falsum hoc Cardani assertum esse docuit me αὐτοψία in Elephanto mare Augustæ Vindelicorum Anno 1690. à me viso, in quo geni-

genitale parvum & tantæ corporis magnitudini non respondens conspexi. Penem exsecuit A. Moulinus ex suo Elephanto cum suis appendicibus tam solicitè, ut potuit, nullas tamen observavit vesiculas seminales præter cellulas in lateribus penis. Videatur Author loco citatô. Vagina penis in orificio erat nimis dura & tam arctè clausa, ut digitum minimum vix admitteret, quamobrem sine sectione ad penem penetrare non possibile erat: penis videbatur exiguus in vaginâ, quâ apertâ & remotâ æquabat virgam equi nondum castrati.

Fæminæ omnes ex averso mingunt: siquidem genitale, ut cæteræ, inter femora habent, ut scribit Aristoteles l. 2. H. A. c. 1. Ad genua procumbit fæmina, cum mas supervenit. Sperling. Zoolog. c. 4. Genitalia habent non â posticô, ut vaccæ sub alvo, sed infernè, quo loco vaccæ sua habent ubera, id quod verosimiliorem reddit illum coeundi modum, quo fæmella supina masculum desuper admittere fertur. Alvi excrementa per postica more aliorum quadrupedum, urinam vero inter crura posteriora deorsum effundunt: nam secundum Aristotelem l. 2. H. A. c. 1. fæminæ pudenda habent eo loco, quo sunt ovium ubera. Fluxum menstruum illas habere scribit Walther Schultz in der Ost-Indischen Reyse-Beschreibung andern Buch fol. 199.

Testiculi intus reconditi latent, nec foris conspicui, sed ad alvum annexi sunt: eapropter celerius coëunt: quod secundum Aristotelem lib. 1. de gen. animalium c. 4. illis animalibus proprium est, quæ testes intra se continent: quæ enim illos extra habent, non prius semen emittunt, quam retrahant testes. Testes intus continent ad alvum alligatos, scribit P. Gillius in descript. Elephanti pag. 12. Propter pondus sui corporis testes intus Elephantum habere putat Albertus Magnus, ut scilicet velociorem exercere possit coitum, tempore coitus tamen illos emittere. Ob cutis duritiem id contingere censet Plinius, cum ex eâ scrotum non potuerit fieri. Nervos testium ipsius in ramos abire, legimus apud Hiobum cap. 40. Ridiculus est Joh. Hugo à Linschoten, quando parte 4. Ind. Or. cap. 2. scribit, Elephantum testiculos habere in capite & pone aures.

A. Moulinus in descript. Elephanti de testibus annotavit sequentia: Inveni testes, inquit, non quidem in scroto seu capsulâ contentos, sed in perinæo ex utrâque penis parte strictè junctos: non erant autem usitatæ formæ aut molis, propemodum castaneis majoribus similes, in parte, quâ ad penem vergebant, densiores, quam in opposita, uniformes & rotundi, nec tanto animali proportionati: pondus eorum ad summum sese extendebat ad uncias quatuor: jungebantur peni multis tubulis seminalibus ceu vasis deferentibus, semen elabora-

tum in variis cellulis continentibus: hæ cellulæ ſpermate turgebant, ut & tubuli, qui grandiores erant, & quantas in nullo alio animali vidi: hæc ex Anglico exemplari excerpta & latinitate donata ſunt. Cum itaque teſtes abſconditos habeat Elephas, ſcroto non indiguit: quibus enim teſtes in propatulo ſunt, habent operimentum cutaneum, quod ſcrotum vocant: jam autem quibus natura cutis præ ſua duritie obſtat, ne mollis & ad complectendum habilis ſit, iis intus habeantur teſtes neceſſe eſt: eâdem de cauſa Elephas & Erinaceus teſtes habent intus: cutis enim iis inepta ad habendam particulam, quâ operiat.

Semen Elephanti exſiccatum adeò indurari, ut electro ſimile evadat, Cteſias affirmat: quod tamen vix veriſimile putamus.

Cauda Elephanti ſatis longa eſt, adeò ut à terra imum ejus ne palmô diſtet, ſed fermè absque pilis ullis. Vid. Hieron. Cardan. de ſubtil. l. 10. p. 550. Vartomannus caudam habere ſimilem bubalis trium forte dodrantum longitudine cum paucis in extremitate pilis prodit: in cauda tamen nullum illis eſſe pro abigendo muſcarum tædio præſidium Plinius ſtatuit, quas cute cancellatâ & in rugas coarctata enecare ſolent: invenitur tamen in deſcriptione Guineæ, iſtiusmodi caudis mulieres ab idolis arcere muſcas, quem in finem etiam Ceilonenſes his utuntur, ut refert Joh. Jac. Saar in diſc. de reb. Indicis cap. 4. p. 67. Plinius Indos Smaragdos, quibus abundant, perforare, eosque Elephantorum ſetis religare ſcribit: has in ſummo apud Indos eſſe pretio, adeò ut una ſeta ſive pilus pro tribus mancipiis interdum vendatur, ex Aug. Caſſiodoro conſtat: hic refert in deſcriptione Regni Congo p. m. 24. dari in Regione Bamba quosdam incolas, qui Elephantum in anguſtâ viâ forte ambulantem adoriri, eique caudam extremam cum nigerrimis iisque ſplendentibus pilis præſcindere audent: ſic enim Elephantum ob vaſtam corporis molem ſe inſidiatori ſuo non obvertere nec ſe defendere poſſe norunt: contingere autem interdum, ut hi pilorum prædatores à beſtiâ correpti ob hanc temeritatem vitæ jacturam patiantur.

Ætate provectiores Elephanti optimis pilis in caudâ gaudent: ſolis Nobilibus his uti conceſſum: craſſitie æquant juncum vel filum craſſius, quod à robuſtô Virô ægrè & vix ſine manuum læſione diſcerpi poteſt: itaque quô Seniores ſunt Elephanti, eô pretioſiores æſtimantur eorum pili. De his pilis Franciſcus Redi in experimentis naturalibus p. m. 114. habet ſequentia: Elephanti in exiguâ ſuâ caudâ nigros aliquot pilos, vel ut melius dicam, ſetas nigras transparentes, quaſi oſſeas, ſed flexiles obtinent, quod ſi inter has nigras ſetas repeniatur alba, in magno apud Indos Orientales pretio eſt, maximè verò

in Imperio Siam, & in Insula Ceylon, ubi cum nonnunquam Elephanti albi inveniantur, major quoque setarum illarum copia est. quibus populi illi utuntur contra surditatem, frustulum illarum instar turundæ in aures immittendô: præterea credunt, eum, qui armillam ex his setis factam brachiô gerit, ab omni imposterum vertigine, aëris marini infectione & peste immunem esse. Sed addit hic Author, se novisse quosdam diu hôc medicamento usos, qui auditum non recuperaverint. Philippus Pigafetta affirmat, in magnô hos pilos esse pretiô apud Africanos non ob aliam causam, quam ut ornatui Virorum fœminarumque inserviant.

Cardanus l. 20. de subtil. caudam fermè pilis destitutam esse, & rarissimè fieri scribit, ut unus aut alter inde colligatur. Cadamustus sese pilos nigricantes & duorum ferè palmorum mensuram excedentes extraxisse testatur: in extremitate caudæ paucos pilos observavit. D. Casp Hornius in descript. Elephant. p. 35. Itaque Elephas caudâ non æquè uti potest, ut equi, boves & alia bruta.

Arrigi caudam sicut Cedrum ex Hiob. cap. 40. liquet, quod L. Osiander ita explicat: ipsius cauda tam longa atque recta est, ut possis illam arbori Cedro erectæ comparare: in illâ tamen nullum habet præsidium, sed nihilominus à muscis valdopere exagitatur. Vid. W. Frantzii histor. an. part. I. cap. 4.

Caudæ crassitudo juxta radicem dodrantalis, in medio septem digitorum est: extremitas crassa est quatuor digitos: setas habet tres digitos longas, secundum Petr. Gillium in descr. Eleph. p. m. 19.

A. Moulinus in suo Elephanto paucos invenit pilos, sed notabiliter rigidos & ferè porcorum setis spissiores, nigros, juxta radices, viscidô quôdam rore pro suo nutrimento obductos: observavit præterea glandulas miliares, ipsius judicio à sanguinis massa materiam aliquam excrementitiam nutritioni pilorum aptam probabiliter separantes: alioquin cutem pilosam aliorum brutorum more non habent Elephanti: non enim opus erat, ut ingens hoc animal in calidissimis Indiæ & Africæ locis nasciturum & victurum contra frigus pilis tegeretur: quos si haberet, facilè propter affrictum, ad quem ob cutis pruritum valdè proclivis est, perderet. Numerum vetebrarum caudæ numerare non potuit Moulinus loco citato, igne enim erant maximam partem absumptæ.

Habent quadrupedes, quæ animal generant, omnes vice brachiorum crura priora: sed præcipue, quæ multifidæ sunt: hæ manibus suô digitato pede respondent: hôc enim ad plura quasi manu utuntur: partem enim lævam minus quam homo absolutam habent & agilem excepto Elephanto, ut scribit Aristoteles H. A. l. 2. c. 1. Crura habet Elephas teretia supra & infra ferè

æqualia, crassa & robusta ad columnarum modum, atque in his juncturas ab aliorum animalium juncturis diversas, videlicet talo propiores: hinc fit, ut in genua procumbentes vix humiliores fieri videantur: crura anteriora posterioribus longiora sunt, majora atque validiora: Hinc Oppianus:

Non eadem est mensura pedum, quippe anteriores
Altius exsurgunt paulò quam posteriores.

Singulorum crurum pellem in medio crure latam duos pedes scribit Petrus Gillius. Crura ejus æquali supra & infra sunt crassamento secundum Vartomannum. Magna sunt, & ex æquo ferè supra infraque crassa columnarum instar, ait Albertus Magnus: articuli crurum tam sublimes non sunt, ut aliorum animalium, sed humiliores terram versus secundum Vartomannum l. c. Pedes priores majores, cujus rei causam reddit Albertus M. l. 2. tr. 1. c. 1. de animal.

Genua Elephantos non posse flectere Ambrosius putat, quia secundum ejus opinionem rigidiore crurum usu opus fuit, quibus velut columnis tanta posset membrorum moles fulciri: calcaneum modò leviter eos inflectere credit, rigere cætera pedum â summô ad imum. V. Cœlius l. 4. 12. unde & credo, inquit Vossius, hæc bellua Ægyptiis, (quod est apud Orum Hieroglyph. l. 2. c. 86.) Symbolum erat Regis: nam Rex supplicat nemini. I. B. Tavernier in itinerario Persico scribit; Persarum Regem ab Elephantis, anteriores pedes prorsum, posteriores retrò, quantum poterant, porrigendo salutatum se vidisse, idque nonnullos pro genuflexione habuisse. Flexuras enim & juncturas habent Elephanti poplites contra Veterum sententiam, quod astruit Aristot. l. 2. H. A. c. 1. scribens: Viviparis inter animalia quadrupedia flectuntur priora crura antrorsum, posteriora verò retrorsum: & habent flexurarum cavitates ad se mutuo conversas: Elephas autem non ita, sicut aliqui dicunt: flectit autem posteriora crura sicut homo.

Crura iis magna sunt & fortia, neque (ut quidam imperiti existimant,) unô tantum osse indivisa constant, sed genua flectunt more aliorum quadrupedum: eapropter Elephanti, (ut refert Aloysius Cadamustus, qui cum classe in Æthiopiam & Regionem Calicut navigavit,) ut eos, qui insidere volunt, suscipiant, genua submittunt, seque erigunt deinde. Vid. A. Matthiolus comment. in Dioscorid. l. 2. c 50. p. 216.

Quis Strabonem cæterosque non rideret, inquit P. Gillius, scribentes, Elephantorum venatores notare arbores, quibus Elephanti accumbere solent, atque ex alterâ parte truncum rescindere, cui bestia inhæserit, eamque pariter cum arbore ruere: cumque resurgere nequeat, propterea quod crura continuum & inflexum os habeant, ex arboribus desilientes illam obtruncare:

quod

quod commentitium deprehendi; nam etiamsi solo dorso ad terram adnitens quatuor pedibus erectis supinus constitueretur, tamen nullius auxiliô se facile invertebat atque erigebat: id quod etiam Anno 1689. Augustæ Vindelicorum in Elephanto mare quinque annorum vidimus, qui supinus in terrâ pedibus sursum versis jacens facili negotio resurgebat.

Os cruris anterioris in femore longum duos pedes, cujus medium habet perimetrum dodrantalem: ejusdem pars attingens genu, habet diametrum pedis & quindecim digitorum: ejusdem cruris os tibiæ est longum pedem atque dodrantem, cujus pars, quæ annnectitur juncturæ, ad quam alligatur pes, habet perimetrum pedis & quatuordecim digitorum: cujus medium habet ambitum quindecim digitorum. Os cruris posterioris femorale longum duos pedes & decem digitos: ejus medium habet perimetrum dodrantalem: hujus ossis pars attingens juncturam, quâ alligatur ad tibiam, est perimetri pedalis, & tredecim digitorum. Tibiæ os est duplex vel potius unum, partim ita conjunctum, ut in suis duobus capitibus sit idem: deinde divisum ab uno capite ad caput alterum in duo ossa inter se distantia duos digitos, quorum unum magnum, alterum parvum: magni quidem perimeter in medio est dodrantalis; parvi verò sesquidigitalis.

Ossa ejus sunt viribus chalybeis, baculo æreo seu ferreo vecti similes. Hiob. c. 40. Quoniam corporis magnitudo vasta pondusque ingens est, ideo sustinendi tantummodo gratiâ pedes habet priores, nec ad ullum alium usum utiles propter tarditatem flectendi atque ineptiam. Vid. Aristotel. l. 2. de part. an. c. 16.

Petrus Gassendus in vita Peireskii lib. 4. p. m. 156. de Peireskio refert, quod depingi Elephantum triplici facie curaverit, ac recubantem potissimum, ut commissuræ melius paterent, quæ inter pedem & tibiam, tibiamque & femur, ad convincendum errorem, qui auctoritate Strabonis aliorumque invaluerat de inflexibilitate crurum fabulisque superstructis. Adjicere autem solebat, cum hæc deinceps memoraret, minimè potuisse antiquos articulationem latere, quod in quibusdam vulgò vocatis Metallionibus expressissent Elephantem funambulum, insigni quâdam utique non mobilitate modo, sed & flexibilitate crurum.

Inflectit Elephas genua seu posteriores poplites secundum Aristotel H. A. l. 2. c. 1. & Plinium l. 11. c. 45. sicut alia animalia & sicut homo, quamvis aliquantò tardius: eapropter illi totô cœlô errant, qui ex mente quorundam Veterum sibi persuadent, Elephantos habere crura sine juncturis, & semel in terram prolapsos resurgere non posse: huic enim opinioni refragatur

non

non solum Aristoteles lib. de animal. incess. c. 9. ubi expresse scribit, quod antiquus hic de Elephantis sermo haut quaquam sit verus: sed & Plinius, Ælianus aliique Authores, ut & ipsa experientia & αὐτοψία. Dulcis hæc est phantasia, inquit Johann. Sperling in Zoolog. l. 2. c. 4. quam visus refellit, cum Elephas nunc flectat nunc erigat crura, & genibus submissis fiat supplex: sæpè in pulvere & arenâ volutati confestim subsiliunt atque se erigunr. Vid. Happel. Rel. Cur. part. 2. p. 736. & Petri della Valle Itinerar. l. 2.

Similiter & hoc abludit â verò, quod dormientes non decumbant humi, sed ad arbores se reclinent, cui expresse contradicit Aristoteles H. A. l. 2. c. 1. inquiens: Elephas non ut aliqui retulerunt, agit, sed considendo crura inflectit: nequit tamen præ nimio pondere utrumque in latus æquilibriô quôdam vergere, sed aut lævo incubat aut dextro, atque eô ipso habitu requiescit: flectit hic certè suos posteriores poplites more hominis: in his secundum Plinium sunt articuli breves, quos si non flecteret, commode progredi non posset. In solo Elephanto flexura est seu articulatio in medio tibiarum, teste Bontiô, præter alias communes, ut scribit Bartholinus l. 4. de Ossibus p. m. 752. interdum tamen ad arborem reclinatus dormit, non autem hanc ob causam, quod juncturis careat, sed ideò somnum erectô corpore capit, quia ei esset operosum decumbere, simul & deinde grave â cubitu resurgere, ut scribit Ælianus l. 4. c. 31.

Nonnulli tamen statuunt, Elephantos, postquam juventam excesserint, crura tibiasque non amplius flectere posse: propterea dormientes non recumbere, sed fessos se magnis arboribus applicare, eas tum succidere maximam partem Venatores, ut sic belluæ iis innixæ facilius cadant & capiantur: sed falsum hoc esse, rerum Magistra docet experientia. Pori Regis Indorum Elephas Regem vulneratum descendere animadvertens se ipsum inclinavit, & flexis genibus mansit, ne fortè graviore casu Porus affligeretur; sic Plinius de Elephanto in circo pugnante l. 8. c. 7. refert, quod pedibus confossis repserit genibus in catervas: sic apud Osorium l. 9. legimus, Elephantum Leoni decimo An. 1514. missum, Pontificem ê fenestra spectantem ter genibus flexis & demisso corpore venerabundum salutasse.

Malleolos posterioribus imis cruribus, teste Aristotele H. A. l. 2. c. 1. possident: sed de crurum flexu aliter alii tradunt: alii enim crura sine nodis articulisque habere, ossa solida & inarticulata, ideò crura tibiasque flectere non posse, & si cadant, nec surgere credunt: alii, ut Plinius, H. N. l. 8. â cap. 1. ad 12. in posterioribus articulos breves obtinere, & poplites intus hominis modo flectere prodidêre, id quod experientia docuit. Vid. Jonston.

l. c. Elephantos crura sine nodis articulisque habere vanum esse asserit Gillius: imò putat, eos habere flexiones, ut alias bestias, cùm pro lubitu crura flectant atque erigant: in imâ enim propemodum cruris parte junctiones & flexus habent. Idem Gillius de suo quadrimo Elephantô narrat, quod sæpe resupinus cruribus instar canum hinc inde motis luserit, & sine difficultate ulla pro lubitu resurrexerit, quod utique sine articulis præstare nullus potuisset: & tum apertè vidi, inquit, quam mendaces sint illi, qui tradunt, Elephantorum crura carere articulis & juncturis, cum singula duas juncturas habeant, unam supra pedem, quâ pes annectitur ossi tibiæ, inter quam & pedem multiplex junctura multis ossibus compingitur, latis aliis super alia structis: post hanc juncturæ structuram sequebatur os tibiæ: deinde secunda junctura genuum & poplitum, supra quam os femoris: denique omnia ejus ossa eburnea, & tam candida, quam ipsius cornua vulgò dentes, quæ periti dicebant esse commoda ad ea, quæ ebore illustrari solent.

Ex Alcorano constat, de Elephanto fabulari priscos Arabes, annô quô natus est Mahomet, Regem Abyssinorum Abraheth venisse Mecham, ut Mechanum templum exscinderet, & peregrinos, qui illud quotannis visitabant, ad aliud Templum invitaret â se exstructum in urbe Sanaâ & ruinis Palatii Belkis Reginæ Sabæorum, quæ R. Salomonem inviserat: cum autem tribus parasangis â Mechâ abesset vectus Elephantô, (qui Machmud vocabatur,) Prophetam quendam Naphil nomine Elephanto sequentia verba in aurem insusurrasse: Flecte genu, ô Machmud, aut rectâ viâ revertere: tu enim es in Regione Mechensi DEO devotâ: tum verò Elephantum genu flexisse, nec pergere voluisse, quamvis virgâ ferreâ ad sanguinem usque cæderetur: sed capite in Jeman, id est, intimam Arabiam, unde venerat, obverso, non solum surrexisse, sed & expeditè ivisse: quâ de re vide plura differentem S. Bochartum in Hierozoic. l. 2. cap. 26.

Qui itaque Elephanto cruris flexuram adimunt, eâdem operâ illum immobilem esse statuunt: verissimè enim Philosophus librô de incessu animalium cap. 9. inquit: si flexus non sit, neque erit incessus, neque volatus, neque natatio. Quia articulos crurum non tam sublimes habent, ut alia animalia, sed humiliores terram versus, ideò insidendi insuetis nauseam commovet: quod tamen de provectioribus intelligi debet: siquidem Vartomannô & Gilliô attestantibus ex adolescentium molli gradu sessor tantopere delectatur, ac si mulâ gradaria veheretur: gradatim ambulant propter corporis gravitatem: neminem tamen ajunt tantæ esse pernicitatis, quem suo incessu non assequantur.

Grandiores etiam Elephanti adeô molliter incedunt, ut velut navigantibus per mare, his, qui non assueti insederint, aut in ligneis essedis vehuntur, nausea commoveatur propter corporis magnitudinem. Vid. Cardan. l. c. quem hôc nomine perstringit more solitô J. C. Scaliger exerc. 204. inquiens: se nescire, quid sit molliter: aut forte Cardanum ironicè loqui: tam molliter autem incedit, ut sessor quasi immobilis esse videatur: non solum Rectorem ascendere tentantem crure flexô incurvatôque in gradum excipit, sed alios quoque assidere volentes â tergô Rectoris: primum ascendentem crure priore erectô excipit, reliquos crure posteriore similiter erectô: ita enim crus inclinat, ut illud flectat, tibiamque in gradum dispositam etiam diu suspensam teneat, si quis cunctatur in ascensu: neque modò si Rector jusserit, latere inclinatô & genu flexô excipit ascensorem sed etiam totum latus inclinat, & simul ad terram abjicit ejusdem lateris tibiam priorem & posteriorem, ut facilius, quem Rector voluerit, suscipiat. Non etiam semper lentô gradu progreditur, sed ubi opus est, satis velociter se movet, atque adeò subsultat, ut Spectatori non levem terrorem incutiat, præsertim quando in rabiem agitur, quod interdum contingere solet.

1. Memorabile est, quod curiosi Naturæ indagatores de Elephanto scribunt, illum, quo magis oneratus est, eo firmius incedere, si v. gr. 20. Viros cum armis & instrumentis bellicis in tergo portet, firmius incedit, quam si decem gestet, cujus rei rationem reddit Poëta:

> Cum leve gestat onus, illud non sentit, & inde
> Segnius incedit: - - - - -

ubi autem majori est gravatus onere robori suo conveniente, vires omnes exserit: non secus, ac videmus strenuos viros eô magis virtutem suam exserere, quô plures eos circumstant res adversæ. Vid. Alsted. Encyclopæd. l. 7. Phys. part. 6. cap. 5.

Pedes ejusdem cum equinis sunt rotunditatis, sed multo ampliores, in forma orbis majoris mensarii, disci instar rotundi, duos tresque palmos lati, & in quinque ungues divisi, ut planta quaquaversum ad binos dodrantes accedat. Vartomannus pariter pedis rotunditatem orbi mensario assimilat: ex callo nigerrimo & amplissimo constant cum ungulis quinque rotundis mediocrium concharum magnitudine, ut scribit Matthiolus in comment. in lib. 2. Dioscor. cap. 50. p. 216. P. à S. T. scribit in Itinerar. Orient. illis in pedibus esse induratam carnem, beneficio cujus suaviter currere, sessoresque suos sine succussione portare possit: ut facilius illi ascendant, porrigunt incurvatum pedem, quo tanquam scabello utuntur: incedunt promptè & alacriter, etiam sine duce, nullis constricti habenis

&

& prorsus liberi, magistrosque suos præeuntes sponte sequuntur. Pedes in quinque digitos intus deducti sunt, planta pedis firma & densa solidiore ungulâ munita, ut scribit. J. B. du Hamel Histor. Reg. Societ. Academiæ lib. 2. s. 9. cap. 1.

Ex Elephanti vestigio totius corporis vastitatem conjectare licet: observatum enim est, cujus linea dimetiens esset palmorum trium & pollicis, inquit J. C. Scaliger exerc. 204. Vestigia maximorum Elephantorum in diametro quatuor spithamas, quæ duos pedes & octo digitos faciunt, excedere, scribit Philippus Pigafetta in descriptione Africani Regni Congensis. In Elephanto quôdam Antverpiæ viso calcis sive plantæ imæ diameter fuit pes unus & fermè digiti duo.

In extremo pede ungulæ quinque visuntur, & planta multipliciter scissa, ne scilicet altius pedes imprimat, si quando in humido solo fortè constiterit. Plantæ pedis in Elephanto A. Moulini erant planæ seu substantia instar cornu, ut aliorum quadrupedum, sed cute, sicut camelus: valdè informes & indistincti sunt pedes, ungulis magis quam unguibus præmuniti, in extremitate totidem grandium digitorum, sed valdè brevium. Elephanti non bisulcos, non solidos pedes habent, sed digitatos: & quoniam magnitudo corporis vasta pondusque ingens est, ideo sustinendi tantummodò gratiâ pedes habent priores, nec ad ullum alium usum utiles propter tarditatem flectendi atque ineptiam.

Quamvis autem Elephas sit πολυδάκτυλος, non tamen ut simiæ vel alia digitata animalia suis digitis ad apprehendendum utitur, aut illos ori admovet, sed iis saltem ad sustentandam ingentis sui corporis molem pro crurum adminiculo utitur. Elephas animal multifidum est secundum Aristotelem l. 4. de gen. an. c. 4. l. 2. de part. an. c. 16. Digiti ejus indivisi ac leviter formati, nec ungues omnino sunt, sed ungulis similes. Vid. Ælianum l. 4. c. 31. qui putat, eapropter hoc animal minimè esse ad natandum habile. Natura hos conjunxit, ut pes validior esset. Jonstonus in hist. nat. de quadrupedibus l. 1. c. 5. Elephanto inter μονόχυλα locum concedit: etsi enim ungula ejus in digitos videatur efformari, quia tamen sunt indivisi, dubitat, an & quomodo à solidipedibus excludi possit.

De Elephanto quadrimo Gillius in descript. Eleph. c. 4. ita scribit: Planta pedis prioris rotunda, quaquaversus habens diametrum pedis unius: at posterioris longa pedem & digitum: lata undecim digitos: in singulis pedibus anterioribus habet quinque ungulas inter se leviter discretas, sed non eminentes extra rotundam pedis formam, & in parte interiore callus est loco ungulæ quintæ: planta omnium pedum æqualis est ungulis, callosa non perpetuo callo, sed divisa fissuris: tenera

 est,

eſt, & ſpinis penetrabilis: ungularum ſingularum infera pars plana æqualisque eſt planitiei plantæ, lata tres digitos, longa quinque digitos: ungula alta tres digitos. Ungulæ ſunt ei datæ partim contra aſperum iter; nam cum planta ſit tenera, pes admittitur ad terram unguiculis: partim ad radices exſtirpandas: pede enim herbas radicitus evellit, eò pedis impetu utens, quo Agricola ligonibus exſtirpat frutices. Pedes Elephanti proſternunt acies, proterunt armatos: in rabiem interdum acti obvium quemque conculcant.

Ut omnibus animalibus ſecundum Plinium l. 10. c. 38. ſic etiam Elephanto certus inceſſus eſt: progreditur autem utplurimum molliter, at ubi opus eſt, velociter etiam movetur & currit: paſſu gradariô tantum conficit, quantum feſtinantes equi, ait Gillius l. c. Juniores Elephanti tolutim incedunt, ut equi tolutarii & muli nonnulli, non ſine ſeſſorum delectatione, cum tanta etiam celeritate, ut homo currens illos gradatim & pedetentim ſaltem ambulantes vix aſſequi poſſit. Quam exiles tenuesque ſunt particulæ illæ ſpirituoſæ, exclamat Clariſſimus Joh. Majow. Oper. Med. Phyſ. c. 10. p. 153. quæ ingentem Elephanti machinam in motus planè ſtupendos concitant? Et quid demum de particulis inſectorum minimis dicendum eſt? Etenim cum tota earum moles tantum ſe inſtar puncti habet, quam minutæ erunt partes illæ, quæ nec milleſimæ totius exiſtimandæ ſunt? & utique affirmare auſus ſum, hujusmodi motus naturales particularum ultra captum humanum minutarum ope perfici: quippe naturæ familiare eſt, maxima quæque minimorum ope perficere. Sic ἐλάχιστον ζῶον ψύλλος ἅλματι μέγιστον Ἐλέφαντα νικᾷ: id eſt, minimum animal pulex ſaltu maximum ſuperat Elephantum. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

In motu alacritatem oſtendit vaſtiſſimum animal: incedunt ſæpè gregatim, ordinique excelſiſſimus præeſt: reliquos in medio collocant, ut agmen claudant paulò majores: membrorum motus varius eſt, unde in theatris partes ſuas optimè agunt. In fugam quando ſe proripiunt, diſpeſſis auribus currunt, quas ut nautæ vela, vel quemadmodum Struthiocameli alas extendunt: inter currendum proboſcidem contractam ſub cornibus quaſi abdunt, ne ſi nimis propendeat, illis remoram injiciat, & ſic cum magno impetu feruntur per ſylvas, præſertim quando venatores illos perſequuntur, ubi quosvis arborum obvios ramos ab illis confringi contingit, per quos tam promptè, ut cervi leves per ſata penetrare poſſunt. Vid. Ælian. l. 7. c. 6. & 41. & lib. 9. cap. 8. Paſſibus incedunt longis, adeò ut etiam gradatim ambulantes hominem currentem aſſequi poſſint: tam molliter autem incedunt ſecundum Cardanum, ut non ſecus ac mare, iis qui non aſſueti inſederint, nauſeam com-

commoveant, & ſeſſor ferè immobilis videatur, rarò aliquis tantâ eſt velocitate, quem non vel ſuô tardô gradu aſſequantur, inquit Gillius l. c. Id efficit vaſti animalis moles: quandoquidem ſui greſſus longitudine humanam omnem pernicitatem evincat, ut ſcribit A. Matthiolus locô ſupra citato.

An natare poſſint Elephanti, ab Authoribus controvertitur: quod aliquando natare diſcant, affirmat Strabo, quod veriſimile eſſe inde apparet, quod amnes impenſè ament, & libenter juxta fluvios & paludes verſentur. Ariſtoteles non ſimpliciter negat, illos ad natandum habiles eſſe, ſed aliquâ ex parte concedit: Livius verò & alii Hiſtoriographi referunt, illos aliquando profunda trajeciſſe flumina: ſic refert de Hannibale fluvium Rhodanum trajecturo, non autem tum temporis inſtructo pontibus navalibus, per quos tranſirent Elephanti, quod imperaverit beſtiarum Rectoribus, ut illos ad transnandum vi compellerent: quod cum fruſtra tentatum eſſet, juſſiſſe tandem Hannibalem, ut miles quidam natandi peritus unum ex ferocioribus Elephantis juxta aurem leviter vulneraret, atque hoc facto confeſtim in fluvium ſe conjiceret: hâc injuriâ irritatus Elephas vindictæ cupidus adverſarium jam in fluvio natantem ſtatim inſecutus eſt, quem ſequentes reliqui hoc ſtratagemate feliciter transfretarunt.

Sic ſcribit H. Decimator Sylv. p. 2. quod Elephanti, quos India alit, ampliſſimi Indiæ fluvii Gangis latitudinem natando ſuperare poſſint: hic fluvius autem, qui vulgo Phiſon dicitur, & in quem 19. amnes influunt, quando intra ſuum alveum coërcetur & minimus eſt, latitudine ab 8000. usque ad 20000. paſſus ſe extendit, ubi modicus eſt, ſtadia habet 100. Vid. Plin. l. 5. H. N. Q. Curt. l. 8. Happel. Rel. Cur. p. 2. p. 736.

Gregorius M. in præfat. Moral. in Joh., Sacram Scripturam comparat fluvio pleno & alto, in quo & Agnus ambulet & Elephas natet: Quomodo verò natet Elephas, authores non dilucidè tradunt: plures ſcribunt, quod aquam ægrè ingrediatur, cum propter magnitudinem corporis nare non poſſit: alii referunt, quod flumina intret, ubi immerſus & inviſibilis factus proboſcide ſuper aquas erectâ in fundo alvei ad oppoſitum litus ambulet. Contra Ælianus l. 4. c. 31. & lib. 7. c. 13. natandi peritiam grandioribus Elephantis denegat, junioribus verò concedit, quando inquit: cum flumen trajiciendum eſt, natu minores primò ingresſi aquam natando trajiciunt: grandiores verò pedibus innixi transeunt, & fluctibus obruuntur, duntaxat promuſcidibus, quibus reſpirant, extra aquam eminentes, id quod ex Ariſtotele ſupra, ubi de proboſcide actum eſt, notavimus: rarò ſcilicet Elephanti ingrediuntur fluvium tam profun-

dum, qui suâ profunditate illos ad natandum cogat, ut scribit D. Casp. Horn. in discursu de Elephantô cap. 4. Aquas transituri proboscide gestant parvulos, ne sibi relicti suffocentur. W. Franz. hist. an. p. 1. c. 4. scribit, illos non posse natare, naves autem vehementer amare: unde Erasmus Roterodamus hanc similitudinem mutuatur: quemadmodum, inquit, Elephanti, cum natare propter magnitudinem corporis non possint, navibus tamen impense delectantur, & circa illas versari gaudent: ita plurimi, cum ipsi literas nesciant, inter eruditos tamen libenter, & cum summâ voluptate versantur: unde hæc fluit admonitio, ne propter ignorantiam prorsus abjiciamus vel contemnamus bonarum rerum studia, sed ea in aliis amemus & admirari discamus, ne audiamus illud: Ars non habet osorem, nisi ignorantem.

Si pedes Elephanti accuratè inspiciantur, videntur illi ad natandum non satis esse idonei, siquidem sunt indivisi, leviterque discreti: hinc Lipsius epist. 59. cent. 1. illos natandi inscios esse arbitratur: quod confirmat Illustris quondam & celeberrimus Vir Jobus Ludolphus, νῦν ἐν ἁγίοις, in suo commentario ἀνεκδότῳ ad lib. 1. c. 10. v. 18. Hist. Æthiop. comment. 77. inquiens: â paucis, quod sciam, notatum, quod Elephas instar amphibii flumina permeet: cum enim ob corporis molem natare non possit, sub aquis in profundo tendit ad fluvii ripam, procul dubio tamen proboscide super undas exertâ respirans. Viam regiam pedibus suis Elephantos efficere, eamque ceu minus impeditam iter facientes libenter sequi, ex Gregorii relatione refert idem in suâ historiâ Æthiopicâ locô citato.

PARTIS I. CAPUT 10.

Elephantorum differentias & locum natalem indagat.

UT in omnibus rebus, ita etiam inter Elephantos maxima differentia est: Sexûs discrimen quod attinet, fecit DEUS ab initiô, ut in reliquorum animantium, sic etiam in Elephantorum creatione marem & foeminam: & vidit DEUS, id esse bonum. *Genes. 1.* In perfectissimis animalibus mas & fœmina distinctè habentur, inquit Aristoteles *l. 4. de gener. animal. c. 1. & lib. 4. H. A. c. 11.* dicit: in quadrupedibus omnibus alterum mas, alterum fœmina est: quod tamen de Rhinocerote negat Oppianus, de illo ita canens:

Omnes

Omnes suntque mares, (mirabile) fœmina nunquam
Visa fuit, quæ res nos ignorare fateri
Cogit, queîs veniant aut producantur in oris,
Petra feratne aliqua hoc nobis genus exitiosum:
An vomat internô conceptum semine tellus,
Anne ipsi se ineundo mares, (ô monstra ferarum)
Progenerent, omni sine amore & compare fiant:
Denique an haut ullô crescant pariente: fatemur,
Nullas nos aut scire aut posse ostendere causas.

Nollem tamen subscribere Oppiano more Poëtarum heîc forte ludenti: nam animal tàm perfectum, quale Rhinoceros, & quod tanti roboris est, ut & sæpè ipsum Elephantum, cum quô capitales gerit inimicitias, prosternat atque vincat, æquivocè generari impossibile est: quod vix credibile videtur, donec de ipsius æquivocâ generatione certiora proferantur, quod vix sperandum. Multa nos latent, quæ propterea neganda non sunt: fateri equidem cogimur, pauca de Rhinocerotis generatione tradi ab Authoribus, qui siccô pede hanc prætereunt: quam tamen more aliorum animalium perfectorum univocè fieri nullum dubium est: sic refert Jacobus Bontius, quendam urbis Bataviæ in Insula Java Secretarium, nomine Dietericum Jemming cum duobus sociis in proximâ sylva Rhinocerotem fœminam cum catulis vidisse. Vid. Happel. *Rel. Cur. part. 2. p. 745.*

Non tamen imus inficias, in quibusdam animalibus utrumque sexum deesse, quod Aristoteles etiam *l. 1. H. A. c. 3.* & *lib 4. c. 11.* docet: Hinc pulchrè Oppianus:

Si certè crudi nascuntur in æquore Ponti
Ostrea, quæ ex sese sine matre & sanguine fiunt,
Imbellesque Apuæ & Cochlearum nexilis Ordo,
Et queîs testa ambit corpus munitque tenellum.
Aut quæ litoreis vivunt conchylia arenis.

In genere insectorum & piscium sunt, quæ omninô sexûs hoc discrimen alterutram in partem non habent: sic anguilla neque mas neque fœmina est, neque prolem ex se aliquam potest procreare: sed qui eam capillamentis & lumbricis quædam similia interdum annexa sibi gerentem vidisse ajunt, inconsideratè id asserunt, antequam advertant, quâ parte illa gerantur: neque enim aliquid ejusmodi est, quod animal creet, nisi prius generarit ovum, quod in nulla anguilla visum est. Vid. Aristot. *l. c.* Sed hæc incidenter.

Elephas mas ut corporis quantitate, sic & ætate superat fœminam: præterea longè facilius cicuratur & mansuescit, quam fœmina, quæ secundum H. Cardanum *lib. 10. de subtil. p. 552.* iracundior, sævior & robustior est masculo, licet corpore minor: hæc quamvis fuerit jam mansuefacta, facilè tamen pristinam induit ferociam, & homini multò infestior est, quam masculus,

lus, præſertim quando catulum habet, quô tempore animoſior eſt, quam mas, qui ignem cane pejus & angue fugit, quem fœmina tunc non timet: extra hunc caſum verò fœminas multô pavidiores eſſe maribus ſcribit Plinius *l. 8. c. 8.* Vartomannus fœminam mare multò robuſtiorem & alacriorem, & in hoc genere planè virilem eſſe ſcribit: Gillius ad vectiones onerum fortiores eſſe fœminas exiſtimat: Mas tamen præliis aptior eſt.

Duo illorum genera ſunt, inquit Solinus *cap. 38.* Nobiliores indicat magnitudo, minores nothos dicunt: candore cornuum (vulgò dentium) intelligitur juventa, quorum alterum ſemper in miniſterio eſt, alteri parcitur, ne hebetatum aſſiduo repercuſſu minus vigeat, ſi fortè fuerit dimicandum: cum venatu premuntur, pariter confringunt utrumque, ut ebore damnato non requirantur: hanc enim ſibi cauſam periculi præſentiunt.

Differunt inter ſe Elephantes mirum in modum robore atque animo: ſunt apud Indos in uſu rei bellicæ non ſolum mares, verum etiam fæminæ, quæ tamen pauciores ſunt, & ſecundum Ariſtotelem *l. 9. H. A. c. 1.* aliquantò timidiores, ubi pluribus docet, fæminas omnes minus quam mares eſſe animoſas, ſed malitioſiores, aſtutiores, inſidioſiores atque in nutrienda prole magis ſolicitas, mares contra animoſiores eſſe, ferociores, ſimpliciores, minusque inſidioſos.

Fæminas Elephantorum nullis armari cornibus ſupra dictum eſt: id quod oculati teſtes plurimi affirmant: de quo, vid. Happel. *Rel. Cur. part. 2. p. 743.* J. C. Scaliger tamen illis valdè brevia eſſe ſcribit de *ſubtil. exerc. 204.* Hic naturæ luſus eſt, illi ferè ſimilis, qui in porcis ſylveſtribus videtur, quorum fæminæ etiam dentes exſertos, ſed longè minores habent: Natura tamen luxurians ſecundum Ælianum interdum illis etiam ejusmodi arma indulget, quemadmodum cervas cornutas Cæſar Maximilianus cepit, referente Jonſtono, quod etiam Scaliger obſervavit: ejusmodi cornigeram Cervam æri inciſam reperire licet in *Ephemer. Acad. Natur. Curioſ. l. 9. obſ. 88.* in agro Huſumenſi Anno 1597. d. 18. Auguſti captam, in atriô Ducali Huſumenſi ad vivum depictam, & in atrio Gottorpienſi, quod viridè appellatur, gypſo affabrè efformatam, de quo elegantisſima Clarisſimi Viri D. G. Morhofi Elegia ibidem legi & evolvi poteſt, ex quâ quatuor ſaltem ſequentia diſticha hûc tranſcribere libet:

Cornua cum tegerent, ſed lædere neſcia, frontem,
Frons malefida caput prodidit ipſa ſuum:
Nám qui forte videns me per nemus alta ferentem
Cornua Venator credidit eſſe marem:
Lædere cum ſexum non ſuſtinuiſſet inermem,
Nunc dubiam incuſſo vulnere ſternis humi:

Cornua

Cornua me perdunt: Naturæ scilicet illa
Ni fuit errantis culpa, jocantis erat:

Germanicô idiomate anonymus quidam hûc alludens cervam cornutam producit in scenam sequentibus rhythmis:

Wer weiß nicht/ daß der Hirsch am Haupt Geweyhe führet?
Ich aber als sein Weib bin auch also gezieret:
Was/ Leser/ meinestu? vielleicht irr't die Natur:
Nein: irren kan sie nicht: Sie schertzt und spielet nur:

Die Zierde/ welche mir
Die Zeuge-Mutter geben/
Die bringt mich armes Thier/
Ach! leider/ umb das Leben.

Differentiæ & genera Elephantorum à diversis locis imprimis sumuntur, seu Philostratum, Ælianum & Plinium, seu recentiores spectes. Multa in Oriente proveniunt, quæ in aliis Orbis partibus nusquam reperiuntur: efficacior enim est ibi Solis virtus, quam in Occidente: eapropter ibi nascuntur, quæ ampliorem expetunt caloris copiam, ut sunt Leones, Tigrides, Elephanti, item gemmæ & aromata, quæ omnia in locis ad Orientem, maximè quæ ad Austrum spectant, affatim succrescunt. Vid. Cœl. Rhodigin. Lect. antiq. cap. 9. & cum frigoris sint impatientes Elephanti, mirum non est, illos in frigidis Regionibus non nasci. E provinciis Mauritanis Tingitana, qua solstitiali plagæ obvia est, quæque porrigitur ad internum mare, exsurgit montibus septem, qui propter similitudinem fratres appellati freto imminent: hi montes Elephantis frequentissimi sunt. Solinus *cap. 38. p. m. 115.*

Regionum ratione differunt Elephanti: inveniuntur diversi in India, Africa, ubi Elephantorum solitudines & deserta vasta, secundum Plinium *H. N. lib. 5. c. 4.* ut & in Asia & vicinis Insulis. Indi robore & mole corporis Africos Elephantos antecellunt: nam India aquis abundat: Africa autem aridior est. Vid. H. Cardan. *subtil. lib. 10. p. m. 557.* Quantò major est Elephas equô Nisæo, (sunt autem illi maximi in Persia) tantò sunt Libycis Elephantis Indici grandiores, ut scribit J. C. Scaliger ex Philostrato *exerc. 204.*

Elephantos Indicos Africanis longè majores esse Ul. Aldrovandus & Bochartus ex antiquis probant Scriptoribus: hinc Indicos Elephantos Mauri timent, & quasi parvitatis suæ conscii aspernantur ab his videri. Solinus *cap. 38.* Maxima enim in Indiâ nascuntur animalia, unde & canes ibi grandiores cæteris, ut & arbores. Plin. *l. 7. cap. 2.* Non solum autem magnitudine, verum etiam robore Indicos antecellere Africanos, author est Livius *l. 37.* de Indicis ita scribens: Ingentes ipsi erant: addebant speciem frontalia & cristæ, & tergo impositæ turres, turribusque superstantes præter Rectorem quaterni armati. Hos grandiores Elephantos Indi magni æstimant, eosque raro aliis nationibus diven-

divendunt, ut scribit Petrus de la Valle *lib. 2. Itinerar. Ind.* eorum pretium ascendit ad millenos, interdum bis mille ducatos pro singulis. Ejusmodi Elephantis Bengala abundat: V. Ol. Dappers *Asiam p. m. 4.* Diodorus Siculus *l. 3. de gestis antiquor.* de Indiâ scribit, quod ibi sit incredibilis Elephantorum numerus, qui virtute & robore corporis Libycis multò præstant. Ceylonensis Insulæ Elephantos omnium maximos & præstantissimos esse, quibus etiam reliqui Indici Elephanti, dictu mirum, reverentiam exhibent, scribit Theodorus de Bry *l. Ind. Oriental. c. 14.*

India plurimos maximosque Elephantos habet, robore & magnitudine præstantes: æquant altitudine novem; latitudine quinque cubitos: qui maximi sunt, appellantur Prasii: secundi ab his nuncupantur Taxilæ. Ælian. *l. c.* A. Matthiol. *Comment. in l. 2. Dioscord. cap. 50. p. m. 215.* nec tamen in continente Indiæ omnium maximi: majores illi, imò robustiores & magis dociliores, qui in Insula Tabrobana, ut prodit idem *lib. 10. cap. 18.* Polybius *lib. 5.* Libycas Ptolomæi Philopatoris belluas certamen cum Indicis Antiochi Magni Elephantis detrectasse asserit: neque enim Indorum odorem & barritum ferunt, sed tam magnitudine, quam robore illorum perterriti properè aufugiunt. Vid. Tit. Livii *Histor. l. 37.* Darium XII. Elephantos ex India accivisse refert Curtius *l. 5. c. 2.* Horum Elephantorum major est vis, quam quos in Africa domitant, & viribus magnitudo respondet. Curt. *lib. 8. cap. 9.*

Vartomannus *Indicar. navigat. l. 4. c. 10.* quosdam ait ad sextum decimum palmum altitudine assurgere vel ad pedes duodecim. Ælianus *l. 13. c. 8.* novem cubitos altos, quinque latos esse scribit. Auctor Speculi temporum Elephantos memorat adhuc proceriores, de Cosroe Persarum Rege scribens, quod habuerit in stabulis mille Elephantos, quorum nonnulli candore nivem æquabant, nonnulli duodecim cubitos proceri erant, quod valdè rarum est, quia plerique non superant septem cubitos. Si hæc ita se habent, non frustra Elephantum Syri vocant collem carneum: hinc benè Ambrosius inquit: velut quidam mobiles montes versantur in præliis, & ut colles altô eminent vertice. Ammianus *lib. 24.* vocat colles gradientes. Ex Poëtis Oppianus *l. 2.* canit:

> - - - conspectô Elephante putabis
> Aut nubem imbriferam, aut montis juga celsa moveri.

In Africa, quæ longè aridior est, quam India, & quidem in saltu post Syrtes in solitudinibus Salæ Mauritaniæ oppido vicinis, Libya, Getulia, proximis Atlanti monti saltibus reperiuntur plurimi. Vid. Plin. *H. N. l. 6. c. 30.* Nullibi autem plures dantur, quam in Africæ interiore parte, quod ex cornibus, (vulgò dentibus) ipsorum copiosè hinc allatis

allatis colligere licet: ut & in Africæ Regione Zamnes dicta, secundum Plin. *H. N. l. 6. c. 29.* Herodotus *lib. 3.* Thal. in Æthiopia vastos Elephantos prominentibus utrinque cornibus reperiri scribit. Mauritaniam imprimis Elephantis maximè fertilem esse, tam notum est, quam quod notissimum: hinc Strabo in Mauritaniæ descriptione *lib. 17.* eam vocat altricem Elephantorum: in ejus saltibus ad amnem, cui nomen est Amilo, nitescente Luna greges Elephantorum descendunt, quorum cornua quôlibet decenniô decidere scribit Ælianus *lib. 14. cap. 5.* Hinc Juvenalis *Sat. 11.* scribit:

> Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes
> Et Mauri celeres. - - - -

unde etiam Hannibal suos sibi comparavit Elephantos, quibus in bello contra Romanos usus est. In Mozambica armenta Elephantorum vidit Vartomannus: in provincia Pemba Regni Congo in Africa magna datur Elephantorum copia, quorum magnitudinem æstimare licet ex cornibus, vulgò dentibus ducenarii ponderis. Vid. Gothofredi Schultzens Welt-Beschreibung. Reperiuntur etiam in Cap. de bon. Esperance, si credimus Joh. Jac. Saario in *discurs. de rebus Ind.*

Apud Troglodytes in Mauritania, præsertim in Nigritarum Regno Senega dantur Elephanti nulla vi nec arte domabiles. Symbari inter Arabiæ montes & Nilum ipsorum venatibus vivunt. In Libris Lusitanarum navigationum hoc compertum est, inquit J. C. Scaliger *de subtil. exerc. 204.* sub Regno Benamen infimæ Æthiopiæ ad torridam plagam maximos Elephantos esse, omnesque albos. Lusitani inquit J. Lipsius *epist. centur. 1. epist. 50.* navigationibus suis terras eas aperuerunt, in quibus animal hoc crebrum: Insula Madagascar eos habet, & quidem Indicis majores: habet Zeilam, ubi venales sunt mirô modô: ad mensuram enim admetiuntur, ut pannos, aulæa, telam, tanti palmos singulos: ita cum magnitudine pretium crescit: habet etiam Provincia Malabar, Goa & tota illa ora.

In Habessinia imprimis Elephanti & ingenio & mole corporis conspicui in planis atque sylvestribus locis magno numero gregatim ingrediuntur: centum circiter diversæ magnitudinis simul in Tigra vidit P. Ludovicus Azevedus: totidem ferè paulò ante præcessisse idem testatur, ut scribit Vir Excellentissimus, Dn. Jobus Ludolphus, νῦν ἐν ἁγίοις, *Histor. Æthiop. lib. 1. c. 10.* Vid. Hug. à Lindschotten *part 2. Oriental. Indiæ cap. 14. fol. 41.* Hunc numerum facilè credet, qui apud Nonnosum *in bibl. Photii n. 3.* legit, quod viderit ἐλεφάντων πλῆθος οὐκ ὀλίγον, ἀλλὰ σχεδὸν ὅσον χιλιάδων πέντε, Elephantorum haut exiguam multitudinem & ferè quinque millia.

Quantum ad Asiam, Rex Parthalis, prodente Plinio *H. N. l. 6. c. 20. 22.* illorum septingentos aluit;

Audatæ mille: Palibroti novies mille; Chryſæi, Paraſangæ, Aſangæ trecentos armabant: in Taprobanâ, Oneſicrito Alex. M. præfecto prodente, majores ac bellicoſiores, quam in Indiâ habebantur. Plin. *H. N. l. 6. cap. 22.* In Zeilanâ hodie maximos & ſummi ingenii eſſe Johannes Metellus refert: Pulcherrimos atque ſagaciſſimos ibidem inveniri Gualterus Schultzius *l. 1. c. 20.* ſcribit: quos alii Elephanti tanquam Principes venerantur, proboſcide in terram demiſſâ, & rurſus elevatâ: hinc magni æſtimantur & carè venduntur: Hi non terrentur igne, ut reliqui, ſiquidem diſploſionibus bombardarum & objectis pyrobolis à teneris aſſuefacti ſunt. Horum viginti quotannis Batavi vendunt Æthiopibus & Perſis hûc Mechâ venientibus: quo proceriores, eo cariores ſunt: emuntur illi, qui melioris notæ ſunt, 640. Imperialibus.

Mirum dictu eſt, quod Joh. Jacob. Saar. *in diſcurſ. de reb. Ind. c. 4. p. 98.* memorat: ſe in urbe Javæ majoris Anno 1659. vidiſſe, Elephantos Bengalenſes Ceilonenſibus obvios flexis genibus illos reveritos eſſe: cauſam hujus ſubmiſſionis ſoli DEO cognitam eſſe addit. De centum Elephantis, quos Rex Ceilonenſis in aulâ ſuâ alit, narrat Herportus *p. 177.* quod conſpecto Rege omnes in genua ſtatim procumbant. Dominus de Mandelsloh *l 3. p. 184.* refert, Regem in Siam habuiſſe Elephantum album, lepidum valdè & ſummâ reverentia Regem proſequentem, quem Rex tantoperè dilexerit, ut ex aureis vaſis illum cibari juſſerit: hic propter inſignes, queîs eminebat, dotes habebatur ab omnibus pro magno naturæ miraculo, & ſingulari DEI donô: Hic habitabat in ſplendido conclavi, pulchrè veſtitus, exquiſitis dapibus cultus, ſatellitibus ſtipatus, ab ipſo Rege ſæpenumerò viſitatus, & à vaſallis Regni ſummopere honoratus, teſte Joh. Schoutenio in deſcriptione Regni Siam *pag. 751.*

Nec mirum hoc alicui debet videri, cum ſimilia legamus de Cæſare Caligula, quod ſcilicet equum ſuum tolutarium menſis adhibuerit, ex pateris aureis vinum ipſi propinaverit, equile marmoreum cum clathris eburneis ipſi exſtruxerit, tegumentis purpureis & monilibus gemmatis ipſum exornaverit, peculiari famulitio & ſupellectile ad ipſius uſus deſtinatô: quin etiam per ſalutem hujus equi juravit, ipſique non ſolum conſulares, verùm etiam ſacerdotales honores decrevit, ut refert Dio de Vitâ Caligulæ: ejus veſtigia premens Imperator Verus caballo ſuo ſtatuam auream erexit, eique pabuli loco uvas paſſas cum amygdalis præbuit: hic, Xiphilino referente, emeritos equos, quibus in hippodromo olim feliciter uſus fuerat, veſtibus egregiis, adjuncto inſuper ſalario, honoravit.

Ob

Ob albos Elephantos non solum antiquitus, sed & in superiore seculo inter Regem de Siam, qui vocabatur Dominus candidi Elephanti, & Regem Pegu cruenta bella gesta sunt, in quorum uno Rex Peguensis, cui Siamensis Rex album Elephantum proposito ingenti pretio vendere recusaverat, non solum albo Elephanto tantoperè desideratô, verum etiam toto Siamensi Regno simul potitus est: quod jugum tamen Siamenses post centum annos feliciter excussere, sumpta de Peguensibus illustri vindicta & reportatâ victoriâ. Hujus gravissimi belli le Blanc in *Verm. Reis. p. 1. c. 19.* ita meminit: Rex Peguensis Aleagar ob denegatum sibi album Elephantum bello aggressus est Siamensem Regem cum decies centenis millibus militum, bis centum millibus equitum, quinque millibus Elephantorum & ter mille camelis: Agmen ipsius præcedebant Equitum quinquaginta millia: hoc exercitu impugnabat Metropolim Siamensis Regni Lagi dictam, Lutetiâ Parisiorum duplo majorem, captis liberis, uxoribus & thesauris Regiis cum albo Elephanto; quæ omnia per 65. dierum itinera in suam Regiam Peguensem sedem abduxit, Rege Siamense interim post extrema omnia tentata per præcipitia sibi ipsi manus inferente. Hic albus Elephas ceu alter equus Sejanus quinque vel sex Reges & vita & Regnô exuit, quorum ultimus fuit Rex Pegu, qui mediante proditione Regis Tanguensis fratris sui per Regem Avaracensem illo privatus fuit.

Certis anni temporibus Siamenses huic albo Elephanto festum solenne cum maximâ pompâ & magnificentiâ celebrabant: quod festum Oniday Pileu, id est, gaudium piorum vocabant. Regis Peguensis currum quatuor albos aliquando traxisse Elephantos fama est, quanquam vix credibile sit, tot albos Elephantos simul unôque Indiæ in locô ob raritatem reperiri. Vid. le Blanc. *l. c.*

Quod in Regno Pegu plurimi & optimæ notæ Elephanti nascantur in densissimis Sylvis, scribit Erasmus Francisci, quorum mille Rex cicurare, & bello assuefacere jubet, quibus in expeditionibus suis cum magno splendore & pompâ utitur: præterea alit quatuor albos, & unum nigrum inusitatæ & proceræ staturæ ad quoslibet usus: hos Rex pro lubitu è stabulis educere jubet, quos reliqui sequuntur: ad Regem appropinquantes in genua procumbunt sublatâ in altum proboscide & ternâ vice editô ingenti clamore: quô factô ad stabula reversi cibum capiunt albi ex aureis vasis mandante Rege, & postmodum ex argenteis vasis lavantur, quod C Balbi sæpe vidit quotidie bis factum: loti sub tegmine seu cœlo octo contis â totidem famulis sublevatô aliquandiu manent, ne ab ardore Solis lædantur: hos egredientes sæpè præcedunt Tubicines, quos Ele-

 phanti

phanti cum magnâ gravitate sequuntur, quasi agnoscentes sibi tubas sonare.

Supra dictus Jod. Schoutenius sodalitatis Indicæ in Siam antehac Director refert, suô tempore in Siam unâ vice duos albos Elephantos rarô exemplô captos & brevi post extinctos esse, quorum obitum Rex acerbè luxerit: præter alias insignes dotes aliquid divini in illis latere putant, cum non solum Regiô cultu gaudeant, atque hôc sibi denegato valdè contristentur, verum etiam supernaturali quasi sagacitate polleant: indignantur etiam, si fortè nigri Elephanti sat dignâ reverentiâ illos non prosequantur: hæc omnia reverâ ita se habere Siamenses, apud quos post Ceylonenses præstantissimi reperiuntur, longâ experientiâ edocti produnt. Pretium Elephanti in quibusdam Regionibus communiter ad centum ducatos, alborum verò ad mille imò bis mille se extendit secundum Vartomannum, siquidem imprimis in candidis aliquid singulare latere creditur: rarissimè hi inveniuntur, ita ut etiam Reges nonnulli Narsingæ diu ob unum Elephantum candidum acerrima bella gesserint.

Nimis feri sunt nonnulli, siquidem non solum arbores evertunt, verum etiam interdum hominibus insidiantur: unde viatores in sylvis fortè pernoctantes, incensis rogis, tympanorum & pelvium sonitu excitatô illos arcere solent, ut ab iis tuti sint: in Insulâ Sumatra, Regnis Cochim, Siam, Achem, Baram, Pegu, Bantam, Molinde plurimos præstantes reperiri Elephantos scribit J. B. Tavernier *Itiner. Ind. l. 1. c. 18.* In Regno Congo ejusque præcipuâ Regione Bamba maximi reperiuntur Elephanti, atque ibidem ob sylvas, prata & fluvios frequentiores, quibus valdè delectantur, lubentius quam aliis in locis versantur.

Siamensis Rex eorum duodecies mille habere dicitur, ê quibus quater milleni semper ad subitos casus armati sunt. Sub Imperio Magni Mogolis illorum quinquaginta millia aluntur, ut nonnulli scribunt: alii contra asserunt, illorum ultra quatuor millia ibidem non ali: modò citatus J.B.Tavern. allegatô locô illorum saltem quingentos esse refert, qui ad bellicos aliosque usus ibidem sunt destinati: horum optimi Princeps hæreditarius curam gerit, quæ singulis mensibus 250. imperialibus constat: cæteri minore pretiô aluntur: quibus juniores Elephanti æstivis Solibus ventulum facere, plurimi autem Equites inservire coguntur: non autem semper in civitate permanent, verum etiam in campos ad pabula ducuntur, cum ingenti ruricolarum damno, nam non solum arborum frondes, sed & arundineta Saccharina, agros miliô consitos & similia impunè depascunt, non sine Custodum lucrô, qui sic pecuniam ad illorum quotidianam sustentationem destinatam sibi reservant. In Mosambique Insula etiam Elephantorum armenta offen-

offendit Vartomannus, & in Benomotapa Johannes de Baros: in Insulam quoque Zanzibar multos Mercatores eboris emendi causa venisse M. Paulus Venetus prodidit. Secundum harum Regionum atque Insularum constitutionem Elephanti miris modis variant.

Specialium locorum ratione, in quibus degunt, alii sunt palustres & rivarii: alii montani: alii campestres: palustres omninô dementes levesque, montani pravi & insidiosi, campestres mansuetiores & longè dociliores esse creduntur: his multô ignobiliores sunt Libyci, odorem enim & vocem Indicorum, velut imbecillitatis suæ conscii, teste Solinô, fugiunt, sicut eventus docuit in memorabili prælio inter duos Reges Ptolomæum & Antiochum ad Raphiam, quod â Polybiô describitur *lib. 5. c. 11.* Vid. Philippi Camerarii *Oper. subcisiv. Centur. 1. p. m.* 133. Omnes ferè gaudent, præsertim in calidioribus Regionibus, amnibus maximè, & passim circa fluvios vagantur, ut scribit Plinius *lib. 8. c. 10.* Mansuefacti enim libenter eunt lavatum, abstersisque sordibus apud Indos â custodibus pumice fricantur, quo factô rubris in fronte, dorso, caudâ, maculis insigniuntur, & pinguedine gallinæ oblinuntur, ut refert J. B. Tavernier *lib. 1. Itiner. Ind c. 18.*

Accedunt ad Æthiopes Elephanti ex superiori plagâ allecti fertilitate loci pastusque suavitate: siquidem ibi ulva & arundines nascuntur, quos cibos cum degustant, libenter in his locis morantur: consumentes ut plurimum nutrimenta hominum eos compellunt ad alia loca fugere: mediterranea aridaque loca procul ab aquis linquunt pascuorum inopiâ: nam tum æstus magnitudine, tum raritate fontium pauca ibi nascuntur. Vid. Diodor. Sicul, *l. 4 p. m. 239.* Sub umbrâ, inquit Jobus *c. 40. v. 16.* dormit in secreto calami, & in locis humentibus circumdabunt eum salices torrentis: quæ verba R. Levi & R. Kimchi in libro radicum exponunt interrogativè: sed & habitatio & vastitas corporis ejus his innuitur verbis: licet enim non altè aquas intret, tamen ad ripas aquarum & in locis palustribus se continet, amat umbram, unde quærit arbores proceras & umbrosas, ut sub hisce contra Solis ardorem se tueri & occultare possit. Vid. J. C. Dieteric. *antiqu. bibl. p. 444.* Lyra super hunc locum ita commentatur: Est Elephas animal calidum, & in regionibus calidis nascitur: & ideo propter calorem corporis & aeris libenter requiescit juxta fluvios, ubi in locis paludosis crescunt calami & salices, quæ faciunt umbram densiorem.

Hinc Aristoteles Elephantum nominat animal παραποτάμιον. quod libenter circa fluvios versatur: amat amnes, inquit, H. A. *l. 9. c 46.* & quanquam non fluviatile sit animal, tamen riparium dici potest: incedit enim per aquam, & eatenus mergitur, quatenus ejus promu-

scis

ſcis ſuperat: reflat enim per eam, ſpiritum accipit & reddit: ſed natare ob pondus & magnitudinem corporis ſui non poteſt: *lib. 1. de part. an. c. 16.* hoc animal ſimul paluſtre & terreſtre eſſe ſcribit. Elephanti naturæ proprium eſſe, loca humida & mollia amare & aquam deſiderare, ſcribit Ælianus *l. 4. c. 24.* Aquoſa loca valdopere amant, juxta quæ gregatim illos conſpicere cuilibet licet, præſertim â meridie, tunc enim libenter lavant, refrigerium capiunt, & potatum vadunt: flumina intrant usque ad mediam corporis partem: dorſum verò aquâ proboſcide hauſtâ conſpergunt. In Regno Congo ob frequentia ibidem flumina & amœna prata centum ſæpè Elephanti more vaccarum cum catulis ſimul paſcentes conſpici, teſtis eſt Aug Caſſiodorus in *deſcript. Regni Congo cap. 10.*

Vecordem eſſe paluſtrem Elephantum, montanum verò propter notabilem ingenii pravitatem, diſciplinam, quam ægrè accepit, facilè abjicere, & ad priſtinam indolem redire, campeſtrem verò eſſe optimum, inſtitutionis capacem & memorem, nec invitum in officiô contineri, hujusque ad hominem eſſe naturalem conjunctionem, & ultrò velle eſſe ſe ſocium illius vel voluptatum vel etiam laborum ſcribit J. C. Scaliger. *de ſubtil. exerc. 204.* Eſſe etiam magnam his Elephantis, quoad cornua, vulgò dentes, differentiam, docetur ibidem: paluſtribus enim eſſe lividos, raros & minus ſolidos tractuque difficiles, atque ob id operibus inutiles: detegi enim foramina quidpiam affingendo, aut interdum tumores & durities extare aliquas, quæ artifici incommodent, ac quaſi congelatæ ſint inſtar grandinis: Montanis, qui perverſi ſunt & inſidioſi, & niſi alicujus rei indigeant, erga homines minimè fidi, tantum candoris in cornibus (vulgò dentibus,) eſſe, quantum ſatis, minores tamen eſſe, & ad uſum non prorſus ineptos: Campeſtribus verò, qui benigni habentur, & manſuetiores ſunt, optimos, ad flexiones habiles, albos, ſimulque maximos eſſe.

Sylveſtres in Regno Senegæ ad fluvium imprimis Gambram inveniuntur: ibi enim gregatim ut apud nos apri incedunt. Incredibile dictu eſt, ſcribit Vir incomparabilis Hiobus Ludolphus, beatæ memoriæ, *Hiſtor. Æthiop. l. 1. c. 10.* quantam hi boves Lucæ ſtragem in ſylvis & campis edant: arbores grandiores tamdiu mole corporis quatiunt, donec vel ſcapus frangatur, vel tota arbor cum radicibus velut quôdam terræ motu evellatur: mediocres proboſcide paulo altius prehenſas flectunt & confringunt, atque ſic ramos cum foliis vorant: frutices & dumos, fruges denique omnes vel abſumunt vel obterunt. Ceylonenſes quando adhûc feri in ſylvis verſantur ſæpe viatoribus infeſti ſunt, qui ſi fortè in ſylvis pernoctant, pyras accendere hanc ob cauſam, eosque tympanis ac pelvibus

bus abigere pro suâ defensione coguntur, ut refert supra citatus Walther Schultz in seiner Ost-Indischen Reise-Beschreibung *l. 2. f. 199.* Æthiopici cicures non fiunt, nec ullus eorum sive in bellô sive in pace inter tot montes usus est, ut scribit modò laudatus Hiob Ludolphus allegatô locô.

Magnitudine etiam variant Elephanti: siquidem alii majores, alii minores sunt, quos Plinius *l. 8. c. 1.* nothos vocat: Indici majores sunt Africanis ob uberiorem terræ fertilitatem, aëris puritatem & fluviorum frequentiam, quibus Africa non ita abundat. Longi sunt nonnulli novem cubitos, lati quinque secundum W. Frantz *histor. an. part. 1. c. 4.* Regem Moluccensem Tubanensem Batavis duabus Scaphis ad Insulam delatis obviam venisse insidentem Elephanto duorum virorum altitudinem æquanti narrat Theodorus de Bry, idque describit *fig. 17.* Figura 18. adhuc majoris Elephanti, Diaboli nomine insigniti, quo modò dictus Rex in bello tantum utebatur, mentionem facit idem author, qui genua flexerit in præsentia Regis, & proboscide demissâ acceptis à Rege pomis nonnullis ad stabulum redierit.

Gillius mensus est Constantinopoli quendam Elephantum, cui erant ab oculo usque ad extremum tergum pedes undecim, ab oculo usque ad extremam promuscidem octo. In proceritate alii ad duodecimum, alii ad decimum tertium, alii ad decimum quartum dodrantem accedunt. Aloysius Cadamustus quendam se vidisse scribit plus habentem carnis, quam tauri nostrates quinque. Anno 1712. Rex Persarum Magno Moschoviæ Duci cum aliis pretiosis misit insignem Elephantum, cujus altitudo quinque ulnas cum dimidiâ, longitudo proboscidis tres ulnas cum dimidia æquavit, attestantibus id relationibus hebdomadalibus.

Maxima secundum Plin. *l. 7. c. 2.* in India nascuntur animalia, unde & canes grandiores cæteris: arbores etiam, adeò ut sub una ficu turmæ condantur Equitum. Vidi, inquit Clusius, qui mihi referebat, interdum octingentos aut mille viros, quo in numero ipse fuisset, unius ejusmodi arboris umbra tegi, & porrò affirmabat, tria etiam hominum millia sub tali arbore latere posse.

Notum est ex Auctorum fide, inquit J. C. Scaliger *l. c.* Indicos Elephantos esse majores Afris: at iis, qui in Insula Maidegascar oriuntur cedunt Indi. Sunt, qui statuunt, Insulam Zeilam & Taprobanam veterum unam eandemque esse, de qua Plinius author est, maximos atque pulcherrimos Elephantos ibidem reperiri: quamvis J. B. Tavernier *Itinerar. Ind. l. 1. cap. 18.* Zeilonenses, licet reliquis minores, attamen animosiores statuat: idem in relatione de Regno Tunquin scribit, ibi inveniri Elephantos omnium maximos, quorum Rex quingentos

 aleret,

aleret, tam dociles, ut in genua procumbant sessorem admissuri. Ælianus *l. 16. c. 18.* scribit: in magni maris Insula Taprobana palmeta in ordinem sic mirificè plantantur, quemadmodum in elaboratis hortis à peritis artificibus opacantes arbores seruntur: itemque permultorum & valdè grandium Elephantorum benè pasti greges eâ in Insulâ vigent, qui animi robore & sagaci indole, & corporis magnitudine, eis qui in continenti degunt, præstant.

Portentosam itaque staturæ celsitudinem obtinet Elephantus, de qua Aretæus ita scribit: Elephas longè ab aliis feris differt: primum quidem ingens & crasissima est fera: celsitudo enim tanta est, ut magnum animal super aliud animal turris instar impositum esse videatur: crassitudo quoque tanta, quantam plura crassissima animalia inter se conjuncta vix æquare valeant: hinc pulchrè Oppianus:

> Talem autem nullam & tantâ se mole moventem
> Terra feram portat: - - - -

& Tulliana Suada cum admiratione de ipso quærit: At quæ figura vastior?

Indolis ratione immane quantum à se invicem differunt & distant Elephanti; de palustribus, campestribus & montanis supra dictum est: imprimis montani feri, sylvarum vastatores, atque etiam hominibus infesti sunt, accensis tamen præsertim nocturnô tempore ingentibus pyris, bombardarum & tympanorum sonitu territi arcentur & recedunt. Taprobanenses seu Ceylonenses ut majores, ita dociliores, & ad omnia aptiores sunt, ut Plinius, Ælianus, Garzias & Aug. Cassiodorus testantur: Africani & Libyci timidiores sunt, quippe qui à conspectu Elephantorum Indicorum tam vehementer terrentur & consternantur, ut confestim in pedes se conjiciant, id quod legitur, apud Polybium *l. 5. p. m. 425.* qui refert, in bello Ptolomæi contra Antiochum belluas Ptolomæi plerasque certamen detrectasse, quod Libycis Elephantis accidere solet, qui neque odorem neque barritum ferunt Indicorum, sed cum magnitudine, tum robore illorum perculsi properè, antequam appropinquant, aufugiunt: sic parum abfuit, quin Ptolomæus hanc ob causam victoriam hosti Antiocho concesserit, quam tamen fortitudine suorum tandem reportavit, cæsis tamen ex LXXIII. sedecim Elephantis Ptolomæi, reliquis verò maximam partem captis: ex Antiochi verò Elephantis, quorum sexaginta habebat, saltem tres in conflictu periêre, è vulneribus postea duo: hinc apparet, Indos reliquis virtute ac robore longè anteire.

Differunt etiam Elephanti ratione variorum colorum: rubros interdum reperiri memorat Gothart. Arthusius *p. 6. Ind. Or.* Nigri sunt omnes præter Æthiopicos. Aretæus affirmat, omnes exqui-



fol. 82. Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.

quiſitè nigrô & tenebricosô colore totô corpore obſcurari, quôcum conſentit Horatius, barrum nigrum; & Martialis belluam nigram indigitans: quamvis ille albi Elephanti etiam faciat mentionem alicubi canens:

Sive Elephas albus vulgi converteret ora:

Nonnulli ſunt cinerei, fuſci & murini coloris: de albis ſupra actum eſt, quales etiam in Æthiopiæ regione quâdam ad meridiem ſitâ reperire licet: hi Regibus ſunt in deliciis, & opiparè lautèque tractantur, imò tanquam Dii adorantur, ut ſcribit P. à S. T. *Itinerar. Ind. l.* 7. *cap.* 1. Johann. Albrecht de Mandelsloh Reiſe-Beſchreibung *l.* 3. *p. m.* 183. Peguenſes albo Elephanto divinos honores detulerunt, ilum Regem Elephantorum vocantes.

Albi Elephanti mentionem facit Abbas de Choyſi in *ſuo Journal de Voyage de Siam*, cujus comitatui ipſemet interfuit, *pag.* 245. ſcribens: Anno 1685. P. quendam Jeſuitam vidiſſe in prædiô quôdam Regio ſuburbanô puſillum adhuc ejusmodi Elephantum album, paulò majorem bove jam adultô à Rege Cambajæ Siamenſi dono miſſum, qui deſtinatus tum erat Succeſſor alterius Senioris in aulâ Regiâ magnâ cum curâ & veneratione jam ab ánnis 80. ſuſtentati, qui 300. ferè annos expleviſſe dicebatur: junioris verò curam pluribus Regni proceribus fuiſſe demandatam; ejusmodi candidi Elephanti mentionem facit ſupra citatus Schoutenius *in deſcript. Regni Siamenſis cap. de Elephant. p.* 251. qui velut Princeps in conclavi ſplendido alebatur pulcherrimè phaleratus, ſatellitibus ſtipatus, & ab illius loci incolis magna veneratione honoratus, qui aliquid divini & magnum ingenii acumen in albis Elephantis latere ſibi perſuadent: quæ prærogativa & præeminentia ipſos Elephantos non latet, ſiquidem ægrè ferunt, quando minus lautè tractantur, atque à ſuis miniſtris & aliis Elephantis non ſatis honorantur. Præter albos Elephantos ter mille prægrandes, validos agilesque hoc Regnum alit, quorum ſingulis duo vel tres aſſignati ſunt famuli, qui illis pabula ſubminiſtrant, eosque quotidie lavant, inungunt & mundant: ex his meliorum in præliis uſus eſt: reliqui & qui ſequioris ſexus ſunt, tormenta bellica aliamque caſtrorum ſupellectilem vehunt & portant. Vid. Happel. *Relat. Cur. p.* 2. *pag.* 746.

Quod albi Elephanti in Regnô Benamen in Æthiopiâ ſub Zonâ torridâ ſitô reperiantur, miratur Scaliger *exerc.* 204. Heic eſt ſubtilitas, inquit, albedinem conſtare præter aliorum locorum naturam in æſtuoſa Regione: rationem hujus rei dat C. Hornius *tractat. de Elephant. c.* 3. *p.* 46. *ex Ariſtotelis problem.* 66. *ſect.* 10. quod nimirum albeſcere ſoleant illa, quibus vis ſolis humorem detrahit, dummodo nihil ſuperinficiatur, quomodo etiam ceram albeſcere novimus; verum non

adeò pertinenter hæc allegari videntur, nam Ariſtoteles loco citato loquitur de dentibus ſeu cornibus in genere, aſſignatque rationem, cur candeant: de cute verò dicit ibidem, quod illam ſuperinficiat calor: & ſanè ſi adducta valeret ratio, Æthiopes neutiquam nigri ſed albi eſſent: igitur ad alias cauſas, v. gr. diverſitatem ſpeciei, Regionis, ut & victûs in albis Elephantis ibidem natis erit recurrendum.

Odoris etiam ratione inter Elephantos diſcrimen eſt: Sic ſcribit Faber *in hiſtor. Mexican. f. 564.* ex relatione Fr. Gregorii de Bolicar Hiſpani, Franciſcani, qui annos 25. in Indiis vixit, Elephantos præcipuè in umbra degentes ſuaviſſimum ſpirare ex ſudore odorem, quem Indi conchyliorum teſtis deterſum in vaſculis aſſervant, ſuaveolentem & moſchi odorem referentem. Vid Ephemerid. *Curioſor. German. Anni I. Obſervation. 97. pag. 227.*

Cum nullo bruto quoad ſpeciem vel quantitatem, (ut jam de qualitate nihil dicam) Elephanto quædam intercedit ſimilitudo, inquit Aretæus: ſed huic contradicere videtur Cardanus, qui culicem illi æquiparat, nec veretur aſſerere, naturam dum culicem conderet, Elephantum fuiſſe meditatam: hoc eſt, ut J. C. Scaliger interpretatur *exerc. 194.* Naturam dum Elephantum condere intenderet, ejus formulam more pictorum & Architectorum in culice propoſuiſſe, quaſi ichnographiam, ut ectypum faceret: miris modis exagitatur hôc nomine à Scaligero pro, more Cardanus, cui exprobrat, quod ex culice Elephantum fecerit, ut proverbium ſonat. Macte culex Cardanice, inquit, cujus idea Elephantus eſt: fortaſſis muſcæ promuſcis propior Elephanti manui eſt: quia promuſcis à muſca ad Elephanti naſum deſignandum translata credi poteſt? Quid Elephanto cum beſtiolâ ſenum crurum, quæ valga ſunt? quorum poſtrema longiſſima, contra quam Elephanto: præterea promuſcide pro manu & calice utitur Elephas, non pro ore ſicut culex: usque adeò inconveniens erat, tam vile inſectum cum perfectiſſimo animali, quale Elephas eſt, comparare, licet negare non poſſimus, naturam etiam in minimis eſſe maximam: eandem limam meretur Cardanus, quando *lib. 10. de ſubtil. pag. 561.* ait: videtur hoc animal cum ſue aliquid habère ſimilitudinis, cauda, proboſcide, cute, temperamentô & moribus: irritatum enim efferum eſt, aliàs mite: & ſues ipſi gregatim incedunt, & loca paluſtria diligunt, oculosque habent parvos: & alibi inquit: Elephanti paluſtria inhabitant, ut ſues, neque ſi rectè conſideres, cum ullo alio animali cognatio major.

Magnam etiam heîc Elephanto inferri injuriam quis non videt? ut ut enim Elephas porcorum more cœnum, umbroſa & paluſtria loca amet, aquam turbidam bibat, radices effodiat, iisdemque ferè cibis

cum

cum suibus vescatur: magna tamen inter lutulentum porcum & tam nobile animal est differentia: totô namque cœlô differt à sue Elephantus, cum quô neque quoad formam neque figuram convenit: qualis enim est membrorum suillorum proportio, cum membris Elephanti, Herois bellatoris? cumque Cardanus allegatô locô prolixè doceat, quod Elephanti sint dociles, saltatores, musici, justi, pii, jurisjurandi militarisque etiam Sacramenti religiosi observatores; imò exactores, videtur eô ipso horum omnium oblivisci, quando nunc audet nationem Elephantinam cum suillâ adunare, quam tamen Ælianus *l. 7. c. 19. l. 10. c. 16.* impuram, detestabilem, Soli & Lunæ inimicissimam vocare nullus dubitat. Quid? quod Elephanto nihil infestius, quàm sus? Ejus enim stridore solò in fugam vertitur: præterea Elephas barrit, sus verò grunnit: itaque absurdum fuit, tam sagax animal cum brutissimâ bestiâ comparasse.

Datur tamen in Indiâ occidentali peregrinum quoddam animal, Cascuji dictum, quod cum Elephanto aliquam similitudinem habet, pilosum, durissimô coriô, exiguis oculis, auribus patulis, ungulis fissis, brevi proboscide præditum & carne ad edendum suavi, tam horribiliter barriens, ut homines obsurdescere faciat. Vid. Hieron. Benzonis *Hist. Nov. Orb. l. 2. c. 14.* Philostorgius *lib. 3.* scribit, se Romæ vidisse â meridianis locis advectos boves ταυρελέφαντας λεγομένους: ὧν τὸ μὲν γένος τὰ μὲν ἄλλα πάντα βοῦς ἐστι μέγιστος, τὴν δὲ βύρσαν, καὶ τὸ χρῶμα ἐλέφας, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν καὶ τὸ μέγεθος, Taurelephantos dictos: quod genus quoad cætera omnia bos maximus est, coriô verò & colore Elephas, ipsâque adeò magnitudine: nam boves Hungaricis atque Russicis duplô majores à magnitudine Elephantorum haut procul abesse verisimile: tantos boves ingentibus cornibus præditos, creditu facile, quaternorum pedum esse longitudine, ut Plinius tradit.

Jucundum visu spectaculum est, quando Elephanti cum suis catulis à Mercatoribus Indicis ad emporia ducuntur ibi divendendi: heic videre licet pueros catulis edulia varia offerentes, iisque simul insilientes, qui tamen proboscide facilè deturbantur, sine noxâ tamen, & cum spectatorum risu, ut refert J. B. Tavernier *Itinerar. Ind l. 1. c. 18.* Vid. *Happel, Relat. Curios. part. 2. p. 738.*

PARTIS I. CAPUT XI.

Elephanti generationem enarrat.

UT animalia, quæ individuorum ratione non diu perſiſtunt, ſed citò pereunt, in ſpeciebus ſuis perpetuitatem obtinerent, ſupremus δημιουργὸς illis clementisſimè indulſit virtutem atque potentiam ſeſe ſecundum ſuas ſpecies propagandi & multiplicandi: quam pulchrè deſcribit Philoſophus *l. 2. de gen. animal. c. 4.* inquiens: Hæc operatio maximè perfectis animalibus eſt naturalis, ut unumquodque aliud ſibi ſimile procreet, animal animal: pariter planta plantam, ut ſint maneantque ſemper hôc pactô, conditionemque ſubeant, quoad posſunt, quaſi divinam: cum enim fieri nequeat, ut caducorum atque mortalium quicquam idem unumque numerô ſemper perduret, permanet unum ſpecie, atque ſic ſui ſimile propagat, ut in ſuâ ſobole quaſi vivat & propagetur: hinc naturâ duce ſecundum Senecam in Hippolyto more aliorum brutorum etiam

- - - Amat inſani bellua Ponti
Lucique boves: - - -

Talis habilitas Elephantis à Natura implantata ſeſe prodit beneficio generationis, geſtationis in utero ad certum tempus, & tandem excluſionis ſeu partus; ſi Borello credimus in *Obſerv. rar. 1. p. m. 3,* ſcribenti: Elephas centeſimô tantum annô fructum profert more palmæ arboris: Vid. Author. Non gignere marem antequam vigeſimum ætatis annum attigerit, prodit Ariſtoteles: fœminam verò Elephantum coire annò duodecimô, cum celerrimè, aut decimô quinto, cum tardiſſimè. Generatio per conceptionem & formationem; conceptio verò fit per congreſſum maris ac fœminæ & commixtionem ſeminis tam maſculini, quam fœminini: Sanguis menſtruus, cujus fluxum ſtatô tempore ſecundum nonnullos patitur Elephas fœmina, nutritioni fœtûs inſervit. Vid. Happel. *Rel. Cur. p. 2. pag. 735. it.* Walther Schultzens Oſt-Indiſche Reiſe-Beſchreibung *l. 2. f. 199.*

Coit Elephas non ex laſcivia, ſed prolis cauſa, idque facit in occulto, non ſpectantibus hominibus & reliquis Elephantis: Venerem, inquit Solinus *cap. 38.* ante annos decem fœminæ, ante quinque mares neſciunt: biennio quovis coeunt, quinis nec amplius in anno diebus, non prius ad gregarium numerum reverſuri, quam vivis aquis abluantur: ſed antequam coeunt, feroces evadunt Veneris œſtrô perciti: ſic refert J. B. Tavernier *Itinerar. Ind. l. 1. c. 18.* Indiæ quendam Regulum

lum cum filio & Rectore Elephanto vectum ad venandum aliquando egressum esse: in ipsa viâ autem bestiam Veneris stimulis exagitatam furere cæpisse: illud advertentem Rectorem insidentem Regulum statim monuisse, nisi unus ex tribus sessoribus periret, iram bestiæ sedari non posse: simulque promisisse, si Regulus trium suorum liberorum curam gerere vellet, se victimam hujus furoris futuram: Regulo annuente illum statim descendisse, & pedibus Elephanti protritum atque exanimatum esse: hancque servi fidelitatem Regulum liberali filiorum tractatione benignè postmodum compensasse aliquot nummorum millibus inter pauperes simul divisis atque erogatis.

Notatu dignum est, quod supra citatus Tavernier oculatus testis refert, Elephantum scilicet fœminam Venere prurientem sibi ipsi ex consarcinatis arborum foliis fabricasse thorum genialem sex circiter pedes longum, superius nonnihil elevatum, in eôque præter morem reliquorum brutorum supinam decubuisse, atque avidè maris congressum exspectasse. Coitum Elephanti quod attinet, illum aversum esse Plinius putat *l. 10. c. 63.* ut & aversa illorum genitalia: cui adstipulatur Solinus & Horatius de Canida: quod & de Camelo scribit Plinius *l. c.* cui tamen contradicit Aristoteles H. A. *l 5. c. 2.* inquiens: Cameli sedente fœminâ coeunt, nec aversi, sed complectente mare, ut cæteræ quadrupedes agunt, & coitum exercent.

Diodorus Siculus *l. 3.* de gestis antiq. de coitu Elephanti ita scribit: coit hoc animal, non sicut quidam putant promiscuè, sed velut equi & reliqua quadrupedia: decimô sextô mense ut plurimum pariunt, quandoque octavô & decimô: unicum veluti equi pariunt, quem nutriunt matres annis sex. Proli operam daturi orientem versus pergunt ad proximum paradyso locum, nugatur Author quidam obscurus apud Gesnerum *l. 1. de Elephantô*, ubi inventam Mandragoram fœmina pro stimulo Veneris prior gustat, deinde persuasus ab eâ mas, & sic tandem ibi coitum & conceptionem fieri scribit: quod confirmat A. P. F. B. in seinem Abentheur der natürlichen und künstlichen Sachen in Sina und Europa im 33. Capitel *p. m. 612.*

Petunt Elephanti recessuum solitudines, cum libet coire, nec aliquis potest eô tutò accedere, præterquam pastor armenti: si alius supervenit, temeritatem capite luit, nisi aufugiat: id quod insignis verecundiæ argumentum est: Ælianus tamen *Hist. l. 10. cap. 1.* Alexandrum qnendam ad venandos Elephantos in Mauritaniam missum narrat vidisse μόχον ἐλέφαντος ὡραίαν συνελθεῖν ἐλέφαντι νέῳ καὶ καλῷ, formosam Elephanti vitulam seu Elephantulam cum juvene & pulchrô Elephantô coeuntem. Præcipuè circa flumina, ubi pasci consueverunt,

coeunt

coeunt Elephanti: subsidit fœmina, clunibusque submissis insistit pedibus ac innititur in decliviore loco: Mas superveniens comprimit, atque ita munere venereô fungitur: his subscribunt Albertus Magnus & Garzias ab Horto falsum esse dicentes, quod quidam de maris & fœminæ congressu tradiderunt, quandoquidem Elephanti haut aliter congrediantur, quam reliquæ quadrupedes. J. B. Tavernier *l. 1. Itinerar. Ind. c. 18.* scribit, Elephantem fœminam veneris œstrô percitam varia colligere gramina & flores, atque ex illis stratum quinque vel sex pedes altum sibi construere, in quo supina decumbens marem clamore allectum exspectat.

In aquis autem præcipuè iniri desiderant fœminæ, quibus æquè ac maribus major hôc modô commoditas accedere creditur: quoniam mas coiturus per aquam facilius attollitur, & post congressum facilius descendit: nunquam autem nisi remotis arbitris & in abdito coeunt: & si Aristoteli H. A. *l. 9. cap. 46.* credimus, fœminam quam semel coitu implevit, eam rursus non tangit Elephas: eô duntaxat tempore coit secundum Ælianum, cum se inire fœminæ patiuntur: extra natale solum verò non coit. *lib. 6.* H. A. *cap. 27.* Philosophus vigesimum annum utrique; fæminæ duodecimum cum celerrimè, decimum quintum cum tardissime congreditur, assignat *l. 5. H. A. c. 14.* Venerem ante annos decem fæminas, ante quinque mares nascire Plinius & Solinus arbitrantur, sed uterque fallitur.

Mari tempus coitus, cum domi detentus fuerit & sævierit: & dum pingue quiddam emittit per spiramentum, quod ei secundum tempora est: fæminæ verò, cum hic idem meatus fuerit apertus secundum Strabonem: Mas quinque aut sex annos natus supervenit sive coit ineunte vere: coitum interpositô trienniô repetit: quam semel mas implevit aut gravidam reddidit, ab eâdem postea abstinet: Hinc Oppianus:

> Consuetudo feris etenim plerisque per omne,
> Quo gravidæ turgent, tempus, vitare maritos,
> Concubitus fugere, & prorsus secedere ab illis,
> Si excipias lynces, leporumque imbellia secla.

Sed & nobilissimum animal, homo scilicet, excipi potest: cæteris enim animalibus, ut ait Plinius *l. 10. c. 63.* sunt stati per anni tempora concubitus, homini omnibus horis dierum noctiumque: satietas reliquis in coitu: homini propè nulla. Inter quadrupedes quoque excipiuntur ab hâc regulâ equa & sus: nam teste Plinio *l. c.* quadrupedum prægnantes venerem arcent, præter equam & suem: coeunt & pariunt Elephanti ut plurimum vere, velut equi.

Biennio coire Elephantos quinis, nec amplius in anno diebus Solinus

ex

ex Plinio; Aristoteles *lib. 5. H. A. c. 14.* coitum trienniô interpositô repetere scribit: quôlibet septennio illos concipere tradit A. Cassiodorus *cap.* 10. *de Regno Congo*, ut eô melius prior pullus educari, diutiusque lacte materno frui possit: siquidem tardius ad duriora pascua assuefiunt: peractô coitu ad gregem non revertuntur, nisi prius vivis aquis abluantur: tempore coitûs maximè efferantur, & stabula Indorum evertunt atque prosternunt.

Quamdiu uterum gerant, in ambiguo est: alii annum & sex menses; Aristoteles *l. 5. H. A. c. 14.* biennium uterum ferre, & singulos parere scribit, quod A. Cassiodorus locô jam citatô confirmat: alii triennium, nonnulli decennium determinant cum Plinio *H. N. l. 8. c. 10.* unde natum est adagium: Citius parient Elephanti: videtur tamen hic Author confundere gestationem cum conceptione Elephanti, quæ non fit ante decennium, ut supra dictum. Non enim, ut vulgus credit, annos decem, sed biennium secundum Aristotelem *l. c.* uterum gerunt, & secundum Solinum *cap. 38.* non amplius, quam semel gignunt, nec plures, quam singulos. Incerti gestationis termini causam hanc assignat Aristoteles *l. 6. H. A.* quod non pateat coitus illorum. Apud Plautum in Stich. *Act. 2. scen. 1.* ita legimus:

Audivi sæpè hoc vulgo dictum dicier
Solere Elephantum gravidam perpetuos decem
Esse annos: - - -

Apulejus *l. 1.* Miles. octo annos gestationem durare credit, scribens: Eadem, (Saga) amatoris sui uxorem, quod in eam dicaculè probrum dixerat, jam in sarcinam prægnationis obsepto utero & repigrato fœtu, perpetuâ prægnatione damnavit: & ut cuncti numerant, octo annorum onere misella illa, velut Elephantum paritura, distenditur: hinc de immodicâ cunctatione & quorundam lentô molimine proverbiali figurâ dixit Plinius *in præfat.* Celerius Elephanti pariunt. Octavo à coitu anno Elephantum parere existimat Jonstonus *Histor. nat. de quadruped. l. 1. c. 5. p. 33.* Strabo menses ad minimum sedecim, utplurimum octodecim cum Diodoro Siculo, Arriano & Æliano assignat: alii triennium: Verius Arist. *H.A.l.6. c.27.* cum pluribus aliis probatæ fidei Authoribus biennium statuunt: tempus videlicet satis diuturnum, siquidem nullum animal tamdiu uterum gestat: hinc aliquando cuidam cunctatori dictum fuit: quando tandem paries, obsecro, qui tot jam annis parturis, ut nec Elephanti diutius? huc quadrare videtur adagium de impossibili dici solitum: Prius locusta Elephantum pariet: vel ut Ennius vertit:

Prius locusta pariet Elephantum bovem.

Difficulter determinari potest tempus gestationis, cum Elephanti præ pudore in abdito coëant hinc terminus conceptionis incertus est, ab-

ſtruſus & incognitus: fæminas parere cum dolore ut mulieres, ſcribit A. Matthiolus *Commentar. in lib. 2. Dioſcoridis c. 50.* Catulum editum lambunt, qui ſtatim, cum natus eſt, cernit & ambulat. Idem *l. c.* oreque ſugunt, non promuſcide, ut ſcribit P. Uffenbach. *lib. 24. p. 587.*

Tam diuturnæ autem geſtationis rationem reddit Philoſophus *l. 4. de gen. animal. c. 10.* inquiens: Vivaciorum generationes diuturniores eſſe neceſſe eſt: haut enim brevi tempore fieri conſtitutiones magnas vel animalium, vel quorumvis aliorum facile eſt: hâc de cauſâ Elephanti per biennium uterum geſtant, propter exuberantiam magnitudinis: & Plinius *l. 10. c. 63.* ſcribit: quô majus eſt animal, tantô diutius formatur in utero: diutius etiam geſtantur, quibus longiora vitæ ſunt ſpatia.

His addit ſuum calculum H. Cardanus *de ſubtil. l. 10.* ubi inquit: Natura conſuluit, ut diu geſtaretur catulus in utero, tum propter vitæ longitudinem: tum etiam ipſius vitæ longitudo cauſa fuit, ut quamvis biennio fæmina in utero ferat, multos tamen poſſit generare: neque enim ullum animal, quod brevi tempore in utero geſtatur, longæ vitæ eſſe poteſt. J. C. Scaliger *exerc. 177. ſ. 4. p. m. 575.* ſcribit: Operoſiora tum ſerius, tum difficilius perficiuntur.

An pluribus vicibus, quam ſemel pariant, controvertitur ab Authoribus: Ariſtoteles, Plinius, Ælianus, Solinus ſemel tantum coire atque uterum geſtare, ſemelque tantum fœtum eniti ſcribunt: quibus contradicit Scaliger *exerc. 204.* quando ait: & ſingulos & ſemel parere ſcripſit Plinius: quod non poſſe ex Ariſtotele probari palam eſt in libro 5. Hiſtor. an. Adverbium enim illud ſemel ibi nullum legitur: putabam temerè additum à librariis: adii oraculum, id eſt, Hermolaum: nihil reſpondit: ergò Solinum conſuluimus: eadem ſuô more ad verbum repoſuerat fidelis plagiarius: quid igitur tandem? quamdiu factum eſſet, cum nullus Elephantus exſiſteret in natura? nam ſi binis parentibus una ſuccedit ſoboles, neceſſe eſt ad nihilum tandem: non ſolum verò plus ſemel parit, verum etiam plures ſingulis: & ſanè ipſa hoc dictitat ratio: quia, ſi unus ſaltem generaretur Elephas è duobus, fieri non poſſet, quin jam dudum diminutô numerô defeciſſet hoc animalium genus. Ariſtoteles quidem *l. c.* vult, quod Elephas mas fæminam, quam ſemel iniit, non amplius tangat, ſcilicet ſtatim poſt factam conceptionem, & exactô tandem trienniô coitum repetat: intellige, ſi non in hâc, tamen aliâ ſibi obvia fæmina.

Unicum quolibet partu edi catulum, apud Diodorum Siculum & Ariſtotelem legimus: hic *l. 5. H. A. c. 14. & l. 4. de gen. an. c. 4.* ſingulos parere ſcribit: quæ maxima inter animalia ſunt, ea ſingulos pariunt, ut Elephas, Camelus, Equus & re-

liquæ solipedes: & paulò post inquit: facit eorum magnitudo, ne multa pariant: cibus enim in iis absumitur in corporis incrementum: minoribus verò animalibus natura demendo de magnitudine auget in excremento seminali exuberantiam: item plus seminis genitalis esse, quod majoris est animalis: minus autem, quod minoris, necesse est: multa parva facilius in eodem corpore formari possunt, quam multa magna. Et Plinius *l. 10. c. 63.* ait: Omnia animalia, quo majora corpore, hôc minus fœcunda sunt: hinc Elephas apud Curtium *l. 9. c. 2.* rarum animal vocatur. Ex his liquet, Elephantum animal μονοτόκον esse: quod autem post primum partum non amplius concipiat & pariat, illud meritò in dubium vocatur.

Proinde haut credibile est, quaternos uno partu edi, quod apud Cadamustum & Scaligerum legitur, eô quod inter Elephantorum crura quandoque plures catuli discurrisse, eosque comitari visi sint: si enim magnitudo fœtûs Elephantini est instar porci integræ ætatis, ut Ælianus; vel instar vituli trimestris, ut Plinius *lib. 10. c. 60.* vult, vix possibile esset, tantum onus, quatuor scilicet catulorum sine incommodo tamdiu gestari posse, utut animal cæteroquin maximum sit: quando igitur unô partu plures, v. gr. bini, terni & quaterni, ut vult J. C. Scaliger *exerc. 204.* eduntur, id inter rarissimè contingentia referri debere existimo. Hinc verè Aristoteles *l. c.* inquit: ex definitâ materiâ & naturali copiâ seminis unus tantum conceptus generatur ab animalibus magnis: quod si aliquando plus accesserit, ut gemini nascantur, tum hæc tanquam portenta judicanda, quoniam præter solitum seu præter id, quod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ fieri solet, proveniunt.

Non editur in lucem Elephas cæcus, secundum Plinium *l. c.* quando ab hominibus tangitur catulus, non indignatur mater. Vid. Zoolog. Sperlingii *p. m. 162.* In Insula Zeylan primum saltem catulum dentibus seu potius cornibus insigniri scribit J. B. Tavernier *Itinerar. Ind. l. 1. c. 18.* reliquosque manere inermes. Vid. Happel. *Rel. Cur. p. 2. pag. 738.* Pariunt enitentes posterioribus cruribus & subsidentes cum dolore: pariunt autem in aquis vel potius juxta illas, quia vehementer metuunt Draconem, ut notat W. Franz. *hist. an. p. 1. c. 4.* Partus, annotante Æliano *H. A. l. 4. c. 31.* in caput procedit in lucem: fœtus editus magnitudine æquat porcum justæ magnitudinis, aut vitulum bimestrem vel etiam trimestrem, ut scribit Aristoteles *H. A. l. 5. c. 14.* vel secundum Ælianum *l. c.* anniculum.

Fæmina parturiens ingreditur aquam usque ad ubera, & illic parit metu Draconis, qui extra aquam parientis fœtum devoraret: mas etiam à pariente non recedit propter serpentes pariter insidiantes, ut

ſcribit obſcurus Author libri de natura rerum: parit etiam interdum iis in locis, quos carnivoras beſtias non accedere callet: eorum pulli dicuntur vituli: ſic Plinius *l. 8. c. 1.* Elephantos deſcribit vitulorum fatigatos præ ſe ferentes. Statim ac natus eſt, cernit & ambulat, & ore ſugit, non promuſcide. Secundum Strabonem lactatio 6. menſes; ad mentem J. Jonſtoni *l. c.* & Arriani in Indicis usque ad annum octavum durat.

Attrectari ſuos catulos non inviti patiuntur: norunt enim, non animô lædendi, ſed blandiendi & delectationis gratiâ id fieri, eſſeque hominis naturam tam mitem & placidam, ut Elephantulo tantillo nocere minimè velit, ut ſcribit Ælianus *l. 8. c. 27.* alioquin in catulorum metu præter morem ſatis infeſti ſunt obviis animalibus.

Captus ſemel Elephas vix ſentit ulterius veneris ſtimulos: aliquem tamen œſtrô venereô percitum Rectorem ſuum protriviſſe author eſt J. B. Tavernier *Itinerarii Ind. l. 1. c. 18.* parumque abfuiſſe, quin Indiæ quendam Regulum cum filio ſibi inſidentem pariter occiderit.

Monſtroſus fuit partus, cujus Plinius mentionem facit *l. 7. Hiſt. Nat. c. 3.* ubi refert: Alcippen mulierem in bello Marſico Elephantum peperiſſe: Marcello inter alia prodigia infantem cum Elephanti capite natum & aliquandiu ſuperſtitem fuiſſe memorat Plutarchus in Marcello.

PARTIS I. CAPUT XII.

Elephanti ætatem rimatur.

LOngam vitam vivere Elephantum communis eſt authorum aſſertio: hinc Ariſtoteles illi & homini inter reliqua animalia maximam vivacitatem attribuit *lib. de long. & brevitate vitæ cap. 4.* Idem *lib. 9. H. A. cap. 46.* putat, illum vivere annos centum & viginti, quandoque ducentos: floridam autem illi ætatem eſſe annô ſexageſimô: hanc in Elephanto ſupra hominum longævitatem miratur S. Joh. Chryſoſtomus *in Epiſtol. ad Corinth. homilia 17. Tom. IV.* Vivunt ſecundum Solinum annos trecentos: id quod confirmat Oneſicritus, rarò annum quingenteſimum illos attingere ſcribens: circa ducenteſimum illos eſſe robuſtiſſimos Strabo credit.

Jubæ Regis Libyæ Pater Elephantum habuit, qui aliquot ſecula vixit: hujus temporibus equites Elephantis inſidentes inter ſe pugnam commiſerunt: erat autem alteri Elephantorum parti inſculpta dentibus turris, alteri verò nihil: cum-

que nox pugnantes dirimeret, pars ſignaculum turris in dentibus geſtans ſuperata in montem Atlantem aufugit: ex quibus poſt quadringentos annos unus fuit captus, qui inſigne illud dentibus inſculptum quaſi nuper fabricatum nullâque ex parte conſumptum exhibuit, ut refert Philoſtratus *l. 2. de vita Apollonii.* Ptolomæo Philadelpho fuit Elephas manſuetiſſimus, qui aliquot hominum ætates ſuperavit. Regis Seleuci Elephas Nicanor cognominatus usque ad Antiochorum tempora ſuperſtes manſit. In urbe Taxila omnium Indiæ urbium maximâ fuit Elephas, quem vittis & coronis myrteis indigenæ ornabant, aſſerentes, eum eſſe unum ex illis, qui pro Rege Poro adverſus Alexandrum Magnum pugnaverant ante annos quinquaginta ſupra trecentos: quot annos verò habuerit antè illam pugnam, incertum.

De hominis longævitate nota ſunt exempla ſatis multa in ſacro codice: aliorum multorum fit mentio apud Theodor. Zwingerum *Theatr. vitæ human. volum.* 17. Nierenberg. *hiſt. nat. l. 8. c. 8. & 9.* Borell. *hiſtor. Med. Phyſ. centur. 2. Obſ.* 39. Acta Philoſophica Societatis Reg. Anglic. ut & Bartholin. *hiſtor. anatomic. rar. centur. 5. hiſt 28.* mentionem faciunt cujusdam Thomæ Parre, qui ad 153. annum vitam ſuam protraxit. In *Ephemerid. Natur. Curioſor. ann.* 3. *Obſ. 163.* reperire licet illorum plures, qui noſtrâ ætate ultra ſeculum vixerunt: inter quos Joh. Ottele Brabandus 115. annos natus cum barbâ prolixiſſimâ quinque quadrantes ulnæ Brabandicæ longa æri inciſus *l. c.* ſe conſpiciendum præbet. Majora enim & perfectiora animalia diutius vivunt, quamvis non omnia: pleraque tamen ab Elephanto annorum numerô ſuperantur.

Cornices, piſces nonnullos, ut & cervos aliquot ſecula vivere, Plinius Pauſanias & quamplurimi alii ſcribunt: hinc Theophraſtus, quamvis obiverit octogenariô major, nihilominus conqueſtus eſt de naturâ, quod cervis longiorem quam homini vitam dederit. In Regionibus Septentrionalibus nonnullos 160. 170. imò ducentos annos complere Olaus Magnus author eſt: nobis ſufficiat terminus à Moyſe *Pſalm. 90.* aſſignatus, videlicet ſeptuageſimus aut octogeſimus annus, quamvis non omnibus contingat hanc adire Corinthum.

Elephantis autem tam maribus quam fœminis benignior natura indulſit ætatem multô longiorem: Mares verò tam ætate quam ſtaturâ & magnitudine fœminas ſuperant: communiter vivunt annos 120, ſæpè ducentos. Vid. Ariſtotel. *H. A. l. 8. c. 9. & lib. 9. c. 46.* Solin. *cap. 38.* attingunt annos trecentos, cum habeant temperamentum fortiter compactum, ut loquitur Alſtedius *Encyclopæd. l. 7. Phyſ. part. 6. c. 5.* Secundum Philoſtratum 300. annos & ultra vitam protrahunt: quod verum

rum esse; sed rarò contingere existimat Cardanus. Strabo 200. annos illos vivere scribit *lib. 15*. In Regni Congo regione Bambâ attingunt 150. annos, & usque ad mediam ætatis partem crescunt & augentur. Vid. A. Cassiodor. *de Regno Congo p. m. 24*. Propter hanc Authorum discrepantiam Elephanti longævitatem meritò in dubium vocat Matth. Flacius Illyricus *in commentar. de vita & morte cap. 19*. Juventa eorum sexagesimô anno viget secundum Plinium *Hist. Nat. l. 8. c. 10.* circa annum ætatis 60. & 70. in summo vigore illos esse & florere ex Aristotelis *loc. cit.* refert idem: & tunc juventam illorum maximi vigoris esse Plinius scribit.

Onesicritus apud Strabonem ad trecentesimum annum vivere, raros ad quingentesimum prodit: citciter ducentesimum robustissimos esse: modo citatus Philostratus & ex illo Scaliger. *exerc. 204.* quendam ex illis, qui contra Alexandrum M. pugnaverat, quinquaginta supra trecentos post Alexandrum annos superfuisse tradit, ut de Elephanto Jubæ, Ptolomæi Philadelphi & Seleuci Nicanore taceam. Joh. Baptista Tavernier *Itinerar. Ind. l. 1. c. 18.* refert, se nunquam ex Indis exactè potuisse rescíscere, quot annos vivat Elephas: de hoc ut plurimum se factum esse certiorem ab Elephantorum Custodibus asseverantibus, ab avorum, Patrum & propriâ memoria sibi compertum esse, quod ultra 120, & 130. annos domi fuerint aliti. Vid. Happel. *Relat. Cur. p. 2. pag. 738.*

Lentæ hujus Elephantorum vivacitatis, ut Plinius loqui amat, palmaria causa est salubritas locorum, in quibus degunt: quamvis Scaliger *exerc. 204.* longævitatis causam statuat esse optimum Elephanti temperamentum: huîc, ait, cum sit optimum temperamentum, quare non & vita longissima? optimum nempe optimo debetur: Demonstratio hæc est: si optimo inter quadrupedes temperamento præditus Elephas, idcircò vivit diutissimè: at si hæc vera essent, optimum etiam temperamentum esset in oleâ, palmâ, & ulmô, quæ diutius vivunt: Igitur non solum temperamentum, quod ipsi obtigit optimum, (quod Scaliger dicit esse quasi instrumentum formæ ad conservationem: negat verò tandem ipse, quod sit longævitatis causa,) verum etiam, ut Plato de aliis animantibus sentit, ipsa elementa, aer, aqua, nutrimentum, diversique salubrium Regionum positus, longævitatem conciliant.

De Elephanto autem constat, quod ut plurimum saluberrimis locis gaudeat, videlicet Indiâ, amplissimâ & amœnissimâ fertilissimâque Asiæ Regione, hujus terra tam fæcunda esse fertur, ut bis in anno fruges ad maturitatem perducat: binæ enim ibi sunt æstates: arbores, quæ ob pingue solum in immensum ibi crescunt, semper frondent. Juxta fluvios Indum & Gangem

gem uberrimus eſt Elephantorum proventus, quod ſolum nulli Regioni per totum terrarum orbem fertilitate atque amænitate cedere creditur: cui ſimile eſt Africæ regnum Senega dictum: Africa quantum incolitur, eximiè fertilis eſt, inquit Pomponius Mela: & Johannes Aubanus ſcribit: eximia & propemodum portentoſa agrorum Africæ feracitas eſt, utpote qui in locis quibusdam centeſimo fœnore reddant cultoribus meſſem.

Præ aliis ob aeris puritatem locique ſalubritatem veteres atque recentiores valdè commendant Indiæ Orientalis Inſulam Tabrobanam, jam Zeilan dictam, de quâ aſſerunt, quod fertilitatis, jucunditatis & ſalubritatis ratione non agnoſcat parem: & quamvis ſub Zonâ torridâ ſita ſit, nihilominus aer tam purus & tam temperatus ibidem eſt, qualis nullibi locorum in Orientali India ſpirat: hyems ibi nunquam impensè frigida, nec æſtas ſupra modum calida, locique tanta fertilitas eſt, ut arbores totô annô vel floribus vel fructibus repletæ conſpiciantur: eapropter Arabes hanc Inſulam vocant Ternaſſeri, id eſt locum delitiarum: nec deſunt, qui terreſtrem Paradyſum olim heic fuiſſe arbitrantur: maximos itaque hæc terra producit Elephantos, eosque exquiſitos & vivacisſimos: hinc Solinus ſcribit, quod corporum magnitudine alios omnes antecedânt: & quibus immatura mors, ad annos centum ævum trahant, aliis omnibus autem annoſa ſit ætas.

Si ſecundum effatum Ariſtotelis *lib. de long. & brev. vitæ cap. 1.* diutius vivunt Regionum calidarum quam frigidarum inquilini, non miror, etiam Elephantos dictis in locis longævos eſſe: ſiquidem ad terræ genium ſe accommodant, & proinde ſiccioris naturæ ſunt: quæ autem ſicciora, ea etiam firmiora atque magis diuturna eſſe veriſimile eſt: non tamen negari poteſt, etiam in frigidis & ſeptentrionalibus regionibus animalia diu vivere, quod fit ob aerem ambientem intemperatum & frigidum, corpora robuſtiora & vivaciora reddentem, dum nempe ob conſtipatos poros calor nativus intus concentratur, & quaſi conſtringitur, ne posſit disſipari aut diffluere: ac id quidem intelligendum eſt de iis tantum, quæ in iſtis locis concepta & nata, ab ineunte ætate huic frigido aeri aſſueta, & corpore adeò compactô ſunt, ut aer admiſſus frigiditate ſuâ calorem nativum non oppugnare, multò minus disſipare & deſtruere valeat: alioquin in texturam corporis raram atque tenuem aer frigidus penetrans calorem nativum obtundere & vehementer lædere poteſt.

In calidis ergò iisque ſalubribus locis fieri non poteſt, quin pro Elephantis creſcat pabulum ſanitati quam maxime conducibile, quô moderatè veſcitur hoc animal, & in ſuâ diæta rarò committit errores, nec illam facilè mutat, id quod ad

ſtabiliendam ſanitatem apprimè facit: ſic enim pauca generantur excrementa, & putredini inde natæ vix ullus relinquitur locus.

Hûc facit bona & quadrata conſtitutio corporis Elephantini, ejusque membrorum omnium compacta firmitas & elaboratisſima ſtructura: cum etenim Elephas ad ſui elaborationem in uterô maternò longiore tempore opus habeat, quam alia animalia, colligere licet, illum diutinô hôc Naturæ labore reliquis longè perfectiorem reddi: nam corpora, quæ longius requirunt ſuæ generationis tempus, reliquis ſunt vivaciora, ſunt enim perfectius elaborata: cum itaque operoſisſima ſit Elephanti formatio, ut ſupra dictum eſt, ideò illi vita longisſima eſt: ſic ſerius adoleſcunt arbores, ſeriusque ſeneſcunt: contra herbæ, quemadmodum facilè ſuccreſcunt, ita ſubitò decreſcunt; & ut Muſcæ aliaque inſecta citò generantur, ita citò diſpereunt.

Cumque vita omnium animalium conſiſtat in calido & humidô, ſequitur his benè conſtitutis vitam indubitatò prolongari: calidum itaque nativum & humidum radicale Elephanto optimum eſt; igitur tam longævus; tam benè diſpoſitum Archæum nactus Elephas vitam ad multos protrahit annos, quod plurimis animantibus â naturâ denegatum eſt: Hic naturæ ignis ſeu balſamus totius corporis theſaurus ſecundum Helmontii hypotheſin Tract. Arch. Fab. conſtat ex connexione vitalis auræ velut materiæ cum imagine ſeminali, quæ eſt interior nucleus ſpiritualis, fæcunditatem ſeminis continens: eſtque generationis Faber & Rector, ſeipſum veſtiens corporali amictu: præſes etiam manet, Curator, Rectorque internus finium ad obitum usque § 6. & 7. Hic quando in opere ſuo non impeditur, nec ab injuriis ſibi illatis irritatur, ſubjectum ſuum ad longævitatem diſponere aptus natus eſt.

Utplurimum itaque majora animalia vitæ diuturnitate ſuperant minora ob Archæum fortiorem & optimè conſtitutum, non excluſô laudabili ſanguine ceu nectare totius corporis, quô vivit, nutritur & incrementa ſumit, ad quem producendum inſervit victus exquiſitus, ſalubris & rarô commisſi in diæta errores: cum itaque majora animalia plus ſanguinis præ reliquis obtineant, fieri non poteſt, quin etiam vivaciora ſint: optimè autem conſtituta ſunt animalia, quæ calidum, tenuem & ſincerum ſanguinem habent, quippe quæ viribus corporis & ingenio plurimum valent, nam ſecundum Ariſtotelem *l. 2. part. an. cap. 4.* non frigiditas ſanguinis ſapientia facit animalia, ſed tenuitas & puritas.

Ut longævus eſſet Elephas, principiis vitæ plurimum indigebat: ea ſunt calor & humidum; ſimiliter & magnitudine, non ſolum ut tutus eſſet ab injuriis aliorum animalium, ſed ut etiam aeris violentiæ reſi-

resisteret: nullum enim animal parvum potest esse valdè longævum: nam si tenuium sit partium ab aëris circumambientis assiduâ pulsatione atteritur & dissipatur: quod si crassa sit substantia, spontè citò interit, ut boves: erat & magnitudo ad securitatem commoda, sicut & bonitas temperamenti ad sapientiam simul & vitæ longitudinem ac probitatem necessaria erat: at ut calor & humidum abundaret, in calidis Regionibus ipsum nasci oportuit, & habitare in palustribus locis: quô fit, ut in Indiâ solum & Africâ inveniatur: nam hæ sunt calidissimæ Regiones, Indique multô robore & mole corporis Africos antecellant, cum India aquis abundet, Africa autem aridior sit. Vid. Hieron. Cardan. *subtil. l. x. p. 557.*

Vitæ in longum tempus protrahendæ in quadrupedibus causa est, quod felle careant, ut scribit Aristoteles *poster. anal. l. 2. c. 17. & l. 4. de part. an. cap. 2.* ubi inquit: longæ vitæ causam esse fellis vacuitatem: ratio est, quia quibus parum fellis est, vel prorsus deest, illis corporis constitutio salubris est, siquidem sanguis dulcis & ab omnibus biliosis excrementis depuratus in illis generari videtur: cum contra sanguis multâ bile excrementitiâ imbutus plurimorum morborum mater exsistat: non immeritò autem contra Aristotelem hoc in dubium vocamus, quod illa animalia, quibus parum fellis est, vel quibus fel prorsus deest, salubrius degant: siquidem bilis naturalis flava in hepatis vasis vel poris cholidochis & vesicula fellis secundum naturam reperibilis, & ab utrisque per communem ductum ad intestinum duodenum excerni solita, chyli è ventriculo immediatè hûc translati segregabilitatem & dissolutionem in utiles & fæculentas portiones una cum succo pancreatico ceu contrariæ facultatis mediante aliquâ fermentationis luctâ ibidem promovet: ut taceam alias bilis utilitates à veteribus & recentioribus traditas, quarum non minima est, quod denuò cum chylo ad sanguinem quædam bilis portiones locô novi fermenti & balsami vitalis redeant.

Tandem ad longævitatem Elephanti non parum contribuit insignis ejus continentia & coitus raritas, siquidem genitalis seminis debita retentio meritò inter res salubres, ejus verò intempestiva profusio inter res noxias & insalubres à Medicis refertur. Oportet, inquit Aristoteles *de long. & brev. vit. cap. 5.* ut quod non facilè debet corrumpi, nequaquam excrementis abundet: quod enim tale est, aut vi morbi, aut suapte naturâ interimitur: cum autem semen utile excrementum sit, sequitur, quod salacia animalia, quæ semine redundant, ocyssimè senescant: quô facit, quod frequens & copiosa seminis profusio valdè corpus exsiccet: Elephas igitur, quia raro coit, (nam interpositô trienniô demum coitum repetit, ut supra dictum est,) non enervatur

seminis excretione nimiâ, sed rarô veneris usu suas conservat vires integras & sartas tectas, quarum adminiculô ad seros annos vita prorogatur: hinc secundum Poëtam

Longævum est Elephas animal, cui vivitur ætas
Tertia, castellis moles bellô apta ferendis.

Cum Alexander Magnus debellasset Regem Indiæ Porum, cepit unum insignem Elephantum, qui pro Rege suo vehementer pugnaverat, quem ipse dedicavit Soli & vocavit Ajacem, dimisitque liberum aureâ torque ornatum cum sequentibus verbis cornibus vulgò dentibus inscriptis: Alexander Jovis filius Ajacem Soli. Hic Elephantus post 350. annos cum hac inscriptione inventus fuit, quot annos verò habuerit, cum pugnæ interfuit, ignotum est, ut scribit Raderus: similiter valdè longævum fuisse Elephantum Jubæ, Ptolomæi Philadelphi & Seleuci Nicanoris constat ex Jonstonô *l. c.* Sed multi pereunt, antequam hanc ætatem attingant, siquidem variis casibus & morbis correpti sæpè naturæ debitum in juventute solvunt.

Diodorus Siculus *l. 3. de fab. antiq.* gestis scribit, Elephantos majori ex parte vivere ætatem longævi hominis: qui verò maximè senescunt, annos ducentos: ex recentioribus Johannes Baptista Tavernier Gallus *Itinerarii sui part. 2. l. 1. cap. 18.* ubi multa ab aliis non annotata de Elephantis habet, scribit, se nunquam exactè discere potuisse ex eorum Magistris, quousque ætatem extendere queant: conjicere se tantum ex dictis illorum, ad 130. annos atque ulterius vivaces esse. Cornuum, vulgò dentium candore juventa in illis intelligitur, scribit Rav. Textor in *Offic. p. m. 249.* quæ annô ætatis sexagesimô maximè viget, ut supra ex Plinio & Aristotele probatum: ex quantitate cornuum ætatem futuram cognosci A. Cadarmstus putat: de vivacitate seu longævitate Elephantorum plurum plura narrat Plinius *lib. 8. c. 10.* Aristoteles *H. A. l. 8. c. 9.* & *l. 9. cap. 46.* Nonnus *l. 26.* Dionys. refert, quod 200. & 300. annos vivant: Oppianus *Cyn. 2. v. 550.* scribit, quod instar Olorum morte imminente cantionem funeralem modulentur.

PARTIS I. CAPUT XIII.

Elephanti nutrimentum expendit.

QVemadmodum unicuique animantium datus est appetitus salutis & conservationis suæ, quæ conservatio non fit sine alimentô: undè cibum primò quærit omne genus animantûm, secundô locô tectum: ut vere disserit J. C. Scaliger *exerc. 307. f. 3.* ita etiam cum

Ele-

Elephanto comparatum eit, qui more aliorum animalium cibum naturæ suæ convenientem requirit, quo se sustentet & vires resarciat. Non vorax est, nec immoderatum appetitum habet, appetit saltem necessaria, vitat superflua, cibô nimio non obruit se facilè, & si quando plus justo sumpsit, inediâ se curat. Uno pastu tamen Elephantum absumere posse novem modios Macedonicos hordei Aristoteles author est, id in tam vasto corpore fieri nemo miretur.

Non autem vivit ex rapto vel præda, nec carnibus vescitur more aliarum rapacium ferarum, sed quando aliô cibô ipsi potiri non licet, contentus est arborum tam frondibus, quam fructibus, herbis & gramine: vix ulla tam ingens est arbor, quam illi promuscide non prosternant, frangant & dilacerent. Vid. Author. *Matthiol. comment. in lib. 2.* Dioscor. *l. 2. c. 50.* etiam oblatum panem & placentas non respuit, sed avidè captat: imò fœnum comedit veluti bos, & montes ipsi ferunt herbas, ut legimus apud Hiob. *c. 40.* & Ælian. *l. 13. c. 25.* Hinc Indi suis Regulis pro sustentatione Elephantorum fæni fasciculos offerre solent: ad Æthiopes accedunt secundum Diodorum Siculum *l. 4. de gestis antiqnor.* ex superiore plaga allecti fertilitate loci pastûsque suavitate: paludes enim spatiosæ ibidem â fluviorum ripis manant, ex quibus multa & læta manant pascua, ut sunt ulva & arundines, quas cum degustant, libenter in his locis morantur: consumptis autem hominum nutrimentis ad alia loca se recipere compelluntur; mediterranea & arida loca ab aquis procul remota relinquunt ob pabuli inopiam.

Oportuit, ut Elephas plantis, pomis, fructibus & herbis vesceretur: nam aliter probum animal esse non potuisset; animalia enim omnia, quæ carne vescuntur, sunt iracunda, fraudulenta, & crudelia: accedit, quod tantæ moli plurimus fuisset necessarius cibus, ut vel perpetuo esurire, vel animalia alia destruere cogeretur: erat etiam necessarium, ut in perpetuo motu ad captandas feras esset, quod tantæ moli fuisset incommodum: herbæ tamen cum exigui sint alimenti, brevem vitam effecissent secundum Hippocratem; quamobrem oportuit eum truncis arborum earumque fructibus vesci: at his terræ plurimum admiscetur & lapillorum quandoque, ob id necessarium fuit, ut illius corpus à talium esu haut offenderetur, aliter perpetuò ægrotasset: nam interdum contingit, ut famelicus cespites cum terra devoret.

Cum autem fructus & rami arborum sæpè editiora occupent cacumina, adeò ut hoc animal, utut maximum, illa non possit attingere aut decutere, igitur duritie capitis, proboscidisque & cornuum robore illum natura munivit, ad evertendas arbores: adjuvat & proboscidis

longitudo ad decerpendos fructus & ramos, ne semper proceras arbores perdere cogeretur, quod illi laboriosum fuisset atque damnosum, nec solum ipsi, sed aliis, sublatô alimentô imposterum. Vid. H. Cardanus *l. c.* Truncos gratissimo in cibatu habet, ut scribit Plinius *l. 8. c. 10.*

Palmarum folia & fructus ipsis sunt in delitiis, quarum ramos proboscide detractos decerpunt, quorum si non posfint statim fieri compotes, adversam frontem integris arboribus tamdiu illidunt, donec tandem everſæ dejiciantur, quas etiam proboscide & cornibus, vulgò dentibus, nonnunquam radicitus evellunt, atque ita jacentium folia & fructus absumunt. Incredibile est, scribit beatæ memoriæ Vir Illustris Jobus Ludolphus, amicus quondam & conterraneus noster desideratissimus, in Historia sua Æthiopica, quantam hi boves Lucæ stragem in sylvis & campis edant: arbores grandiores tamdiu corporis mole quatiunt, donec vel scapus frangatur, vel tota arbor cum radicibus velut quodam terræ motu evellatur: mediocres manu seu proboscide paulo altius prehensas flectunt & confringunt, atque sic ramos cum foliis vorant, frutices & dumos, fruges denique omnes vel absumunt vel obterunt: ne verò pabulum tantis belluis desit, providentiâ DEI cautum: arbores enim illic crescunt cerasorum magnitudine nobis ignotæ, instar sambuci medullâ plenæ, lignô molliori, quas graminis instar depascunt. Truncos edunt: lapides hauriunt: gratissimas in cibatu palmas habent, inquit Solinus *cap. 38.*

Cornibus etiam grandiores arbores evellunt radicitus, vel ramos incurvant, ut foliis potiantur; hinc fit interdum, ut in grandiorum arborum evulsione alterutrô dente priventur, & sic postmodum quasi inermes incedant. Juncos & hederas absumunt, item tenera palmarum cacumina, aliarumque plantarum extantiores ramos, & vix ulla tam valida tamque altis radicibus defixa arbor est, quam non diffringere & prosternere possunt: hinc Oppianus:

> Nonnunquam ingenti perterret robore sylvas,
> Dejiciens altas concussô stipite fagos.
> Atque oleastros & quercus, alnosque fatigans,
> Excelsasque solo palmas radicitus æquans
> Tales in sylvis Elephas dat corpore strages.

Pro ordinario & communi victu illis inserviunt herbæ palustres, siquidem libenter versantur in palustribus locis, cœnôque delectantur & lutô more porcorum: arida & procul ab aquis dissita loca relinquunt ob pabuli defectum, nam propter æstus magnitudinem & fontium raritatem terra sterilis paucas vel nullas producit herbas. Cibum potissimè ipsis præbent arborum folia & trunci, quorum cortices deglubunt, ut



Fol. 98. Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.

ut & fructus Musæ, item radices ficus Indicæ, quæ mirum in modum ab iis appetuntur: Arbor hæc miraculosa silentiô non prætereunda: illa in magnam altitudinem unicô truncô eôque admodum crasso assurgere solet: ramos deinde circumcirca in omnia latera expandit, qui tenues quasdam fibras seu filamenta coloris cerei demittunt, quæ ubi terram attigerint, firmantur, novamque quasi prolem generant: etenim magnam crassitiem paulatim acquirunt, & veluti in novos arborum caudices transeunt, qui novos rursus summâ sui parte in latera ramos spargentes novis denuo fibris deorsum missis sese propagant: sic alii deinceps rami in infinitum, ut interdum unica arbor suis propaginibus integrum ferè milliare Italicum in ambitu occupet, sitque difficile, quæ primaria sit arbor sive omnium istarum prolium parens dijudicare, præterquam ex trunci amplitudine, quæ nonnunquam in matre tanta est, ut trium virorum ulnis vix comprehendi queat: sic unica arbor densissimam silvam efficit, sub qua aliquot hominum millia latere possunt: folia fert in novellis ramis mali cotonei foliis simillima, supernè viridia, infernè candicantia & lanuginosa: provenit circa Goam. Vid. Carol. Clus. in *notis ad Garziæ histor. aromat.* p. *m.* 17.

Imprimis delectatur Elephas fructibus Musæ, quam arborem Ægyptii Mauts vocant: sunt autem illi parvis cucumeribus similes, racematim appensi, quorum color aureus est, cortices suavissimum & aromaticum odorem spirant, substantia autem mollis, pinguis, lenta, dulcis atque apprimè suavis, seminum tamen vel nucleorum expers est, ut scribit Prosper Alpinus *lib. de plantis Ægypti cap.* 22.

Devorant aliquando etiam lapides & terram, quam tamen edisse iis tabificum est, nisi prius mandant, ut legimus apud Plin. *H. N. l.* 8. *c.* 10. Terram autem comedunt non tanquam alimentum, sed ut medicamentum; ait enim Philosophus, edere Elephantum terram, & reddi invalidum, si ejus usum intermiserit; si non intermiserit, nullo nocumento affici. Vid. Melch. Sebiz. *l.* 5. *de alimentor. facultat. cap.* 28.

Radices effodiunt, quibus pascuntur, è quibus primus, qui aliquam repererit, regreditur & suos gregales advocatos in prædæ communionem deducit. Melonibus Æthiopicis suavissimis libenter vescuntur, quorum odorem hæc acutissimi olfactus animalia à longinquo sentiunt, hinc accurrunt, & integra cucumeraria depopulantur, ut refert Hermolaus *in Dioscorid.* Cucumeribus pariter delectantur. Cicures arborum foliis, arundine saccharinâ, miliô & hordeô vescuntur, hujusque interdum novem modios Macedonicos unâ vice absumunt, ut supra ex Aristotele *H. A. l.* 8. *c.* 9. & Æliano *lib.* 17. *c.* 7. probatum:

tantam autem quantitatem hordei uno pastu sumptam ipsis nocere, atque eapropter sex, farinæ autem quinque modios sufficere censent modo dicti Authores Aristoteles & Ælianus *l. c.* comedunt etiam orizam coctam & in globulos coactam, item die Pisangs Früchte. Vid. Walther Schultzens Ost-Indische Reise-Beschreibung im andern Buch fol. 199. Antwerpiæ ostentatus Elephas quatuor modios pomorum quotidie absumsit. V. Joh. Jonston. *H. N. de quadrup. p. 33.*

Cibi plurimum capiunt & potum supra quam credi potest, inquit H. Cardanus *de subtil. l. 10. p. 552.* In Regionibus frigidioribus aluntur frumento coctô & melle, ut cœli injuriam sustinere possint: in vernaculis autem locis tam herbis & ramis quam fructibus vescuntur, quam ob causam arbores prosternunt. Fagos oleastros & palmas ob id cornibus eos subvertere Oppianus author est. Lusitani apprimè melonibus illos delectari scribunt. Panem etiam comedunt cicurati, ut & hordeum, mellis favos, orizam aquâ irroratam, uvas, ficus, cæpas, allium, juncum, hederæ folia & similia; aliis consuetis alimentis destituti radices ex terra beneficio cornuum, vulgò dentium, erutas comedunt.

Apud Indos tractus est, dictus Phalacrus, latinè calvus; ubi quodcunque animal peculiarem herbam ibi nascentem degustaverit, pilos & cornua statim amittit: Elephanti itaque, nisi cogantur, non accedunt ad istum locum, imò verò cum propè accesserint, perinde ac prudentes homines ab omni illius loci gramine refugientes pedem referunt; ut scribit Ælianus *l. c.* Pabuli consueti quantitatem agnoscere, permistamque eidem farinam artificiosè secernere illos posse legimus apud eundem & Plutarchum.

Cibis eorum interdum odorati insperguntur flores, ut sic gratiores evadant, quemadmodum refert Ælianus *l. 13. c. 8.* Hinc picta floribus prata ingressi, illos avidè proboscide decerpunt, collectos custodi asservandos porrigunt, & in stabulum reversi non prius cibum capiunt, nisi flores decerpti cum pabulo commixti fuerint: his etiam stratum suum conspergunt, ut placidius post pabulum dormire possint: hinc patet, falsum esse illud assertum Aristotelicum, quô nullum animal præter hominem ex odore capere delectationem statuit: contrarium liquet etiam ex aliis brutis, quibus odores suaves sunt in delitiis: ita odore Pantheræ bestiæ oblectantur, eamque propterea sequuntur: deinde cum animalia nonnulla malis odoribus fugentur, e. gr. sulphure apes & muscæ, galbanô serpentes, ungulæ mulinæ adustæ nidore mures: ex adverso in natura positum videtur, quædam suavibus odoribus capi: Sic apes nonnullos aspernantur, quosdam eligunt flores, quorum rorem captent, unde victitant: sic

chamæ-

chamæleon certæ cujusdam plantæ halitu gaudere fertur.

Sed excusat Aristotelem Scaliger *exerc. 303. s. 2.* dicens: Sapientissimum Præceptorem non negare odoris oblectationem in aliis animalibus, quemadmodum nec seminaria quidem aliqua vel morum vel cognitionis: sed in homine tum hæc, tum odoramentorum oblectamenta voluptatesque potissimum inesse in eminentiore gradu, in remissiore verò & secundario in cæteris.

Cibum proboscide ori ingestum comminuunt dentibus minoribus in utrâque maxillâ sitis: extremâ enim proboscidis parte alimenta minora, veluti cerasa, nuces avellanas, grana tritici, hordei, avenæ & sim. apprehensa ori facilè ingerunt: potum autem prius in proboscidis cavitatem attractum similiter ori infundunt: in potu videntur esse nimii, dum plurimum aquæ unô ingurgitant haustu: scriptura dicit, illum (behemoth) ebibere flumina: Aristoteles illi assignat pro uno potu aliquot modios Macedonicos: sed copiam hanc requirit corporis vastitas, non suadet voluptas.

Potus Elephantorum ordinarius est aqua, sed non nisi turbida: claram enim aquam illos aversari scribit Ælianus *l. 17. c. 7.* cujus rei causam affert Simocatus, quod in aqua purâ suam umbram extimescant; ideoque solere Indos, cum trajicienda est aqua, obscuram & illunem observare noctem: hinc ad flumina potatum ducti aquas pedibus conturbant, priusquam bibant: quod etiam camelis & porcis familiare est, hanc ob causam, ut Scaliger *exerc. 138.* putat, quod naturâ duce norint, limpidioris aquæ potum aut intestinorum dolorem excitaturum, aut propter simplicitatem minus alimenti collaturum. Vinô etiam delectantur: Sic Elephas Imperatori Maximiliano Annô 1563. donatus unô haustu, sex vel septem mensuras absumere poterat, referente Zeilerô *cent. 1. ep. 25.* Nec vinum adustum respuit, aliaque potulenta.

Quorum usus est in expeditionibus bellicis, illis vinum exhibetur, non solum ex orizâ, cannis, & frumentis factitium, sed etiam verum merum, ut scribit J. Jonstonus *loc. cit.* quod proboscidi infusum sine recusatione admittunt & ingurgitant: sic enim inebriantur & animosiores conscendunt in arenam: nam ex mente Philosophi de ebrietate μεθύσκονται πίθηκος καὶ ἐλέφας πίοντες οἶνον, Simia & Elephas potu vini inebriantur: ita hic sui roboris, illa versutiæ obliviscitur, & uterque facilè capitur: nimiò verò vini potu in furorem aguntur Elephanti, maximè si thus vino sit admixtum, (id quod in gravissimâ Judæorum calamitate mandante Rege Ptolomæô Philopatore *l. 3.* Maccabæor. factum,) thus enim copiosè sumptum furorem excitare scribit Dioscorides *lib. 1.*

Huic subscribit Serapion, qui thus cum vino haustum maniam inducere credit: proinde capite damnatis hunc potum Judæi offerebant,

ut

ut mortis metum ex eorum animis sic excuterent: & Talmudici scribunt in Sanhedrim *cap. 6. fol. 43.* Ei, qui exit neci tradendus propinatur granum thuris in calice vini, ut mens ejus perturbetur: ubi Glossator addit, ne mœreat, atque ut stupidus fiat, cùm morti addicitur. Sed merito dubitare licet, an unum saltem granum stupiditatem inducere possit: constat enim, thuris grana â nonnullis commendari ad memoriam confortandam, atque pro avertendis catarrhis interdum deglutiri.

Elephanti tamen nimiô vinô irritati hordei succô mitigantur teste Pliniô & Salinô: verum utrumque erroris arguit Bochartus in Hieroz. *l. 2. cap. 26.* siquidem hordei succus est Zythum, quô ebur, non autem ipsum animal tractabile redditur.

Exterius vinô præsertim rubellô seu sanguine uvæ & succô morotum, quò impense delectantur, conspersos fuisse Elephantos, ut ad nocendum magis irritarentur, patet ex *lib. I. Maccabæor. c. 6. v. 34.*

Antverpiensis ille, cujus meminit Jonstonus *l. c.* unâ vice plures, quàm sedecim libras bibebat, idque toties iterabat, ut facilè æquaturus videretur proditam mensuram ab Aristotele *H. A. l. 8. c. 9.* hic Elephantum communiter putat bibere quinque ita dictos mares, quæ mensura heminas continet sex: (Ælianus vocat metretas Macedonicas,) hemina autem continet uncias 9. quæ quantitas æquat octo mensuras nostrates cum dimidia: nec pro tantâ corporis mole videtur esse nimia: sed alium quendam 14. amphoras aquæ (Macedoniæ mensuræ) unô haustu potu mane, & â meridie ejusdem diei octo, refert Aristoteles *l. c.* Hinc natum est proverbium de capacissimô quôdam Athenæi poculô: Ne Elephantus quidem hôc ebiberet: quô pertinet etiam, quod Hiob. *c. 40.* legimus: Ecce, absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Jordanus in os ejus: quæ hyperbole in hominem bibacem torqueri solet, de quo vulgò dicitur: quod si Sequana vel Rhenus transiret per os ejus, non tamen satiari posset.

In urbe Goa, quæ est metropolis Indiæ, fuit Elephas dictus Perico, (id est, bibax,) ita dictus, quia valde amabat vinum, & ante omnes tabernas vinarias subsistens non prius discesit, quam illi sat vini præberetur: ab obviis emendicatam pecuniam in præcipuam tabernam vinariam vini emendi gratiâ detulit: probè enim vinum bonum â viliore discernere noverat: hinc hospites tabernam adeuntes nullum aliud petierunt vinum, quam illud, de quo Elephas bibere consueverat. vid. *Histor. Æthiop. Or.* P. Johannis dos Santos Dominicani Parisiis Anno 1684. impressam *pag. 172.*

De Elephanto Anno 1563. ex Hispania in Belgium delato scribit Franciscus Guicciardinus *in descript. Belg.* quod aliquando se tantoperè vinô ingurgitaverit, ut per integrum

ἡμερονύκτιον instar mortui jacuerit vinô somnôque sepultus, discussa verò per somnum crapulâ plus quam unquam voraverit, quippe omnibus cibis assuetus, quibus porci vesci solent: hic Elephas post assumpta esculenta quamplurima unô haustu sex vel septem mensuras vini absorbuit. Vid. Lundorp. *Contin.* Sleidani *tom. 1. lib. 4. in fine.* Ab acido ex largô vini potu nimis cumulatô tandem superati fuerunt & fixi redditi spiritus animales, motusque & sensus organa sopita, torpore tantô, ut ferè mortuus videretur. Vid. D. von der Beck *exper. l. 1. p. 55.* Vinum alioquin aversantur bruta, excepta Simiâ & Elephanto, quæ animalia inde imbecillitatem sentiunt, & sic facilè capiuntur, referente Æliano *l. c.*

Quamvis autem Elephas ob insignem corporis magnitudinem & caliditatem communiter multum bibat, non raro tamen ad multos & secundum D. C. Hornium & Jonstonum *l. c.* octo dies omni potu carere potest necessitate coactus, præsertim quando in itinere per avidas & siccas regiones aquatum duci nequit, ubi se sitis esse patientissimum reapse ostendit.

Caspar Balbi Venetus vidit in civitate Pegu quatuor Elephantos quotidie bis cibatos ex aureis vasis duas amphoras nostrates capientibus, ex argenteis verò, ubi opus erat, mundatos & lotos: dum â sordibus sic purgarentur, umbraculum illos obumbrabat octo contis â totidem famulis portatum, quo minus â radiis solaribus læderentur: ita lotos præcedebant tubicines, quorum vestigia premebant Elephanti ad stabula reversuri magnâ cum gravitate, tanquam gnari, quod illis sonarent tubæ: de modo lotionis scribit J. B. Tavernier *l. c.* quod apud Golcondæ Regem stans in litore illam ita viderit institutam: Elephantum scilicet ad fluvium non ita profundum se recepisse, ibidemque in latus reclinatum proboscide magnam aquæ vim lateri extra undas prominenti inspersisse: Custodem verò caput illius pumice probè confrictum ab omnibus sordibus repurgasse; atque sic probè mundati & in litore siccati frontem, oculos, pectus & nates colore rubrô illitô exornasse, postmodum oleô illevisse, & phaleris decoratum dimisisse.

Regibus Siamensibus albos Elephantos valdoperè adamatos atque in maximo pretio fuisse Schoutenius in descriptione Regni Siam *cap. de Elephant. p. 251.* refert: talem Elephantum Regia in aula in conclavi splendido habitantem, pulcherrimis phaleris & stragulis exornatum, opiparè ex aureis vasis cibatum & potatum, satellitibus stipatum, à Rege suo sæpè visitatum, à Regiis vasallis impensè honoratum, aliquando visum fuisse narrat.

Notatu dignum est, quod nunquam se nimia saturitate obruant Elephanti: quando multum cibi

apponitur, rejiciunt illud, quod superfluum est, consueta pabuli quantitate contenti: & si quando plus justo assumserunt, inedia & fame se macerant, ut semper sint apti ad fugam & ad pugnam repentinam, egregium hoc ipso præbentes exemplum temperantiæ & moderationis; hinc Passeratius scribit in encomio Elephanti:

> Contenti modicô vivunt, minimumque sopori
> Indulgent: ideò paucis obnoxia morbis
> Corpora Nestoriæ veniunt ad fata Senectæ.

PARTIS I. CAPUT XIV.

Elephanti Capturam & Cicurationem evolvit.

PTolomæum Philadelphum secundum Ægypti Regem, post Alexandrum M. Elephantorum venationem primum instituisse ex Photiô & Agatarchide *l. 1. c. 1. p. 34. edit. H. Steph.* liquet: sub eodem Rege ad hanc capturam condita est urbs Ptolomais in margine maris rubri sita, inde Theron vel Epitheras dicta ab Eumede â Rege ad venatum misso. Quomodo capiantur docet Strabo *l. 15.* Arrian. *Ind. 2. 22.* Diodorus *3. 26.* Ælianus *8. 10. & 15.* Tzetzes Chiliad. *4. 121.* Plinius *8. 8.* A veritate aberrant, qui dicunt, venatores Elephantos capturos arbores iis in locis, ubi versantur, ultra dimidiam partem serrâ discindere, nocturnô tempore Elephantos dormituros illis arboribus inniti & se applicare, cum illis fractis in terram cadere, & cum lapsi resurgere non possint, ita capi: notissimum enim & αὐτοψίᾳ confirmatum est, Elephantes humi jacentes celeriter resurgere posse.

Elephas autem naturâ ferus, libertatem amans & indomitus tantum abest, ut more aliorum jumentorum homini statim pareat, quin potius adhûc sui juris & liber omne illi obsequium detrectet: hinc suo domitori non leve negotium facessit adeô effrenatus & malè tractabilis suâ naturâ, ut habenarum sit prorsus impatiens: antequam autem cicuretur, opus est, ut venando capiatur, quam venationem plenam laboris immensi vocat Plinius *l. 6. c. 19.* non facilè enim capitur, multòque difficilius mitigatur, ut scribit Curtius *lib. 9. c. 2.*

Venationem Elephantorum ita describit Aristoteles *l. 9. H. A. cap. 1.* Conscendunt mites aliquos animososque Elephantos, qui venantur, & insequuntur feros: quos cum aggrediuntur, ferire præcipiunt suis, usque



fol.105. Jacob Petrus Sculps. Erffurti.

usque dum fatigentur: tum Rector in delassatum illum insilit, regitque fuscinulâ: post brevi tempore fera mitescit, atque obtemperat: quamdiu insidet Rector, mitem se quisque exhibet: cum descenderit, alii mansuetudinem servant, alii repetunt suam feritatem: itaque non mitescentium crura priora præpediunt vinculis, ut quiescant: capiuntur sic natu grandes & pulli. Hactenus ille.

In Tabrobana Insulâ secundum Solinum multi capiunturElephanti, ubi pro illis abundant pascua, qui Insulani Elephanti animi robore, virtutis indole & corporis magnitudine illis, qui in continenti degunt, præstantiores existimantur, quos magnis navibus in continentem transportatos Calingarum Regi vendunt. Ælianus *l. c.* Indi,qui primi Elephantos domuisse dicuntur, sequentem observant capiendi modum: cum prægrandi & robusto cicurato Elephanto se conferunt ad sylvam, ubi norunt,Elephantum ferum latere: simulac hunc inveniunt, cum cicurato pugnare compellunt: quô in certamine cornua & proboscides ita constringuntur & colliduntur, ut uterque se vix expedire possit, sed alter alterum ita luctando prosternere tentet: cumque ferus hôc modô stet immobilis, à tergô venatores ipsi pedicas injiciunt, & sic captum abducunt.

Ætate provectus non facilè se comprehendi patitur; hinc venatores Indi ad loca palustria, quæ amant, se conferunt, & tantum eorum catulos capiunt, quos adhuc teneros ciborum blanditiis inescant, instituunt & mansuefaciunt: vetuli enim Elephanti ægrè mansuefiunt, sed sæpè cædes faciunt, & vinculis constricti magis irritantur, nullam servitutem patientes: contemnunt enim omnia blandimenta accedentibus infesti: tandem tamen plerumque musicâ & cantilenis deliniuntur, quarum suavitate perceptâ aures arrigunt, in objectum cibum respiciunt, & tractabiliores evadunt. Vid. Ælianus *l. c.*

Batavi in Indiâ Orientali novum invenerunt capiendi modum: cum cicuratis aliquot Elephantis & magnô virorum numerô se conferunt ad sylvas, ubi Elephantos latere norunt, palos infigunt per magnum districtum satis in principiô latum, sensim autem angustiorem, cum pontibus subliciis: quo factô magnô editô clamore, tympanorum & pelvium sonitu Elephantos ex latibulis expellunt, qui tandem in angustias redacti capiuntur, & paulatim cum cicuratis contubernalibus mansuescunt. Vid. Walther Schultzens Ost-Indianische Reise-Beschreibung *l. 2. f. 199.* præsertim quando ferus inter duos cicures ad aquas lavatum ducitur, mansuescit. Idem *l. c.*

Troglodítæ contermini Æthiopiæ, Nomades, Asachæ aliique Arabiæ inquilini, qui ex hâc venatione

tione victum quæritant, sequenti modò Elephanto struunt insidias: juxta illius vias, quas probè observant, unus ex venatoribus proximam arborem ascendit, atque in prætereuntis Elephanti dorsum pernici celeritate insilit, illiusque caudæ se applicans præacutâ securi crurum nervos ponè dissecat, atque sic prostratum occidit: parum enim curant, an vivus capiatur vel mortuus: siquidem hi populi carnes, corium, cornua aliasque Elephanti partes ad varios usus adhibere atque divendere solent.

Plinius *l. 8. H. N. c. 8.* scribit, illos in Indiâ capi, unum ex domitis agente Rectore, qui deprehensum solitarium abactumve à grege verberat ferum: quô fatigato transcendit in eum, nec secus ac priorem regit: antea domitandi gratiâ greges equitatu, cogebant in convallem longo tractu fallacem: cujus inclusos ripis fossisque fame domabant: mansuefacti signum erat ramus homine porrigente clementer acceptus. Vid. Diodor. Sicul. *l. 3. cap.* 3. Strabo *lib. 16.* Alibi robusti juvenes tutiore capiendi genere nec minus fallaci prægrandes arcus eminus intendunt, validasque sagittas in obvium Elephantum emittunt & postmodum sanguinis vestigiis insistunt, ut refert Plinius *l. c.* Vivus capitur secundum eundem per cicuratum, qui tamdiu ferum proboscide verberat, donec feritatem deponat.

Alius modus capiendi est, quod in loco, ubi frequentes solent esse, fovea quædam paratur ampla, continens circumferentiam aliquot stadiorum, ita ut ferè oppidum possit capere spatium illud, circa quod est facta fovea: relictus autem est angustus introitus, qui tandem occluditur, quando ingressæ sunt bestiæ. Vid. W. Franz *histor. an. p. 1. c. 4.* Africani illis in locis, ubi Elephanti degunt, observatis illorum semitis consuetis profundas fodiunt scrobes, in quas si fortè unus escâ alliciente inciderit, reliqui certatim arborum ramos congerunt, moles devolvunt, aggeres constrnunt, atque truncos comportatos foveæ injiciunt, omnemque lapidem movent, ut socium inde extrahant: interim se hâc ratione produnt ac perdunt, qua de re fusius agit Plinius *l. c.* Hæ scrobes teguntur stramine & arborum ramis, quibus Elephas allicitur, ut eò facilius incidat, quod in Regno Congo fieri Lopezius annotavit. Idem scribit, aliquando juniorem Elephantum in ejusmodi foveam illapsum esse, seque vidisse, Elephantum natu majorem nulli labori pepercisse, ut illum liberaret, huncque in finem comportatos arborum truncos scrobi injecisse, quibus innixus egredi posset: cum autem frustraneus esset hic labor ob venatores accensâ pyra ingenti clamore egressum impedientes, addit, Elephantum saxis & terræ glebis superinjectis captivum sepelivisse,



Fol. 106.

Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.

viſſe, manifeſtô indicio mortem ſui catuli ſibi captivitate ipſius eſſe potiorem.

Ad foveas à venatoribus inſidioſè factas cum accedunt, naturali & abditâ præſenſione à progrediendo ceſſant: mox itinere converſo in venatores irruunt: tunc atrox pugna & cædes fit tam hominum, quam animalium; illi eminus haſtas & jacula intorquentes ictu directô feriunt; contra Elephanti hominem fortè cadentem violenter corripiunt & proterunt, pedibus conculcant, & cornibus interimunt; inter pugnam dum aures ſuas tanquam vela expandunt, promuſcidibus ſub cornua redactis inſtar navis plenis velis propulſæ cum magno impetu irruunt, & quosvis obvios proſternunt, ſimulque ingentes clamores edunt: venatorem proximum perſequuntur, & ferè comprehenſum concitato curſu prætergrediuntur, genibus ad terram alliſis & cornibus humo vel ſaxo impactis, interim elabente venatore: ancipiti dimicant Marte, ſæpè victores, non raró victi. Libyæ incolæ eos, qui ab Elephantis vel in venationibus vel præliis interfecti ſunt, honorificis ſepulturis proſequuntur, hymnosque in honorem eorum cantillant, dicentes, illos ſe præbuiſſe viros fortes, qui tantæ beſtiæ reluctari non dubitarint.

Garzias ab Horto deſcribit Elephantos ſequenti modo domitos: magnis trabibus eos ſepientes paulatim circum, quo concludebantur, in anguſtias contrahebant, donec ſingulos Elephantos vix locus caperet: deinde funibus è vimine contextis eorum pedes & dentes ita dictos vinciebant, ut Elephanti ſe movere loco vix poſſent: hos binis funibus cinctos adibant Rectores calcibus eos impetentes & baculo ferientes: tum perpetuò ſe illos verberaturos & tandem fame enecaturos minitabantur, niſi eſſent morigeri: tales ſi fierent, forè, ut oleo perungantur, & cibo reficiantur: deinde ſingulos educebant & lavabant: lotis ſingulis binos Elephantos domeſticos & jam domatos admovebant, inter quos utrinque coërcerentur.

Indi primi Elephantorum domitores varios callent illos capiendi modos: cum enim ibidem, præſertim in Bengalâ & Pegu illorum ingens reperiatur copia, mos obtinuit, ut magnâ admotâ hominum manu cicuribusque aliquot Elephantis, ſæpè milleni capti ſtabulis includantur, ex quibus ſeliguntur meliores, qui deinde minis, fame & ſiti cicurantur, & ad varia exercitia habiles redduntur; domiti & condocefacti tandem lautius tractantur, lavantur, & oleo oblinuntur, & ſic depoſitâ feritate prorſus manſueſcunt. Vid. Joh. Hug. à Lintshoten. *part. 4. Ind. Or. c. 2.* Sequentem venandi modum obtinent Patanenſes: Venator Indus cicuri inſidens Elephanto in ſylvis fero fit obvius, qui ſtatim

 cum

cum cicure descendit in arenam: dumque sic invicem pugnant, dictum factum fero compedes applicantur in cruribus posterioribus: quo facto prostratus tandem capitur: captus autem fame domatur. Vid. Joh. Theodor. de Bry *Fig.5.*

Supra citatus Garzias ab Horto refert, se audivisse ex viro digno oculatô teste: Regem Peguensem aliquando ducentis hominum millibus integram sylvam, in qua Elephantes latebant, circumdedisse, illorumque paulatim in angustias coactorum quatuor millia cum aliis feris, v. gr. apris, tigridibus & sim. cepisse, ex quibus Rex ad usus bellicos elegerit ducentos reliquis dimissis: idem refert, hunc Regem de ingente quodam Elephanto in vicinia degente certiorem factum eô ablegasse aliquot Elephantes fæminas, additò mandatô (siquidem vernaculam linguam intelligere creduntur, qua de re infra,) ne illum ad congressum admitterent, nisi ad stabula sua cum ipsis se reciperet: addit, negotium ex voto successisse, illumque prægrandem Elephantum pluribus aliis stipatum cum fæmellis emissis ad illarum stabula deductum atque sic captum esse: tantoperè enim fæmellas, præsertim oleo circa genitalia inunctas deperit Elephas, ut præ nimio amoris æstu non dubitet illas, quorsum etiam tendant, sequi, & propriæ salutis oblitus suô doceat exemplô, quod cœcus amor sua mancipia ex libertate in servitutem variasque calamitates præcipitare soleat.

Postquam ita stabula est ingressus, dictum factum compedes ipsi impinguntur, & fæmellæ secedunt: sentiens tandem, sed nimis serò, se esse captum, incipit horrendum furere, nihil intentatum relinquens, ut ex vinculis se expedire, & pristinam libertatem recuperare possit, irritò quamvis conatu, jucundô tamen circumstantium spectaculô. Siquidem miris modis vociferatur, mugit atque discurrit, usque dum sudore totus diffluat, & prorsus delassatus corruat: tandem in angustum stabulum ducitur, similiter præeunte fœminâ, quam presso pede sequitur: quâ iterum elapsa captivus ibidem detinetur, donec post aliquot dierum jejunium, & juxtim sæpius inflicta verbera mansuescat, quô factô ipsi custos additur, sub cujus disciplina bellicis aliisque domesticis laboribus assuescit. Vid. Gotthard. Arthus. *p.* 7. *Ind. Orient. cap. 38.*

Ita inclusus nonnunquam saligneis vinculis ligatur circa pedes & cornua, vulgò dentes, adeò ut vix se movere possit: hôc factô accedens custos pedibus ipsum impetit, fustibusque ferit, additis minis, nisi pareat, fore, ut indesinenter ita tractetur, & tandem fame prorsus enecetur: sin verò redierit ad meliorem frugem, promittuntur illi lauta pabula, & linimenta ex oleo, quibus impensè delectatur: lotus tandem cicuribus associatus simul

cum

cum illis exercetur; pari modò domantur juniores, qui interdum etiam solis blanditiis vincuntur: hæ si nihil efficiunt, verberibus, objurgationibus & fame cicurantur.

Majores spatiosis stabulis includuntur, quæ plures habent januas angustas, ê quibus illi, qui Elephantos domare volunt, jacula & spicula in eos conjiciunt, donec jam fessi vulneribus & fame sint propè enecti: his deinde Rectores significant, illos se ita tractare, ut feritatem deponant; quod si humi se prostraverint, beneficia se in illos collaturos pollicentur: procumbunt Elephanti, lavantur, unguntur oleo, & cibus datur: deinde sæpè interrogantur, quomodo valeant, quid petant: hâc ratione paulatim edomantur, adeòque mansuefiunt, ut omnium ferarum mitissimi, placidissimi, & ad multa officia idonei evadant.

In Regno Siam Bramines seu Sacerdos Indicus candidâ veste indutus Elephanto vectus adventat, ac circa ferum alligatum placidè obequitans eum certâ aqua consecratâ conspergit: quo ritu credunt feritatem bestiæ adimi, eamque ad servitutem aptam reddi: quod negotium ut plurimum benè succedit, cum intra 15. dies hâc ratione mansuescat. Si nimiô furore exagitantur, non solum fame, sed & verberibus & inflictis vulneribus tamdiu vexantur, donec ferè semineces humi procumbant: sic prostratis custos significat, hæc omnia illis contingere propter feritatem, simulque interrogat, numquid liberari velit ex ærumnis hisce? solaturque illum promittens optima quæque, offert simul edulia & liberale hospitium hactenus in sylvis & campis palanti & non rarò famelico, nullis blandimentis parcens, ut illum ad mansuetudinem & obsequium redigat: huic ergò tandem incipit favere, obtemperare, & in omnibus instar mitis agni gratificari: & hôc pactô ab Elephantista tractatus assuescit imperio, & in variis rebus exercetur & instruitur.

In interiore Africæ parte quamplurimi capiuntur, quod evincunt cornua, vulgò dentes, quos finitimis atque advenis Africani magnâ copia divendunt: Æthiopes ibidem arboribus insidentes Elephantos prætereuntes jaculis petunt, confossos & ferè ab ictibus exsangues tamdiu persequuntur, donec ipsos jam semianimes deprehendant: quos sic prostratos occidunt, ut carnibus & cornibus illorum potiantur. Vid. Happel. *Relat. Curios. p. 2. pag. 735.* Quod nonnulli cum Strabone *l. 16.* sentiunt, Elephantos caduco arboris trunco innixos capi, & quod Æthiopes diligenter observent, quibus arboribus se inclinent dormituri Elephanti, easque ex altera parte cædant, quibus noctu innixæ bestiæ prosternantur & resurgere nequeant, abludit â veritate, siquidem facili negotiô sese erigere possunt, ut supra probatum est.

Sunt

Sunt alii capiendi modi: sæpè exercitus Virorum Strabone teste, egrediuntur in venationem Elephantorum: item: quod sæpè mansueti Elephanti gestantes armatos viros emittuntur contra non mansuetos, ut in illa pugna capiantur: quomodocunque verò capiantur, citissimè mansuescunt. Vid. W. Franzi *Hist. an. p. 1. c. 4.*

Gualterus Schultzius *in descript. Indiæ Oriental.* de Elephantis Africæ refert, illos funibus irretiri, dum ad cicuratos se conferunt, atque sic capi. Zeilanenses Elephanti, qui non solum arboribus, sed & hominibus, dum adhûc feri sunt, magnam cladem inferunt, â Belgis ibidem degentibus capiuntur sequenti modô: Venaturi magnâ hominum comitante catervâ ingens campi vel sylvæ spatium palis circumdant, quod in introitu amplum, in exitu angustum, & ponte versatili clausum est: in hoc horribili per tympana & pulsatas pelves excitatô fragore compellunt Elephantos, eosque sic in angustias redactos funibus & catenis vinciunt: postea quotidie unus ex feris istis duobus cicuribus comitatus aquatum ducitur, non solum ut bibat, sed ut lavet simul cum reliquis: quod si facere ferus recusat, verberibus proboscide inflictis â cicuratis tamdiu vexatur, donec mansuescat.

Ex Jodoco Schoutenio liquet, in Regno Siam eundem ferè capiendi modum vigere: captos autem funibus circa præcincta ilia ligatos ad superpositam trabem aliquandiu suspendi, donec per conversationem cum cicuratis domentur, qui interdum quoscunque feros obvios adoriuntur, quâ in pugnâ invicem implicatis venatores facilè compedes & vincula injiciunt. Operosissimam capiendi rationem prolixè describit hic Author in descriptione Regni Siam *p. 749. & seqq.* educitur nempe â duobus vel tribus custodibus in sylvam grex 15. vel 20. Elephantorum cicuratorum in juventute captorum, cui gregi obvii feri Elephanti se immiscentes in locum proximum palis atque muris probè munitum pelluntur, ibidemque includuntur: dilapsis postea per proximam portam cicuribus feri soli relicti capiuntur, Rege in peculiari theatro & Proceribus in porticu captarum bestiarum vexationes atque discursus spectantibus: sic delassatô tandem captivô porta aperitur, quam ingressus duobus vel tribus cicuratis alligatur obductô pessulô: postmodum stabulo includitur, ibidemque funibus â trabe transversa demissis circumdatus per aliquot dies semper pendulus relinquitur. Sic tandem intervallô trium vel quatuor mensium cicuratorum ope servitiis hominum assuescunt.

Sylvas egressi interdum latis capiuntur in campis, ubi a cicuratis circumventi compedibus vinciuntur, verum rarò sine acri certamine: & hic capiendi modus viget apud Siamenses eorumque finitimos, licet non desint, qui aliter rem referant,



Fol. 110. *Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.*

rat. Herportus oculatus teſtis addit huic relationi ſuum calculum, qui annô præterlapſi ſeculi 1666. in Ceilon interfuit venationi, in qua nonaginta ſex Elephanti capti ſunt. Vid. ejus Oſt-Indiſche Reiſe-Beſchreibung *p. 188.*

Certamen Æthiopum cum Elephantis Diodorus Siculus *l. 4. de fab. geſtis antiquorum* ita deſcribit: Habitantes in ſylveſtribus & arboribus refertis locis Elephantorum ingreſſus atque exitus ex præaltis arboribus obſervant: multos una incedentes non aggrediuntur omni ſpe vincendi remota: ſingulis injiciunt manus mirabili audacia: nam, cum incedens beſtia arbori appropinquat, ſpeculator occultus latet ex arbore deſiliens, manibus apprehenſa cauda, pedibusque ad dextrum femur appoſitis, ſecuri, quæ ex humero pendet levi, quæ unâ manu tractari queat, & acie acutiſſimâ eſt, dextrâ manu apprehensâ nervos dextri poplitis crebris ictibus amputat: ſiniſtrâ manu regens agile ſuum corpus belluæ conatus magna velocitate effugit: in eô nempe certamine verſatur utriusque ſalus, mortis diſcrimine in alterius vita poſito: Elephas nervis abſcisſis quandoque, quia haut facile ſe vertere poteſt, inclinatus in latus ſaucium in terram cadit, Æthiopemque ſecum trahens interficit; quandoque ad arborem aut ſaxum hominem allidens ipſo pondere, quoad animam exhalat, comprimit: quidam Elephantes dolore moti, cum inſidianti obeſſe nequeant, diffugiunt per campos, quoad continuis ſecuris ictibus ab inſidente cæſi decidant: tum concurrunt Æthiopum cœtus, & beſtiæ poſteriores partes abſciſſas auferunt & edunt.

Alium quamvis ſubleſtæ fidei modum deſcribit citatus author ibidem ſine vitæ diſcrimine factum, quando inquit: conſuevit hoc animal, cum â paſcuis plenum redit, dormitum ire modò â reliquis quadrupedibus plurimum diverſô: non enim genu corpus flecti ad terram poteſt, ſed arbori hærens dormit: arborem Elephantis adhæſione tam attritam quam ſordibus plenam advertentes incolæ juxta humum ſecant, ut tamen non niſi impulſa cadat: deinde ſui acceſſus veſtigia ad ea loca delent, ſubitò abeuntes, priusquam beſtia ad ſomnum redeat: Elephas veſperi cibo plenus ad notum cubile profectus omnique mole ſectæ adhærens arbori ſtatim cum eâ ad terram proſternitur, reſupinus totâ noctej acet, cum ſe erigere nequeat: tum Æthiopes ad locum accedentes absque periculo beſtiam occidunt, tabernaculisque ibidem erectis moram trahunt, quoad animal ſit abſumtum. Sed hoc falſum eſſe, ſupra oſtenſum eſt: docet enim experientia & ipſa αὐτοψία, animal hoc in terram proſtratum facili negotiô reſurgere: id quod ipſemet tanquam oculatus teſtis Auguſtæ Vindelicorum Anno 1689. vidi.

Egregiè deſcribit ejusmodi venationes J. B. Tavernier *in Itinerar. Ind. l. 1. c. 18.* In ſylvis, inquit, Indi foſſas fodiunt, quas cratibus terrâ conſperſis probè obtegunt: quô facto venatores ingenti clamore, tympanis & ſuccenſis ignibus Elephantos ad illas foveas compellunt, in quas incidentium proboſcidem & crura catenis atque funibus conſtringunt, & captam beſtiam ſic compeſcunt: tres tamen ita ligatos ex foſſis evaſiſſe refert occiſis prius duodecim ruricolis: mirum eſt, quod ſemel ſic deluſus Elephas decerpto arboris ramo proboſcide apprehenſo omnes vias accuratè exploret, ubique inſidiis ſe peti putans: captivo duo cicurati cum ſex circiter cuſtodibus adjunguntur, qui illi fœnum, arundines ſacchariferas, orizam cum pipere coctam & ſimilia offerunt: quibus ſi veſci recuſat, jubentur aſſiſtentes cicurati fero plagas infligere, qui ſtatim parent, & renitentis caput & frontem proboſcide tamdiu verberant, donec ad obſequium redigatur.

Idem refert *l. c.*, in Inſula Zeylan fieri pergulam in ingreſſu amplam, poſtea ſenſim anguſtiorem, in cujus extremitate collocetur Elephas fœmina, clamore marem ad congreſſum invitans, cui mas propior factus â latentibus venatoribus injectis vinculis confeſtim capiatur. Joh. Jacob. Saar *in diſc. de reb. Ind. c. 4. p. 65.* Elephantorum capturam, cui ipſemet in Inſula Zeylan interfuit, ſequenti modo deſcribit: duobus in locis ibidem capiuntur, primo nomen Kattumma, ſecundo Flasmeulla: Venatui huic præeſt Venatorum Magiſter ad id à Batavis conductus, qui quotannis illorum certum numerum, nonnullos dentatos, quosdam verò ſine dentibus capit, cui triginta ſex Nigritarum pagi opem ferre tenentur: venatio hæc inſtitui ſolet menſibus Juniô, Juliô & Auguſtô, quô tempore propter aquarum penuriam ex editis montibus ad declivia loca ſe recipiunt Elephanti verſus mare, ubi tum frequentius pluviæ decidunt: ponitur autem ad 4. 5. vel 6. milliaria in circuitu ſtrues lignorum non facilè deflagrabilium: quam incenſam Elephas ignem timens non transgreditur: ad hujus finem patet angiportus ſeu vicus anguſtus palis terræ infixis utrobique cinctus, ſenſim in majores deſinens anguſtias, quo Elephantorum præcipui compulſi objectis transverſariis lignis ultra progredi non poſſunt: quô facto admotis funibus ſinguli ad duos cicuratos Elephantos comites alligati ducuntur in aſſignata ſtabula: duobus larvatis cum tintinnabulis præcedentibus mimis choreas ducentibus, quos inquilini Billaher appellant: hi tandem Elephantum ferum blandè alloquuntur, & ad feritatem deponendam hortantur, monentque ſic fore, ut impoſterum non in horridis ſylvis, ſed ſub tecto vitam agere quietam poſſit, nullis ventorum aut pluviarum injuriis expoſitus, nullâ amplius

fame



Fol. 112. Jacob Petrus Sculpsit Erffurt.



fame aut siti pressus: pabula etiam sapida nunquam ipsi sic defutura spondent: quos ritus bestia obstupescit, & sic paulatim ut plurimum intervallô anni dimidii coërcetur & mansuescit: cicuratus denique super infusa aquâ conspergitur, eique Principis vel magni cujusdam Ministri nomen imponitur.

Cum vivi non expetuntur, occiduntur Herportô referente sequenti modo: juxta vias, quas frequentant, ad proximas arbores alligantur funibus ingentes lignei trunci, qui in prætereuntem bestiam abscissô ab Æthiope insidente arbori fune delapsi illam protinus conficiunt & prosternunt: parum enim refert, & perinde est, an Indi illis mortuis vel vivis potiantur, præsertim ubi arborum agrorumque fructus cum magno inquilinorum dispendio depascuntur, ipsisque non rarò hominibus ab illis insidiæ struuntur: cujus rei memorabile refert exemplum Johannes von der Bahr *p. 102.* cum, inquit, ex nostratibus militibus integra centuria non procul ab urbe Negumbo subsisteret in campo, accidit, ut Elephas fœmella, quæ suum catulum amiserat, ex proximo nemore prosiliens totam invaderet cohortem, nonnullosque bipennibus illorum diffractis prosterneret, parumque abesset, quin ipse ductor locum tenens equô atrô vectus â bestia correptus occideretur: putabat enim sine dubio Elephas equum esse suum catulum, quem tam anxiè quærebat: quod si tantam hominum multitudinem una bestia adoriri non veretur, credibile est, vix â singulis & quibusvis obviis sibi temperaturam, præsertim irritatam & catulô privatam: sic enim fœmina, alioquin mare longè timidior, magis efferatur. Mares hominibus rarò infesti sunt; fœminas verò astutas & perpetuas grassatrices esse, difficilius cicurari, cicuratas sæpenumero insanire ex Vartomannô refert J. C. Scaliger. *Exerc. 204.*

Mares citius domantur quam fœminæ: hæ enim suâ natura maribus longè ferociores sunt, & quamvis cicurentur, levi tamen negotio iterum efferantur, & majore odio hominem prosequuntur, quam mares, præsertim quando catulos lactant: nec ut mares ignem timent: Indi tamen fœminis in bello rarò utuntur, quia credunt, illas esse minus animosas, quamvis malitiosiores sint & callidiores. Ætate tenelli & adhûc parvi quando educantur, facilius mansuescunt: non desunt tamen, qui ob naturæ feritatem nunquam domari possunt, quales in Senega, (ut in suis navigationibus scriptum reliquit Aloisius Cadamustus,) Æthiopiæ Regno reperiuntur. Vid. And. Matthioli *commentar. in lib. 2. Dioscorid. cap. 50.* Quando gregatim incedunt, mares pro grege vigilant, in editioribus locis de insidiis fortè sibi structis circumspicientes: in declivioribus locis ambulant fœmellæ: in campis versantes longè audiuntur, quamvis non videantur; sonitus enim pedum at-

que aurium ſubinde ſe moventium aures ferire ſolet: curſu ſi equum non ſuperant, tamen æquant. Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit. Senec. *epiſt. 90.*

In Regno Peguenſi & Siam Ruſtici Elephantis fœminis venere jam æſtuantibus inſidentes per avia ſylvarum mares quærunt, quibus inventis fœminam mox ad arborem alligant, atque inſequenti Elephanto caſſes ponunt, eundemque hoc modò irretiunt. Vid. Happel. *Relat. Curioſ. p. 2. p. 738.*

Quando animadvertit Elephas, ſeſe peti venationibus, veſtigium hominis eruit, erutum tradit proximo Elephanto, ut ex olfactu hoſtem deprehendat: citò ergò fit, ut concurrant, & quaſi agmen inſtituant; ut refert Plinius *lib. 8. c. 4.* Sagacisſimè enim odorantur, & acerrimis ſenſibus præditi ſunt. Primus in agmine narium ſagacitate herbam ante pedes ſuos poſitam ſentiens humanis veſtigiis eſſe tactam eam evellit, & proximo ad odorandum tradit: is rurſus alteri: & deinceps ab omnibus ſequentibus ſagaciter contrectatur, donec ad illum, qui extremum agmen ducit, perventum fuerit: is ſimulac olfecerit, barritum vaſtum edens ſignum ad fugam dat: tunc in convalles profundas, aut in loca paluſtria, nemoroſa aut campeſtria aufugiunt, & â locis, in quibus frequenter homines iter facere ſolent, prorſus abſtinent.

Elephantum ariete conſpecto manſueſcere, eundemque ſubrumi ſuis grunnitum horrere ſcribit Joh. Ruellius *lib. 1. de natur. ſtirp. p. 95.* Hordei ſucco eundem mitificari idem ex Plinio refert *l. 2. c. 18.* Recens captum Zythi potione cicurari Geſnerus *l. 1. de quadruped.* refert. Juniores Elephanti facilius cicurantur ſenioribus: illos Indi objectis ſapidis pabulis & blandimentis ita inſtruere norunt, ut ad omnia obſequia paratos ſe exhibeant: provectiores verò ætate difficulter manſuefiunt, & quò magis vinculis coërcentur, eo ferociores evadunt: omnibus fruſtra tentatis inſtrumento muſico, v. g. Citharâ, quam Ælianus σκινδαψὸν vocat, quatuor fidibus calamô pulſatis ſonante tandem domantur: concentu enim muſicô auditô aures attentè arrigunt, eôque deliniti congenitam ſibi feritatem deponunt, quô factô tam tractabiles evadunt, ut ex manu Rectoris inſtar caniculæ eſcam ſibi oblatam promptè accipiant, & à vinculis liberati ad priſtinam indolem non redeant, patianturque ſibi manum in os & fauces ingeri ſine noxâ, quod Noribergæ Annô 1629. referente D. Caſp. Horniô loco ſupra citatô contigit.

Succeſſu temporis, inquit W. Frantz. *hiſt. an. part. 1. c. 4.* adeò placidum fit hoc brutum, ut gaudeat capere cibum ex manu Rectoris, ſicut parvulus canis, venientem etiam proboſcide complectatur, & patiatur ipſum integrum brachium intra ſuas fauces mittere, & tamdiu

diu apertum teneat os, donec rursus extrahatur: siquidem sæpenumero facilè mansuescit, ut scribit Aristoteles *H. A. l. 1. c. 1.* quod tamen in aliquibus non observatur, præsertim in Æthiopicis & montanis, quorum vix ullus sive in bellô, sive in pace inter tot montes usus est. Ut facilius cicurentur, primò leniter & suaviter tractandi sunt, ciborum nimirum illecebris & varietate, ut si quid adest agreste, expellatur, atque ex feritate ad mansuetudinem, & quasi ad humanitatem quandam sic transformentur. Cantu mulcentur secundum Cœlium & tympanorum sonô.

Semel mansuefactos puer annorum XII. regit, & quorsum libet, agit: Philostratus *l. 2. c. 8.* refert, se vidisse vastissimum quendam Elephantum, cui insederit puer 13. annorum, qui bestiam parvô baculô ducebat, quocunque vellet, cum magnâ spectantium admiratione: hinc Apollonius Thyanæus aliquando interrogatus, undè fiat, quod tam vastum animal pusillo pareat puero, respondit: illud accidere ex tremore quodam activo erga hominem â DEO ipsi implantato, quo bruta hominem ob singularem prærogativam & imperium in bestias sibi à Supremo Creatore benignissimè concessum verentur & timent, qui timor sit veluti character terrificus, & signaculum à DEO impressum, quo hominem sibi dominantem agnoscunt: alioquin puer armenta regere non posset: idque DEUS ter Opt. Max. Patriarchæ Nohæ ejusque filiis post diluvium promisit *Gen. 9.* inquiens: Terror vester & pavor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres Cœli cum universis, quæ moventur super terram: nihilominus secundum Hiobum *c. 40. v. ult.* in oculis suis capitur, & tendiculis nasus ipsius perforatur: quod textus Hebræus ita exprimit: in scaturiginibus vel fontibus suis capietur, quibus illum impensè delectari supra dictum est: quo ipso innuitur, quamvis inter omnia animalia sit maximus, nihilo secius tamen fieri posse, ut in captivitatem redactus & in vincula conjectus pro spectaculo circumducatur.

Timere Elephantos hominem naturali instinctu scribit Plinius *H. N. l. 8. c. 10.* Elephas, inquit, vestigio hominis animadverso prius quam ipso homine contremiscit insidiarum metu, subsistit & olfaciens circumspectat, iras proflat, nec gramen vestigio hominis inhærens calcat pedibus, sed erutum proximo tradit, ille sequenti, donec ventum sit ad extremum, & tunc agmen circumagitur & revertitur.

Vetulus Elephas efferatior est, nec facilè capitur: captus difficulter mansuescit: lautè tamen cibatus & sæpè concentu musico delinitus tandem mentem mutat: minores natu capere pariter operosum est, quoniam â natu majoribus, qui eos tuentur, non facilè relinquuntur. Circumventi à Venatoribus

toribus debiliores in primâ acie conſtituunt, reliqui in ſubſidiis manent, & feſſis auxilium ferunt, nec mediocrem curam habent ſauciorum, quos in medium recipiunt cum matribus & catulis: ætate provectiores verò robuſtiores & ad pugnam habiliores totum agmen circumeunt & defendunt: gregatim incedunt, ordini excelſiſſimus præeſt: reliquos in medio collocant, ut agmen claudant paulo majores. Oberrant agminatim, inquit Solinus *cap. 38. p. m. 115.* Natu maximus ducit agmen, ætate proximus ducit ſequentes: flumen tranſituri minimos antemittunt, ne majorum ingreſſu alveum atterant, & profundos depreſſis vadis gurgites faciant.

Capiſtro non regitur neque freno, ſed clavâ ferreâ: gubernator enim ſedens in ejus dorſo clavam uncinatam præ ſe gerit, cujus mucrone frontem leviter ferit, cujus metu etiam leviſſimè tangentis omnia Rectoris juſſa obire ſolet: neque ſemper Rector clavam manu tenere neceſſe habet, ſed duntaxat ex Elephanti fronte appendere: is cum ad diverſoria venit, jamque videt, Rectorem deſcendiſſe, clavam ex fronte pendentem promuſcide corripit, atque in terram leviter abjicit, quam in itinere, etiamſi Rector deſcendat & ſecedat, abjicere non ſolet. Vide Petr. Gillium *in deſcript. Elephanti p. 7.*

Magiſter ſeu Rector Elephanti Indus dicitur, undecunque ſit ortus; Elephantarches autem ab Elephantiſte differt ex mente Sam. Bocharti *in Hierozoic. in præfat. & l. 2. c. 27.* Nam Elephantiſtes Elephantagogus eſt, qui Elephanto inſidens illum falce dirigit: Elephantarcha verò, qui imperium habet in belluas: quod cognomen Regi Seleuco à Regis Demetrii adulatoribus fuit datum, cum plures haberet Elephantorum centurias: tantum itaque ab Elephantiſte vel Elephantagogo differt Elephantarcha, quantum ab Equiſone Magiſter Equitum: in bello enim Elephantarcha non ſolis Elephantis præeſt, ſed & illorum ſeſſoribus, quod notat citatus Author contra Cœlium Rhodiginum, qui Elephantiſtem & Elephantarcham non differre putat.

PARTIS I. CAPUT XV.

Elephanti Robur perpendit.

RObore pollet hoc animal incredibili: nam ſecundum Ariſtotelem *l. 9. H. A.* proceras palmas ſua fronte tamdiu impellit, donec declinent, tum pedibus illas conculcans proſternit in terram & fructum vorat: Arbores proboſcide complectendo evellit, ut ſcribit Philoſophus



Fol. 117. Jacob Petrus Sculpsit Erffurth.

phus *l.2. de part.an. c.16.* Ælianus hoc præcipuè ab illis fieri putat, quando libidinis œstrô sunt perciti: proboscide correptum hominem in sublimè jacit, & decidentem interficit: quin & secundum Oppianum

> Fagos ille altas, oleastros, celsaque sternit
> Secula palmarum, & veteres radicitus ornos,
> Malis incidens præacutis, si stipulæ essent:

cornibus, vulgò dentibus evertit ædificia: pedibus prosternit acies, & proterit armatos: dorso validissimo turrim gestat ligneam bellatoribus aliquot repletam: quorum secundum *lib. Maccab. c. 6.* triginta duo in una turri ab uno Elephanto gestati fuerunt cum Æthiope bestiæ Rectore, quod ferè omnem fidem superat.

Partes superiores prioresque in quocunque animalium genere maribus sunt potiores, validiores & aptiores: quæ autem dici possunt inferiores posterioresque, eas fœminæ habent robustiores cùm in hominibus, tum in cæteris animalibus omnibus, quæ pedestria sunt, atque animal generant, ut vult Aristoteles *l. 4. H. A. c. 11.* & sic etiam cum Elephantis comparatum est, quorum fœminæ secundum inferiores partes longè sunt habitiores & validiores maribus.

Tam vasto animali, quod magnitudine tres bubalos si non superare, tamen æquare creditur, ut scribit Zeilerus *epistol. centur. 1. epist. 25.* stupendum robur inesse, non est, quod miremur: vis ejus in lumbis ipsius, & robur ejus in umbilico ventris sui: ossa ejus viribus chalybeis, & artus ejus ferreo vecti similes, inquit Hiobus *cap. 40.* Sed nec post Herculem quisquam Leone aut Elephanto fortior videbitur, inquit Galenus *in Orat. suasor. ad Art.* Viribus sui corporis fretus omnia pericula contemnit, nemini tamen nocet, inquit A. Cassiodorus de Regno Congo *c. 10.* propugnacula dejiciunt, & arbores radicitus evellunt secundum Strabonem in posteriores pedes erecti.

Pugnant onusti turribus, ex quibus decem aut quindecim Indi tanquam ex propugnaculis cum hostibus dimicant, atque ex arcubus sagittas ejaculantur, teste Philostrato: communiter nudo suo dorso tres bellatores ferunt, alterum dextra, alterum sinistra pugnantem, tertium retrorsum bellantem, ac simul quartum moderatorem, ac belluam, ut naucleri naves solent, dirigentem, cum ad bellum eos Indi armant, in clitellas geminis ex ferro catenis infra alvum cinctas utrinque tanquam caveam ligneam imponunt, atque ad collum alligant: singulas caveas terni milites ingrediuntur: in utriusque medio auriga sedet, qui belluam patrio sermone alloquitur, & cum progrediendum aut regrediendum est, ostendit: ferias, inquit, hunc: ab illo abstine manum: ad promuscidem lorica munitam districtus gladius longitudine duorum cubitorum alligatur, teste Gillio & Vartomanno,

Nulla

Nulla bestia corporis lacertis laterumque firmitudine validior: in bello maximè vires suas exserit, præliantibus vim infert, arma diffringit, armatosque prosternit: tantum corporis ejus inest roboris secundum H. Cardanum *l. 10 de subtil. p. 551.* ut duo ex his juncti navem maximam onustam in terram trahant. Olim quoque & nunc Indi solent duabus catenis ferreis circumligatis sub ventre duas addere clitellas, illisque ligneum superimponere castellum, in quibus seni homines erecti, & quandoque usque ad quatuordecim pugnantes omni telorum genere stant: sed nunc ob tormenta bellica eviluit id pugnæ genus, tum maximè, quod Elephanti ignem formidant: ideoque adversus illos Indi faces accensas ferre solent, â quibus adeò terrentur, ut longè plus mali fugiendo suis, quam hostibus pugnando inferant. Fœminæ iracundiores sunt, sæviores & plerumque robustiores maribus, licet corpore minores. Hactenus Cardanus.

G. Happelius *Relat. Cur. part. 2. p. 739.* ex Monachi cujusdam Carmelitani de Sancta Trinitate dicti, qui diu in India Orientali vixit, & propriis oculis, quæ sequuntur, observavit, Itinerario Orientali refert: in Goa urbe semper dari Elephantos, quorum ministerio incolæ ad exstruendas naves utuntur: aliquando autem se vidisse dicit unum Elephantum unâ vice tantam lignorum struem ad locum semel sibi destinatum portantem, quam vix viginti robusti viri tollere potuerint: dum ingentes etiam post se traheret trabes, altero pede inter eundum omnia obvia impedimenta illum removisse scribit, ut commodius illas aveheret: quo magis oneratus est, tanto firmius incedit.

Fœminam ad gestanda onera magis aptam atque in hoc genere planè virilem esse Vartomannus testatur: Aristoteles verò illam mare timidiorem esse asseverat: procerior tamen hic est, & in præliis fortior & animosior. Fagos, oleastros & palmas Elephantum posse evellere supra ex Oppiano probatum: ædificia verò subvertere, dum admovet cornua, vulgò dentes, arbores sua fronte impellere, donec declinent, tum pedibus conculcatas in terram prosternere Aristoteles *l. 9. H. A. c. 1.* author est: ab uno arboris truncum prostratum tantæ vastitatis, ut vix a viginti quatuor viris loco moveri potuerit, Vartomannus prodit *l. 4. c. 10.* & addit, à tribus Elephantis in genua demissis frontibus annixis aliquando maximam Liburnicam palangis impositam in continentem pertractam esse.

In urbe Cochin tormentum æneum insignis magnitudinis Lusitani aliò transportare tentabant: quid fit? admoventur plurimi Viri robusti omni studio & labore illud amoturi: incassum omnia: adducitur Elephas proboscide illud apprehendens, sed & hoc erat frustraneum: Rector Elephanti hanc

debi-



Fol. 118. Iacob Petrus Sculpsit. Erffurt.





fol. 119. Jacob Petrus Sculpsit Erffurt

debilitatem Elephanto exprobrans, dicit: heus tu, quanta in me redundat hinc ignominia, quod tam imbellem atque infirmam alam bestiam? quibus verbis incitatus Elephas omnibus corporis viribus tormentum tantoperè aggrediebatur, ut medius inde creparet. Vid. Happel. *Relat. Cur. p. 2. pag. 740.* Christophorus â Costa refert, in modò dictâ urbe Cochin fuisse Elephantnm, qui in litore maris quotidianis usibus assuetus erat: aliquando cum valdè defatigatus esset, Gubernator urbis imperabat, ut celocem jam loco motam ulterius traheret in mare: ille primò renuit omnibus minis atque blandimentis posthabitis: tandem ab aliquô astantium persuasus, ut in honorem Regis Lusitaniæ id negotii in se susciperet, respondit, Hoo, Hoo, quod Malabaricô idiomate significat: Volo, volo: & protinus navem in pelagus detrusit.

Elephantum suis cornibus, vulgò dentibus, palmam cum summa violentiâ eradicasse & pedibus eandem conculcasse vidit Ctesias: subvertere illos mœnia hostium Ælianus *l. 18. c. 28.* testatur, etenim Orientem versus bella geruntur & absolvuntur Elephantis. Memorabile est, quod Historici de Elephanto scribunt, cujus rei etiam supra facta fuit mentio, illum scilicet quo magis oneratus est, eô firmius incedere: si verbi gratia 30. viros cum victu, armis & instrumentis bellicis in tergò portat, firmius incedit, quam si decem gestet: cujus rei hæc putatur esse ratio: cum leve gestat onus, illud non sentit, & ideò segnius incedit: ubi autem majori est gravatus onere, robori suo conveniente vires omnes exserit, non secus ac videmus strenuos Viros eò magis virtutem suam exserere, quantò plures eos circumstant res adversæ.

Pugnant inter se fortiter & vehementer, ut tradit Aristoteles, & alter alterum cornu ferit: Crudele, scribit Garzias *l. c.* est spectaculum, quando Elephanti veluti monomachiâ præliantur, siquidem non modò cornibus singuli adversarium impetere student, sed interdum magnô impetu collisis capitibus concurrunt, adeò ut alteruter capite confractô cadat in terram. Victus fugit vocem Victoris, terram ac verbenas porrigens, ut scribit Jonstonus *l. c.* Inter dimicandum quilibet tentat Rectorem adversarii proboscide deturbare: sic fit, ut sæpè pereat dejectus: hinc in arenam descensuri conjugi atque liberis valedicere solent: evadentes verò & Victores à Magno Mogole præmiis ornantnr, ut scribit Author rerum memorabilium Asiaticarum & Africanarum. *pag. 178.*

Etsi verò hoc animal tanti sit roboris, tamen ex DEI ter Opt. Maximi bonitate, ne generi humano & reliquis brutis noceat ac damna inferat, factum est placidissimum, ita ut inter omnia bruta sit mansuetissimum: id quod patet 1.

Q ex

ex Sacrâ Scriptura, quæ dicit Hiob, 40. v. 10. in oculis ejus quasi homo capiet eum, & in funibus perforabit nares ejus, hoc est: etsi hæc bestia est vastissima, nihilominus tamen DEUS eam mansuefecit, & hominis imperio subdidit: 2. quod capti Elephanti citissimè cicurantur. Vid W. Frantzii *histor. an part. 1. c.4. p. 25.* Quando autem in furorem aguntur, quod interdum contingere solet, non sine periculo cum Elephantis conversantur illi, qui stipem eis porrigunt: inde natum est proverbium: Elephanto stipem porrigere, id est, rem periculosam aggredi: ad quod alludit Georg. Braun. *in Civitat. Orbis Terrarum tom. 1.* de subditis Regis Calecutensis ita scribens: ad Regem propius quis non accedit, quam ad tres vel quatuor passus: cum verò aliquid porrigunt, ac si stipem darent Elephantô, ab ipsis tremebundis id ramô porrigitur, quoniam Regem tangere apud eos nefas ducitur, & capitale est.

Anteriore corporis parte Mares, posteriore verò fœmellas robustiores esse Aristoteles scribit *l. 4. H. A. c. 11.*

PARTIS I. CAPUT XVI.

Elephanti Antipathiam atque Hostes enumerat.

QUemadmodum nihil est ab omni parte beatum, atque omne animal suas patitur manes suosque habet adversarios: ita etiam cum Elephanto, utut maximo & formidabili bruto comparatum est, siquidem subinde suos habet Antagonistas, ut taceam venatores ipsi insidiantes: nam secundum Lucanum, nec tutus spatiô est Elephas, id est, magnitudine & vastitare corporis: & secundum illum sarcasmum Imperatori Maximino olim in ludo scenico objectum, referente Matth. Dressero in *Isagog. Histor. p. 372.* verum est: qui ab uno non potest occidi, occiditur â multis: Elephas grandis est, & occiditur: Leo fortis est, & occiditur: Tigris crudelis est, & occiditur: Cave multos, si singulos non times. Inimicitias enim alit cum Rhinocerc, leonibus, tigridibus, arietibus, porcis, serpentibus, muribus & draconibus: cum aliis etiam rebus singularem habet antipathiam, præsertim cum quibusdam coloribus & igne.

Timere naturali ductu Hominem supra ex Plinio diximus: imprimis valdè formidat insidias hominis, quando catulos habet. Vid. W. Frantz. *Histor. an. p. 1. c. 4.* Elephas fertur vestigiô hominis animadversô prius quam homine, contre-



Fol. 121. Jacob Petrus Sculps. Erffurti

tremiſcere inſidiarum metu, ſubſiſtere ac olfaciendo circumſpectare, (hoſtem enim ſuum olfactu animadvertere dicitur,) iras proflare, nec ceſpitem, in quo veſtigium obſervatum, pedibus calcare, ſed erutum proximo tradere, illum ſequenti, donec ad omnes pervenerit: & tunc agmen circumagitur aciesque dirigitur: adeò odorantur omnes illud virus ne nudorum quidem pedum, ut ſcribit Plinius *H. N. l. 8. c. 10.*

Inter ipſius hoſtes prima occupat ſubſellia Rhinoceros, qui ſecundnm Martialem nunquam victus ab hoſte redit, de quo Plinius *H. N. l. 8. c. 20.* ita ſcribit: in ludis Pompeji Magni viſus eſt Rhinoceros, alter hic genitus hoſtis Elephanto cornu ad ſaxa limatô præparat ſe pugnæ in dimicatione alvum maximè petens, quam ſcit eſſe molliorem, eâque perfoſſa facilè ſuperat Elephantum: longitudo ei par, crura longè breviora, color buxeus: reperitur in provincia Suchuen, juxta oppidum Po dictum hoc animal, ut & aliis locis, geritque internecinum diſſidium cum Elephanto maximasque inimicitias, quâ de re H. Cardanus *ſubtil. l. 10.* hæc ſcribit: Hic eſt Indicus taurus corpus habens Elephanti fermè magnitudine, crura breviora, colorem buxeum: totus teſtis quibusdam in modum clypei armatus eſt â Natura: in naris extremo juxta nominis ſui ſignificatum cornu gerit palmi longitudine & paulò majus, durisſimum, firmisſimum, rectum, atque præacutum, ſed quod verſus frontem torquetur, quodque pugnaturus in ſaxo exacuit: ſunt & quidam ex his, qui aliud exiguum cornu habent in tergore.

Referunt Anno Salutis 1513. delatum unum ad Luſitaniæ Regem calendis Maji, quem Rex poſt biennium Ulyſſiponæ in ſpectaculo cum Elephanto pugnantem exhibuit populo, in quo certamine vicit Rhinoceros: adeò nihil natura voluit omninò ab incommodis eſſe tutum; nam Elephantum hic ſolus exagitat: dicunt quidam & ſerpentem: ſed ſocietas Elephantum reddit ab utroque tutum, nec periculo ſubjacet, niſi cum causâ aliquâ â grege ſuo disjungitur. Rhinocerotem Pauſanias vidit, agnovit & Plinius, non tamen Ariſtoteles. Hactenus Cardanus.

Damianus â Goes in encomio Hiſpaniæ ſcribit: Certamini unius Elephanti cum Rhinocerote interfui: ſpectaculum erat admiratione dignum, in quo Elephas ſuccubuit. Jovius verò in elogio Triſtani Acunii ſic ſcribit: ferunt, Rhinocerotem, cum ab Oceano Ulyſſiponenſi in portu exponeretur, aſpectu atque odore ſuo Elephantum, qui tum erat in Regiâ, usque adeò truculenter terruiſſe, ut Elephas naturæ miraculò præcipui ſui hoſtis conceptô incredibili pavore ſeptum ſuæ caveæ ferreis ingentibus clathris munitum humerorum & capitis præcipiti impulſu perruperit, & in longam ſe proripiens fugam, terribilique barritu editô ſtridens & furens cuncta obvia proſtraverit.

Rhinocerotem non visum in Italia multis jam seculis animal Romam suô tempore devectum scribit Joh. Petrus Maffejus *Histor Indic. l. 5.* ut cum Elephanto commissus, quô cum implacabiles gerit inimicitias, veteris magnificentiæ spectaculum populo Romano repræsentaret: sed qui ab ultimis terrarum terminis in Europam incolumis venerat, ad Ligusticæ demum oræ scopulos factô naufragiô cum impeditus catenis enatare non posset, exoptatâ plebem urbanam oblectatione privavit.

Bellum hoc ἄσπονδον inter has belluas inde creditur oriri, quod Elephas Rhinoceroti pascua præripiat: itaque obviam sibi facti se invicem aggrediuntur ancipiti pugnâ: Rhinoceros durâ pelle quasi loricâ armatus capite inclinatô suô acutissimô cornu Elephanti abdomen petit, eumque sic lethaliter vulneratum superat: interdum autem Elephas Rhinocerotem proboscide comprehensum strangulat & prosternit, suisque cornibus vulgò dentibus interimit: quamvis enim pellis Rhinocerotis eâ sit firmitate, ut ægrè jaculô penetrari queat, tamen tam violentus est Elephanti impetus, ut eam penetret & conficiat. Ælianus *l. c.*

Hanc pugnam eleganter describit Guilielmus Salustius hebdomados *l. 6.* in encomio Elephanti:

> At non vis animi solers, non ossa, nec alti
> Membrorum nodi vafris obsistere possunt
> Fraudibus, & cauti subitis insultibus hostis:
> Hostis Rhinoceros, cui nunquam cæca ministrat
> Arma furor, nec signa movet, quin ante minacem
> Exacuet narem scopulis obnixus acutis:
> Nec tum vana, ferox tergum impenetrabile tentat
> Ictibus, at mollem teli quâ pervius ictus
> Sortitur sub ventre cutem, dein vulnere sævit.

Constat experientiâ teste, Rhinocerotem, licet longitudine Elephanto penè par sit, cruribus tamen multò brevioribus, naturâ armis offensivis & defensivis esse robustissimam belluam, sicut in spectaculis Romanis apparuit: imprimis in Domitiani nummis ejus forma impressa conspicitur, eô quod in theatrum populo Romano eam induxit, quâ de re Martialis ita:

> Præstitit exhibitus totâ tibi Cæsar arenâ
> Quæ non præmisit prælia Rhinoceros:
> O quam terribiles exarsit pronus in iras,
> Quantus erat cornu, ceu pila taurus erat.

Et alibi:

> Sollicitant pavidi dum Rhinocerota Magistri,
> Seque diu magnæ colligit ira feræ:
> Namque gravem durô cornu sic extulit Ursum,
> Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Rhinocerotes omnes mares esse Oppianus scribit, nec unquam fœminam conspici, ideòque fatetur, se ignorare, unde oriantur: ast diversô & ab aliorum animalium distinctô

ſtinctô generationis modò illum generari haut credibile eſt.

Similiter cum Monocerote in arenam deſcendere creditur Elephas: animalis hujus exiſtentiam multi in dubium vocant: non pauci autem ſecus ſentiunt: inter quos Garzias ab Horto *in hiſtor. aromat. l. 1. c. 14.* refert ſequentia: ex Viris fide dignis, inquit, accepi, inter promontorium bonæ ſpei & aliud promontorium vulgò de Currentes nuncupatum vidiſſe ſe affirmabant terreſtre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectetur, quod caput & jubam equi habuerit, (minimè tamen marinum fuiſſe,) cornu præditum duos palmos longô, mobili, quodque nunc in dextram nunc in ſiniſtram obverterit, modò illud attulerit, modo demiſerit: id animal, affirmabant, cum Elephanto ferociter præliari, ejusque cornu adverſus venena laudari. Cum biſoribus ſeu bobus ſylveſtribus & Uris etiam ſæpè dimicare Elephantum Forerus ſcribit.

Aſſiduum cum ſerpentibus certamen Elephantis eſſe ex variis Scriptoribus tradit Pierius Hieroglyph. *l. 2.* Angues in Æthiopia Elephantos profligare, profligatosque dilaniare ſcribit Diodorus Siculus *l. 8. c. 37.* idem *l. 4.* refert, in deſertis locis ſerpentes, qui cum Elephantis propter aquas pugnant, magnitudine numerôque admirabiles eſſe, complicant enim in corpus aſſurgentes annixique viribus Elephantorum crura, connectuntque pluribus ſpiris adeò arctè ſummâque vi, ut ſpumantes beſtias ad caſum compellant: tum concurſu factô beſtias naturâ graves nec facilè mobiles depaſcuntur: omiſſis tandem Elephantis ad aſſuetos revertuntur paſtus: dicunt, hos ſerpentes fugere loca campeſtria, habitare autem inter longas convalles in altis ſpeluncis, nec facilè aſſuetos deſerere locos, naturâ, quod cuique ad tutelam conferat, ſingula animantia docente. Elephantos ad potum venientes, ut Plinius ex Statiô Sebofo tradit in Gange fluviô Indiæ, vermes brachiis binis longiſſimi cœrulei, qui nomen, inquit, à facie traxerunt, mordicus comprehensâ manu eorum abſtrahunt.

Apud Heſperios Æthiopes Leones Elephantorum catulos aggrediuntur, quos cum vulnerarunt, matribus ſupervenientibus aufugiunt, maximè enim timent Elephantos, præſertim irritatos & agminatim congregatos. Vid. Jonſton. *Hiſt. natural. quadruped. p. m. 34.* Tigridem in caput Elephanti inſilire, facilèque eundem ſuffocare, Arrianus author eſt: Tigridis cum tribus Elephantis pugnam abhinc paucis annis exhibuit Rex Siamenſis Legato Regis Galliæ, in quâ una Tigris cum tribus Elephantis acerrimè dimicavit, proboſcidum verò & cornuum robore tandem ſuperata victoriam hoſtibus ceſſit. Canes Elephantos lacerare tradit Plinius *H. N. l. 8. c. 40.* Murem Pharaonis

ſeu Ægyptiacum, qui Ichneumon dicitur, Elephantum etiam invadere ſcribit Petrus Gillius *in deſcript. Elephanti*, ubi de illo hæc habet: nihil eô volucrius, nihil animoſius, ut maxima animalia invadere audeat, v. gr. Equos, camelos, Elephantos, ſerpentes maximos: ut nihil mirum ſit, ſi invadit crocodilum dormientem & oſcitantem. Sylveſtres tauros etiam Elephanto infeſtos eſſe teſtatur Albertus.

Peculiarem etiam antipathiam habet cum ariete. Marti dicatus eſt Aries, præ aliis animalibus frontem habens robuſtam, Dux gregis cornu feriens, atque hôc pacto terrorem Elephanto incutiens. Gryphes cum aliis animalibus certare, contra Leones autem & Elephantos non ſtare ſcribit Ælianus: an autem Gryphes reperiantnr in rerum natura multi dubitant, plurimi negant. Si feritate effertur Elephas, ad arietis conſpectum ſtatim pertimeſcit, manſueſcit & miteſcit. Joh. Ruellius *de nat. ſtirp. l. 1. cap. 22.* Hôc ſtratagemate uſi ſunt Romani. qui adductis arietibus Pyrrhi Regis Epirotarum Elephantos in fugam verterunt, victoriamque reportarunt teſte Volaterranô. Alii rerum naturalium ſcriptores aſſerunt, Elephantos nihil magis domare, quam agnos, quos pariter fugiunt: & ſic vincit

Agni manſueti virtus, Elephasque ſuperbus
Agnô conſpectô deſinit eſſe ferox.

Vid. *Emblem. mor.* Joh. de Boria *p. 187.*

Maximè horrent hircum, quô conſpectô ob naturæ & morum disſidium, procul dubio etiam fœtorem ſtatim aufugiunt, ut & Ceraſtem ſeu ſerpentem cornigerum: item porcum, cujus minimô ſtridore & grunnitu terrentur, territique retrocedunt. Elephantos porcina vox terret, inquit Seneca *lib. de ira*: imò recens natorum porcellorum clamor illis terrorem incutit, non ſecus ac generoſioribus equis, præſertim Scythicis ruditus aſinorum, quemadmodum horrent: & hoc fit non tam ob metum, quam odium porcorum, quod enim oderunt, eôdem terrentur, imprimis ob abſonum vocis acumen. Plura de his vide apud Plinium, *l. c.* Ælianum *H. A. l. 16. c. 36.* ut & Strabonem & Ruellium.

Hujus rei memorabile exemplum habetur in rebus geſtis Megarenſium: cum enim Antipater magnum numerum Elephantorum armatis militibus inſtructiſſimorum contra ipſos duxiſſet, ipſi integrum gregem porcorum incensâ pice oblitorum Elephantis oppoſuere: cum igirur in mediâ pugnâ porci vehementer percuſſi, & igne flagrantes valdè grunnirent, & diſcurrerent, totum agmen Elephantorum cum inſidentibus militibus in fugam verſum eſt. Nihil enim Elephanto magis infeſtum eſt, quam ſus, Vid. Scaliger *exercitation. 199. 6.* Verum allegatis Authoribus contradicit Garzias ab Horto *Hiſtor. aromat. l. 1. cap. 14.* imprimis reprehendens

hendens Plinium, quod Elephantos minimô suis stridore terreri & retrocedere scripserit *l. 8. cap. 9.* nam plerumque inquit, sues Elephantorum stabula ingrediuntur, nec eis terrentur, aut eorum præsentiâ commoventur, sed & in sylvis Malavar multas sues cùm Elephantis versari certum est.

Extremô odio prosequuntur mures, quos valdè horrent, fastidiuntque ob fracidum odorem, nunquam ex præsepio capientes alimentum à mure attactum: Sic sæpè excelsos animos fatigat parvus hostis: eapropter illi, qui præsunt Elephantis, feles alere solent in stabulis: quod confirmat S. Majolus *dier. canicular. colloqu. 7.* scribens: ubi degit Elephas, semper contubernalem cattum habet: hinc nata fortè proverbialis locutio: Elephas non captat murem, â quo scilicet vehementer abhorret: causam credit Keckermannus *t. 2. Syst.* in eò positam esse, quod mus sit mucidi odoris, dum nempe in parietum foraminibus & terræ cavernis delitescit, cum liberè ipsi super terram vivere non liceat, contra verò Elephas animal sit exquisiti odoris, quod nullum ferre potest fœtorem, sed maximè delectetur rebus fragrantibus: hinc fit, ut Elephas â mure tanquam fœtido animali abhorreat, adeò ut pabulum â mure tactum comedere recuset, nec degustet: odorem itaque muris maximè fugit, illiusque aspectu terretur & fugatur: fœtidus enim muris odor facilè afficit emunctas Elephanti nares: sagacissimè enim odoratur cùm propter nobile temperamentum, quô præditus est, tum propter promuscidem, quam habet prælongam. Vid. Alsted. *Encyclop. l. 7. Phys. p. 6. c. 5.*

Alii putant, Elephantum tam pusillum animal contemnere, prorsus negligere & vilipendere: hinc natum proverbium: Ἐλέφας μῦν οὐχ ἁλίσκει: Elephas non capit murem: siquidem generosus & excelsus animus aversatur prædas viles & lucella minuta, nec offenditur injuriis tenuium, ut Erasmus loquitur: sed mirum est, tam parvum animal timere Elephantos, quorum aspectum vix Leones ferunt, sed aufugiunt, teste Forerô im Thier-Buch *de Elephanto p. m. 77.* hinc rectè S. Basilius inquit: Non magis admiror Elephantum ob magnitudinem, quam murem qui horrendus est Elephanto. Ægyptii vero hominem in amplâ dignitate constitutum, qui tamen nullâ decori ratione habitâ vilissima quæque sectaretur, adumbrare volentes, hieroglyphicum Elephanti, qui mures venaretur, proponebant, teste Pieriô *Hieroglyph. l. 2.* Indignus sanè tam vasta mole labor.

Mirum, quod Elephas conspectis vilissimis animalculis, mure videlicet & formica ἀντιπαθείᾳ quadam occultâ non solum omnem ferociam & vigorem amittit, sed metu & formidine valdopere trepidare & exhorrescere solet, scribit Philippus Camerarius *centur. 1. hor. subcisiv. p. m. 133.* Documentum sanè insigne,

quam

quam citô sublimia & elata omnia concidant, & minimâ levissimâque interveniente occasione in nihilum redigantur. Si Elephanti senserint mures in suis stabulis latere, nunquam nisi contortâ in se & convolutâ promuscide dormient, veriti, ne eam mures aggrediantur & mordeant: eâdem planè ratione formicas abhorrent. Vid. Garz. ab Horto *histor. aromat. l. 1. c. 14.* talia minuta enim animalia satis haberent spatii in proboscidem irrependi, pulmones intrandi, infarciendi & sic spiritum præcludendi.

Galli gallinacei cantum etiam valdè formidat Elephas & Leo, quorum animalium patulas aures vox ejus acuta nimium ferit: sic etiam campanarum sonitum stentoreasque voces non omnes canes perferre possunt. Pavent propterea etiam formicas, quia verentur, ne irrepentes proboscidem titillando molestias creent. Datur palustris culex, Græcis ἐμπὶς dictus, Elephanto gravis, qui in illius umbilicum penetrat, eumque irritat.

De Draconum & Elephantorum pugna ita scribit Plinius *H. N. l. 8. c. 11. & 12.* India fert Elephantos, bellantesque cum eis perpetuâ discordiâ Dracones ingentis magnitudinis sæpè 20. cubitos longitudine æquantes, ut ipsos facili circumflexu fasciatim ambiant, nexuque nodosô perstringant: commoriuntur utrinque dimicantes, victorque corruens complexum elidit pondere, quâ de re Rhumelius:

> Sternitur ipse Elephas complexu arctante Draconis,
> Exitiumque Draco more ruentis habet:
> Victorem & victum stulta est victoria tollens:
> Ambitionis opus, non rationis erit.

Mira animalium horum solertia est: Draco ad pabulum intentus proceræ arbori se applicat atque ab hâc in Elephantum insilit: scit Elephas imparem sibi luctam contra nexûs: itaque arborum aut rupium attritum quærit: cavent hoc Dracones, ob idque gressus impediunt caudâ: resolvunt illi nodos proboscide: at hi juxta hanc caput condunt, pariterque spiritus præcludunt, & mollissimas lancinant partes: in adversos Elephantos se erigunt Dracones, & maximè illorum oculos petunt: ita fit, ut sæpè cæci, fame & mœroris tabe confecti reperiantur. Circa Meroen reperiri Dracones, quibus cum Elephantis pugna esse solet, refert, Strabo *l. 17.* & Æliano teste Æthiopia gignit Dracones triginta passus longos, qui Elephantorum interfectores nominantur, & ad summam senectutem perveniunt.

Inter serpentes etiam & Elephantos jugis est discordia: insidiæ hôc astu præparantur: Serpentes propter semitas delitescunt, per quas Elephanti adsuetis callibus evagantur, atque ita prætermissis prioribus postremos



Fol. 127.   Jacob Petrus Sculpsit Erffurt

ſtremos adoriuntur, ne qui ante-ceſſerint, valeant opitulari, ac primum pedes nodis illigant, ut laqueatis cruribus impediant gradiendi facultatem: nam Elephanti niſi præventi hâc ſpirarum morâ vel arboribus ſe vel ſaxis applicant, ut pondere nitibundô attritos necent angues: dimicationis præcipua cauſa eſt, quod Elephantis, ut ajunt, frigidior eſt ſanguis, & ob id à Draconibus avidiſſimè torrente capiantur æſtu: denique nunquam invadunt niſi potu gravatos, ut venis magis irrigatis majorem ſumant de oppreſſis ſatietatem: nec aliud magis quam oculos petunt, quos ſolos expugnabiles ſciunt, vel interiora aurium, quod is tantum locus defendi non poteſt proboſcide: itaque cum ebiberint ſanguinem, dum ruunt belluæ, Dracones obruuntur: ſic utrinque fuſus cruor terram imbuit, fitque pigmentum, quod tingere creditur inſtar minii aut cinnabaris. Vid. Solinus *cap. 38.* Sæpè Dracones Elephantinô ſanguine inebriati disrumpuntur. Vid. W. Frantz. *hiſt. an. p. 1. cap. 4.*

Draconem ſuâ caudâ Elephantum proſternere tradit Plinius *l. 8. cap. 11.* Solinus *cap. 38. & 65.* Diodorus Siculus *l. 4.* Ælianus *l. 1. c. 43.* Quemadmodum autem Dracones ſanguinem Elephantorum exſugentes occidunt eos, & ipſi viciſſim eorum ſanguine inebriati opprimuntur & commoriuntur; ita ſæpenumero in bello pars utraque & perimit & perimitur. Vid. Sim. Majol. *dier. canicular. col. 2. p. 321.* Mirum autem non eſt, Draconem omnium maximam belluam viribus & aſtu tam dextrè opprimere poſſe, cum ſi non proceritate, attamen longitudine eam longè vincat.

Maximus Tyrius tradit, apud Indos Alexandri tempore Draconem fuiſſe, (quod omnem ferè fidem ſuperat,) quinque jugerum magnitudine, cui boves & oves in cibum Indi miniſtraverint: & trita eſt hiſtoria apud Livium de ſerpente, cum quo Regulus veluti cum hoſte acie conflixit, vixque machinis ingentes lapides ejaculantibus non absque ſtrage militum dorſum ejus confractum eumque occiſum eſſe. Vid. Philipp. Camerar. *Oper. ſubciſiv. centur. 2. p. m. 377.* Dari Dracones aquaticos Leyelus refert, qui Elephantos flumina tranſeuntes complectuntur, pedesque eorum ſpiris ſuis multiplicibus implicant, ut quaſi ligati cadere cogantur: obnititur autem Elephas, & proboſcide ſuâ pedibusque nodos divellere conatur: id quando ipſi ſuccedit, Draconem proboſcide circumvolutum necat & abjicit: addit idem Author, viſum fuiſſe talem Elephantum vincentem, qui anguem ducentarum librarum hôc pactô enectum magnô intervallô ex flumine in ripam tanquam lapidem è funda ejaculatus fuerit: paucis, quod ſciam, notatum, quod Elephas inſtar amphibii proboſcide ſuper undam elevatâ flumina permeet: cum enim ob molem corpo-

ris natare non possit, undis immersus & quasi invisibilis factus in fundo alvei ad oppositum litus ambulat, hâcque ratione facilè ab ejusmodi monstro corripi potest.

Angues in Æthiopia Elephantos profligare, profligatosque dilaniare tradit Diod.Siculus *l.8.c.37.* Inter serpentum genera autem Dracones ii vocantur, qui corpore sunt immaniore, & vastiore magnitudine, de quibus proverbium:

ὄφις εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται,

id est:

Anguis nisi anguem comedat, non fiet Draco.

Hanc Draconis cum Elephanto pugnam apud Pierium Valerianum in *collectan. hieroglyph. l. 2. p. m. 51.* egregiè descriptam legimus sequenti modo: ab altis scilicet arborum ramis Elephantum velut ex insidiis & excubiis moratus Draco

Totas observat luces, dum bellua gressum
Hûc inopina ferat: ramis tum præpes ab illis
Desilit, & circum sinuosa volumina fundens
Nodosis Elephanta modis & nexibus angit,
Nuda cui laxare sinus & vincla potestas:
Ergò amens Elephas trunco rupique propinquat,
Sic illisurus sævum quem longius hostem
Si ferat, extremos gemitus effundit in auras:
Protinus exsolvit nodos, & corpore lapsus
Crure Draco spiris asper sic implicat arctis,
Ferre ut is alterius nequeat præ compede gressum:
Dum nodos Elephas pugnat laxare tenaces
Vana fremens, adhibetque manum, simul impius anguis
Inserit os ori, penitusque illapsus in altum
Spirantes animæ caulas atque ostia claudit:
Atqui Cadmæo similis fortuna triumpho:
Nam submissus humum vitâ fugiente petescens
Immani Barrus Victorem pondere frangit:
Mutua causa necis, &c.

& sic Elephas

Contemnit mortem, qui non moriturus inultus
Una etiam est hostis certa ruina sui.

per quam pugnam miseriam bellorum civilium hieroglyphicè adumbrat Poëtarum Gallorum facilè princeps, in nobili Poëmate quod hebdomas ab ipso dicitur.

Apud Indos graves inter se gerunt inimicitias Draco & Elephantus: Dracones haut inscii ex arboribus ramos decerpere Elephantos in suum pastum solere, in has arbores primò serpunt, postea sui corporis dimidiam partem, quæ ad caudam pertinet, arborum foliis circumtegunt, alteram & anteriorem partem funiculi instar appensam demittunt: eô cum accessit Elephantus ad arborum cacumina colligen-

ligenda, Draco in hujus oculos insiliens illos effodit; & tandem constrictum tenens inusitatô & novô quodam laqueô strangulat. Ælianus *l. c.* Variam hujus dimicationis historiam apud plures Authores reperire licet. Secundum Plinium Dracones Elephantis insidiantes ad amnes se conferunt, ubi in bibentium aures morsum defigunt, gnari illas non posse proboscide defendi.

Taprobana maxima Indorum Insula Elephantos alit & serpentes, qui omnium aliorum serpentum naturam superant: hi Elephantos aggressi pedes eorum suis implicant spiris, & in terram dejectos vorant, sæpè tamen pondere illorum obruti commoriuntur; in horum Draconum capitibus pretiosissimos lapides reperiri fama est: & hi etiam morsu imprimis adoriuntur Elephantorum aures, quas ab Elephanto malè posse defendi norunt: resolvunt Elephanti in hac pugna Draconum nodos seu spiras proboscide: sæpè Draco petit oculos, ex quo fit, ut occæcati Elephanti plerumque fame contabescant.

Paulò aliter hanc pugnam describit Philo Judæus libro *de incorruptibil. Mund. p. m. 744.* inquiens: De Draconibus Indiæ referunt, subrepere illos Elephantis vastis belluis, ac terga ventremque totum nexu obvolvere, moxque aliquâ venâ apertâ bibere sanguinem exsugendo & absorbendo avidè: illos verò aliquantisper resistere subsultareque anxios, & latera pulsare promuscide, si quo modo queant Draconum vim depellere, sed deficiente vitali spiritu non posse salire diu, stare tantum & cutem concutere: paulò post deficientibus etiam cruribus exhalare animam: quibus collapsis etiam interemptores eorum una perire in hunc modum. Dracones absumptô alimentô conantur illos suos nexûs dissolvere, & expedire se cupiunt: sed Elephantorum pondere premuntur graviter, præsertim quoties inciderunt in terram saxosam & solidam: torquentes enim se & nihil non tentantes, ut dissolvantur, nihil proficiunt tantâ mole tardante: donec post multos conatus irritos destituuntur viribus, & velut rupis parietisque ruina occupati ne caput quidem valent attollere, atque ita suffocati pereunt.

SanguinemDraconis in hâc pugna effusum, â terrâ absorptum, & cum sanguine Elephantorum sic vulneratorum & commorientium confusum veteres pro miniô nativo habuere, ut scribit Excell. Dn. D. Joh. Dan. Major *in dissertat. de usu & abusu Mercurii.* Cinnabarim Indicam vocat Libavius *Synt. Chym. l. 7. c. 15.* Michael Majerus in Viatoriô hanc pugnam describit sequenti modo: Elephantis internecinum hostem se offert Draco prægrandis: hic ut tam vastæ belluæ, cui viribus longè impar est, damnum inferat, non audens apertô Marte cum eâ confligere, rem ex insidiis aggreditur hôc

modô; obſervat, quâ viâ Elephas ab aquatu rediturus ſit, eandem, ubi arctior eſt, præoccupat, ſeſeque in inferiore locô abſcondit, donec Elephas aquâ ingurgitatâ prætumidus accedat, cujus pedibus nexus & gyros ſuô corpore ſinuoſo injiciens ſanguinem libat & haurit: tandem ubi viribus defecit Elephas, Draconem circum ſe in nodum reflexum, jam cruore ſaturatum, deque victoriâ contra hoſtem obtentâ ſecurum, ſuô pondere in terram corruens, ipſa morte vindictam ſumens conterit & exſtinguit, omni regurgitante & effuſo ſanguine, qui poſt Draconis, (licet potior pars Elephanti ſit,) dicitur, ad medicinam aliasque neceſſitates hominum non inutilis.

An autem hic Draconis ſanguis in officinis pharmaceuticis ſit ſemper reperibilis, dubitare licet: officinalis enim Draconis ſanguis nihil aliud eſt, quam gummi ex Regione thuriferâ & Atlantici maris S. Portus Inſulâ, qui inſperſus vulneribus hæmorrhagiam ſiſtit, nonnullis Cinnabaris Indica dictus: eſt inſtar ſanguinis rubens lachryma, quam nec Dioſcoridem, nec Theophraſtum aut ipſum Plinium exactè cognoviſſe certum eſt: id quod & Aloyſius Luſitanorum Nauclerus in ſua navigatione cap. 4. confirmat, quando ſcribit, incolas Inſulæ St. portus ſtatô anni tempore corticem arboris cujusdam ferrô incidere, unde ſubſequente annô gummi ubertim deſtillat, quod in ahenis ad ſanguinis concreti colorem & ſpisſitudinem decoctum, ſanguinem Draconis ob ſimilitudinem appellant: at Joh. Langius *Epiſt. 65.* veretur, ne noſter ſanguis Draconis in pharmacopoliis venalis ſit ſanguis caprinus cum minio vel ſorbis contritis decoctione inſpiſſatus, pictoribus magis quam Medicis uſui futurus.

Antiquitas etiam credidit, Elephantos cum ſerpentibus dimicare, quod apparet ex nummô, cujus meminit Sigonius Libr. Roman. in cujus unâ parte videtur imago Elephanti, & ſub hujus pedibus anguis.

Canes Elephantos lacerare refert Plinius *H. N. l. 8. c. 40.* Legimus, petenti Indiam Alexandro M. à Rege Albaniæ duos canes miſſos, quorum alter apros & urſos ſibi oblatos usque adeò ſprevit, ut quaſi offenſus, degeneri prædâ ignavo ſimilis diu accubaret, quem per ignorantiam velut inertem Alexander occidi imperavit: alter verò monitu eorum, qui donum proſecuti fuerant, Leonem admiſſum necavit: mox viſô Elephantô notabiliter exultans, belluam primum aſtu fatigavit, deinde cum maximo ſpectantium ſtupore terræ affixit: hi canes ex Tigride & cane nati putantur, invictæ virtutis & roboris admirandi. Vid. Philipp. Camerar. *hor. ſucciſiv. Centur. 1. cap. 24.*

Pugnant præterea inter ſe vehementer, ut tradit Ariſtoteles *l. 9. H. A. cap. 1.* & alter alterum cornu ferit; victus præ nimiô pudore vocem fugit



Fol. 131. Jacob Petrus Sculpsit Erffurth

git victoris, terram ac verbenas porrigens: herbam verò à victo porrigi, vel proverbiô constat. Rex Indorum quotannis destinat diem unum cum hominum tum bestiarum certaminibus: committuntur autem pugnaturæ & aliæ bestiæ, quemadmodum etiam Elephanti: hi ad certamen ut incendantur, proboscide suâ se sponte verberant. Vid. Ælian. Crudele est spectaculum, quando Elephanti veluti monomachiâ præliantur: siquidem non modo cornibus singuli suum adversarium impetere student, & magno interdum impetu collisis capitibus concurrunt, adeò ut sæpè alteruter eorum capite confractô prosternatur. Vid. Garz. ab Hort. *histor. aromat. l.1.c.14.* Dimicant inter se collisis cornibus & implicata proboscide tamdiu, donec unus cadat in planitiem. Pulchrum spectaculum erat, scribit Polybius *lib. 5.* Belluæ ipsæ bellicæ totis viribus inter se erant decertantes, & cum impetu aliæ in alias irruentes: nam Elephanti ferè hoc modo inter se pugnant, complexi invicem, dentibus seu cornibus commissis, quantâ maxima vi pollent, in eodem vestigio connituntur, de statione dimicantes, donec victor tandem alter evadat, & alterius proboscidem impulsu suô dimoveat: ubi verò semel inclinatæ bestiæ latus patet, cornibus victor infligit vulnera: nonnunquam in hoc certamine tanta fit cornuum collisio, ut prorsus diffringantur. Libyci verò Elephanti neque odorem neque barritum ferunt Indicorum; sed cum magnitudine, tum robore illorum perterriti, properè antequam appropinquent, aufugiunt. Eorum pugnam in Circo primum dedisse Cnejum Pompejum refert Asconius Pedianus *in Pison. p. 166.*

Indicum Elephantum Afri pavent, nec contueri audent: nam & major Indis magnitudo est. Vid. Plin. *H. N. l.8. c.9.* In magni Mogolis Regno aliquando ad nutum Regis quadraginta Elephantos tam acriter inter se dimicasse constat, ut opus fuerit, pyrobolis objectis & ardentibus tædis illos disjungere, & sic pugnam discernere.

In Imperio Magni Tartarorum Chami dimicant cum equis sylvestribus, quos proboscide circa collum apprehensos strangulant & prosternunt. Vid. Theodor. de Bry *part. 11. Ind. Or. fig. 5.* Ibidem magnam dari copiam Elephantorum ferorum viatoribus insidiantium, quos noctu ingenti accensa pyrâ abigere solent, delineat idem fig. 6.

Ostensô & aspersô sanguine, quô in bello excitari solent, ut scribit Lemnius *in similitud. parabol. bibl. c.35.* ut & succô mororum in furorem & rabiem animari Elephantum referunt, cujus rei memorabile exemplum liber primus Maccabæorum *cap. 6. v. 34.* præbet: Rex Antiochus centum millia peditum & viginti millia equitum cum triginta duobus Elephantis ad prælia institutis

contra Judæos produxit in aciem: Elephantis autem ſanguineus uvarum & morotum liquor oſtendebatur, ut magis irritarentur ad prælium: hujus rei cauſam eſſe ſcribit J. Sperling. *in Zoologia Phyſica pag.167.* ſympathiam inter ſanguinem & colorem rubrum, cum ſimile moveat ſimile, & rubrarum rerum intuitu ruber agitetur ſanguis, quô agitatô ſpiritus commoveantur, & ira excitetur: hinc aſpectu coloris ſanguinei, puta purpurei & rubicundi, valdè excandeſcunt: (fortasſis etiam hauſerunt Elephanti imperante Rege vinum rubrum, quo videlicet apprimè delectantur,): aſpectu rerum rubrarum etiam alia animalia, videlicet tauri, galli Indici &c. non ſoli Elephanti afficiuntur: hinc venatores Elephantos captaturi omnem operam perdunt, ſi in rubris veſtibus conſpiciantur.

Sic jure meritoque *Inſtitut. lib. 4. cap. 1.* furti tenetur, qui rubro panno turbatum armentum fugaverit: nempè ut in fures incidat. Imprimis autem pugnaces feræ intuitu rerum rubrarum commoventur: ſic in Hiſpania bey dem Stier-Gefechte illi, qui cum tauris in ſpectaculis dimicant, rubris tunicis induti in arenam proſilire conſueverunt, quaſi ita illos magis irritaturi: ejusmodi objectis rubris agitari & commoveri ſanguinem paſſim receptum eſt apud Medicos, qui hanc ob cauſam in ſanguinis ſputo, hæmorrhagia narium aliisque ſanguinis profuſionibus communiter vetant ipſum ſanguinem aliasque res rubras intueri, & ad cærulea & nigra potius jubent oculos convertere: contra morbillis laborantes præcipiunt rubris indumentis operiri, & cubilis in quo decumbunt, parietes rubris tapetibus tegi: in illis quidem timentes, ne ſanguis amplius agitatus erumpat: in his ſperantes fore, ut ita abundantius exanthemata ad cutem emergant: ſubſcribit Galenus *Lib. de ſubfiguratione Empirica* inquiens: calor rubeus ſanguinem exſpuentes irritat, in reliquis verò pasſionibus & ſymptomatibus ipſa experientiâ atteſtante planè inutilis eſt: cauſa eſt ſpirituum agitatio, ut ſupra dictum. Franciſcus Valleſius *de Sacra Philoſophia cap. 82.* ſcribit, ſe noviſſe quendam, qui oculos in objectum rubrum aliquantiſper attentius conjiciens non aliter totô vultu afficiebatur, ac ſi vinô æſtuaret, aut eryſipelate corriperetur: id verò cum non æquè accidit omnibus, conſtat in illis magis contingere, in quibus cum ſanguine ſpiritus ſunt magis agiliores: ſic qui ophthalmiâ aut ſuffuſione cruenta laborant, ſplendoris rubri conſpectu plurimum læduntur.

Nec ſplendidis atque albis indumentis veſtiri debent, qui ad Elephantos appropinqnant: cum conſtet, etiam hujusmodi colore has beſtias efferari: idem habet Plutarchus libro de Alexandri fortuna ſcribens, tauros phœniceis irritari, Elephan-

phantos verò albis efferari coloribus, ut Cœlius etiam observavit: inter colores itaque puniceum imprimis & candidum refugiunt.

Ignem conspectum adeò expavescunt, ut eo territi â fuga revocari non queant: quâ re ab iis non cognitâ, qui alicujus Elephanti curam gerebant Romæ, in cujus dorso turriculam construxerant, eô die, quô Julianus Medices Pontificis Max. frater uxorem ê Gallia duxit, in magno vitæ discrimine versati sunt: nam ubi bellica tormenta ignem eructantia conspexisset, magnumque & terrificum sonum audivisset, tam præcipiti fugæ se dedit, ut non cohiberi potuerit, donec unà cum conclusis in turriculâ hominibus in Tiberim se proripuerit. A. Matthiolus *comment. in l. 2. Dioscoridis cap.* 50. adeò enim pavet hoc animal ignem, ut nulla â re alia magis terreatur: ob id viso igne statim fugam capit, nec gradum revocat: id docuit Livius exemplo Elephantorum Hannibalis, qui in Capuana obsidione in fugam versi sunt per ignem: tantopere enim consternantur, ut nullà ratione adduci possint, ut gradum sistant: ardentibus facibus eos facilè in fugam agi, Vartomannus author est.

Admodum pavent explosa tormenta bellica, præsertim primâ vice illa audientes, tandem autem assuefacti minus terrentur, ut scribit Joh. Hugo de Linschoten *p.* 4. *Ind. Or. cap.* 2. Tubarum clangor, armorum strepitus, venatorum clamor & ululatus, faces accensæ, torres igniti in ipsos ejaculati illos vehementer perterrefaciunt, undè adeò sæpè impelluntur, ut interdum in foveas, quas ante declinabant, illabantur: in fugam acti incensis sylvis ab eâ cohibentur, obvia tamen quæque, v. gr. arbores, dumeta & similia prosternunt, per quæ tanquam per segetes transcurrunt, eaque tanquam spicarum calamos perfringunt. Elephantorum vi magnâ propulsorum, quos flammis injectis undique vexatos, jam corporibus tactis retrorsum gradientes Magistri retinere non poterant, mentionem facit A. Marcellinus *lib.* 19. Igne enim injectô turribus crematis amplius in acie stare non possunt, sed fugâ se proripiunt, sæpè in suos conversi: quo in casu fabrili scalprô juxta aures adactô à propriis Rectoribus Asdrubalis invento necabantur. *Oros. l.* 4. *cap.* 18.

Memorabilem historiam hâc de re recenset Joh. Bapt. Tavernier in relatione de Regno Tunquin *cap.* 11. Modernus Indiarum Rex, aliàs magnus Mogol obsidione cinxerat urbem Daman ad Lusitanos pertinentem cum 60000. armatis & 80. Elephantis: qui urbi præerat Gubernator, vir fortis, cum videret, se tanto exercitui esse imparem, non solum armis, quantum possibile, urbem masculè defendit, sed præterea sequenti usus est stratagemate: mediâ nocte cum equitibus & peditibus, quorum singuli hastam gestabant,

bant, ad cujus cuſpidem alligata erat combuſtibilis materia, ex urbe egreditur ad hoſtium caſtra: cumque ad Elephantos ventum eſſet, ſine mora haſtas incendi juſſit; ſucceſſit negotium: nam Elephanti igne territi non amplius regi poterant, ſed in fugam verſi irruebant in ipſos Indos, quos gladiis ad proboſcides alligatis trucidabant, & quoscunque obvios ut & ipſa territoria pedibus proterebant: nec minus Luſitani hoſtilem exercitum undiquaque adoriebantur, quem à beſtiis in confuſionem redactum facilè ſuperabant cæſis hoſtium 20. millibus & opimis ſpoliis reportatis.

Cum in bello contra Epirotas primô concurſu Pyrrhi milites Romanorum impreſſione trepidarent, circumſpectantesque fugam bellô cedere molirentur, Pyrrhus Elephantos ex ſubſidiis juſſit induci: Romani aſſueti jam pugnare cum belluis, cum malleolos ſtupâ involutos ac pice oblitos, uncis inſuper atque aculeis tenaces præparaviſſent, eosque inflammatos in terga belluarum turresque vibraſſent, non difficulter furentes ardentesque beſtias in eorum excidia, quorum ſubſidia fuerant, retorſerunt. Vid. Johann. Cuſpinian. *in commentar. in Conſul. p. m. 155.* Dantur tamen Elephanti à teneris igni aſſuefacti, ita ut nec pyrobolos in ſe conjectos curent: ſed vix inter ducentos 15. vel 20. deprehendas tam generoſos, qui viſis flammis non percellantur, ut ſcribit J. B. Tavernier *in Relat. de Regno Tunquin cap. 11.*

Cum Indis & Libyæ incolis in venatione pugnant ſequenti modô: in primâ acie collocant imbelles, ſeniô confectos, & quibus cornua mutilata ſunt: quos ut levis armaturæ milites pro ſuſtinendô primô impetu præmittunt, quaſi eos non magni æſtimantes: his laborantibus & in pugnâ deficientibus opem ferunt robuſtiores: victi & in fugam verſi ſervant ordinem & fidem, ſociosque nunquam deſtituunt: majores natu & validiores vulneratos, debiles, feſſos & grandævos cum fæmellis & catulis in medium agmen recipiunt, ſibi aſſociant, eosque pro virili defendunt. Fœminæ communiter maſculis ſunt pavidiores.

In ſpectaculis olim cum hominibus Elephantos dimicaſſe conſtat: celebris eſt unius Romani militis pugna adverſus Elephantum, cum Hannibal captivos inter ſe dimicare coegiſſet: nam unum qui ſuperarat, objecit Elephanto, qui dimitti pactus, ſi Elephantum interemiſſet, ſolus in arena congreſſus cum magno Pœnorum dolore beſtiam confecit: Hannibal cum famam hujus dimicationis contemtum allaturam belluis intelligeret, equites ſubmiſit, qui abeuntem interficerent.

Primò omnium Romæ pugnaſſe Elephantos tradit Feneſtella in Circo Claudii Pulchri ædilitate Curuli, M. Antoniô, A. Poſthumô Coſſ. Anno U. C. 655. Item poſt annos 20. Lucullorum ædilitate Curuli adverſus

Tauros, de quâ pugnâ Martialis hæc habet:

> Qui modô per totam flammis ſtimulatus arenam
> Suſtulerat raptas Taurus in aſtra pilas,
> Occubuit tandem cornutô ardore petitus
> Dum facilem tolli ſic Elephanta putat.

cum bubalis etiam illos pugnare Albertus Magnus author eſt.

Cn. Pompeji alterô conſulatu in dedicatione templi Veneris Victricis pugnavere in Circo XX. Elephanti, Getulis ex adverſo jaculantibus, mirabili unius dimicatione, qui pedibus confosſis repſit genibus in catervas, arrepta ſcuta jaciens in ſublime, quæ decidentia voluptati ſpectantibus erant in orbem circumacta, velut arte non furore belluæ jacerentur: magnum & in alterô miraculum fuit unô ictu occisô: pilum enim ſub oculo adactum in vitalia capitis penetraverat: pugnaverunt porrò ſub Cæſaris Dictatoris tertio Conſulatu viginti contra quingentos pedites: iterum totidem turriti cum ſexagenis propugnatoribus eôdem quô priores numerô peditum & pari equitum ex adverſo dimicante: poſtea pugnaverunt ſinguli ſub Claudiô & Nerone: quô collimat Auſonius ita canens:

> - - - ut Lucas boves
> Olim reſumtô præferoces præliô
> Fugit juventus Romula. - - -

Ab aquis etiam ſibi metuunt: ideò difficulter ab Hannibale per flumina ducti ſunt, ut Polybius *hiſt. l. 5.* & Livius *hiſtor. l. 21.* teſtantur. Apud Plinium averſis veſtigiis earundem metu Puteolis à navi abivisſe legimus: attamen L. Cœlius Metellus junctis doliis per mare Siculum eos transmiſit, cum naves deeſſent.

Frigoris etiam ſunt impatientisſimi ſecundum Ariſtotelem *H. A. l. 9. cap. 46.* Solin. *cap. 38.* Jonſton. *loc. cit.* imò à frigore enecantur. Sic refert Polybius *hiſtor. l. 3.* Hannibalis Elephantos univerſos, unô exceptô, imbribus ac permiſtâ nive, dum Italiam bello laceſſeret, fuiſſe abſumptos: quâ de re Auguſtinus de Civitate DEI *l. 3. cap. 19.* ita ſcribit: cum Hannibal primo vere in Tuſciam tranſiret, in ſummô Apenino monte correptus frigore & biduo nivibus concluſus cum exercitu obriguit: ubi magnus numerus hominum, jumenta quamplurima & Elephanti penè omnes frigore perierunt. Itaque ut igne vincuntur, ſic frigore moriuntur.

PARTIS I. CAPUT XVII.

De Elephanti Sympathia & Fidelitate diſſerit.

HOmini amicum eſſe Elephantum Cicero *lib. 3. de Natur. Deor.* ſcribit: ubi refert, quosdam in eâ opinione verſari, quandam huic bel-

S

belluæ cum genere humano societatem esse: quod confirmat Philostratus *l.2. de Vitâ Apollonii* inquiens: Elephantum, ubi semel homini assuevit, ab eo omnia pati, ex eoque morum similitudinem in se transferre, neque aliter quam parvum canem ex hominis manu gaudere cibum capere, atque ad se accedentem promuscide complecti, eumque caput intra fauces immittere facilè tamdiu pati, quoad homini libitum fuerit.

Quæ de cujusdam Elephanti erga infantem amore produntur, apud Athenæum & Ælianum legimus: traditur quoque unus amasse quandam fæminam in Ægypto corollas vendentem: ac ne quis vulgariter electam putet, mirè tum eandem gratam fuisse corrivali Aristophani celebri Grammatico: de quo Passeratius in encomio Elephanti habet sequentia:

> Nilus adhûc celebrat miros unius amores,
> Exarsit Phariæ qui percitus igne puellæ.
> Certavitque suis rivalem expellere donis:
> Nam modò collatos trepidanti à plebe quadrantes,
> Poma modò involvit gremiô furtiva reductô:

Idem de Menandro Syracusano hæc habet: gratus erat

> Illi Sicanius florenti ætate Menander:
> Cujus & aspectu præsentis lætus, & alvô,
> Absentis desiderium testatus inani.

Valdoperè amant suos benefactores edulia sibi præbentes, quos proboscide leniter demulcent & complectuntur, & quantum possunt, testantur affectum, id quod Augustæ Vindelicorum aliquoties mihi videre licuit: memorabile hujus rei exemplum refert Ælianus de Indo quodam, qui Elephantum album à teneris aluerat: eoque post cicurationem ad equitationem usus, atque ab ipso redamatus fuerat: Regi Indorum placebat hic Elephas, eumque postulabat sibi donandum ab Indo, qui recusans cum Elephanto in desertum longè dissitum aufugit: Rex hâc de re certior factus fugientem persequi, & comprehensum cum Elephanto adducere satellites jubet: quos advenientes Indus ex abrupta rupe lapidibus excepit, & tamdiu persecutoribus restitit, donec tandem ex alto præcipitatus occumberet. Elephas altore suo sic privatus in aggressores irruit, & plurimis occisis cadaver sui nutritoris asportans & fugam capessens ad tutiora loca se recepit: pariter illos

> - - natale solum dulcedine mirâ
> Ducit & immemores non finit esse sui:

nam ad extera loca ducti dum novo vitæ generi assuescere coguntur, id ægerrimè ferunt, & subindè Patriæ dilectæ memores frequentibus suspiriis & gemitu dolorem suum manifestant, imò hujus acerbitate victi sæpenumerò vitam cum morte commutant.

Singulari amore Rectores suos prosequuntur, injuriarum quoque ipsis illatarum memores, ut hinc optimè

optimè Seneca ſcripſerit, Elephantorum feritatem usque in ſervile obſequium demereri cibum. Sanè à quibusdam aurigas ſuos, qui in certamine ceciderant, ex prælio exemptos, alios ab aliis ſervatos Strabo *Geogr. lib. 15.* author eſt. Caſſiodorus verò *lib. 10. varior.* ſcribit: cum Magiſtri compendia ſua putet alimenta, illum motu corporis â diverſis poſtulare, quod ei porrigat: quod ſi, inquit, aliquis præbere contempſerit poſtulata, veſicæ receptaculô patefactô tantam dicitur alluvionem egerere, ut in ejus penates quidam fluvius videatur intraſſe, contemptum vindicans fœtore. Quidam Cochini militem Magiſtro ſuo obvio cedere renuentem aliquoties flumine merſit; ut Chriſtophorus Acoſta refert.

Porô Indorum Rege vulneribus confectô, Elephantum ſenſim ac leniter multa ſpicula promuſcide retraxiſſe, & ipſum jam malè affectum non prius procubuiſſe, quam ſentiret Regem exſanguem delabi: tum demum, ne corrueret, paulatim ſe demiſiſſe; ut Rex commodius ſe ad ſolum inclinare poſſet, refert Plutarchus *de ſolert. animal.*

Prolem ſuam amat valdoperè, non autem more ſimiarum: nutrit eam, ac fortiter tuetur contra hoſtes: flumina tranſiturus proboſcide elevat catulum, ne ſibi relictus ſuffocetur. Suaves cantus vehementer amat, & Muſica delectatur. Vid. W. Franzi *hiſtor. animal. part. 1. cap. 4.* Ludovic, ab Hornigk Würg-Engel *p. m. 671.* Hinc Ælianus *l. 2. de animal. c. 44.* refert, Elephantum Indicum robore ætatis confirmatum, ſi capiatur, ex feritate ad manſuetudinem ægrè adduci, niſi harmonico ſono: inſtrumento quodam muſico, inquit, (ſcindapſum vocant,) vernaculam cantiunculam ei canunt: is animum attendit, auresque ad audiendum arrigit, & ſuavitate illius demulcetur, ſicque animi incitatio comprimitur: tunc paulatim in appoſitum cibum reſpicit, & à vinculis ſolutus cantu delinitur, nec amplius à manſuetudine ad priſtinos mores deficit, ſed cibo libenter veluti conviva fruitur, nec ullo alio modo efficacius comprimit ferocitatem.

Omnia benè olentia amant, unguentorum & florum odore permulcentur: quapropter ſæpius in prata ad legendos flores aguntur, quorum ſuavitate impenſè delectantur: ipſo enim odoratu flores internoſcentes colligunt, atque etiam hos lectos in calathum inferunt, quem eorum Rector ſuſtinet: hunc poſtquam floribus compleverint, lavatione ſimiliter atque homines lauti gaudent: poſt cujus uſum reverſi eo loco, ubi quaſillum floribns plenum reliquerunt, illum expetunt: quem ſi Rector afferre tardaverit, barritum edunt, neque prius cibum capiunt, quam flores collecti afferantur, quibus allatis ſuum præſepe ornant, ſtabulumque conſpergunt, majorem in cibo capiendo ſuavitatem ſic ſibi com-

comparantes: acutissimo enim odoratu pollent, (id quod forsitan propter nasi longitudinem illis contingit, velut auritis acutius audire,) quo beneficio naturæ etiam venatorum insidias fugiunt, herbâ, quam senserint humanis calcatam vestigiis, evulsâ & ad odorandum admotâ. Cum navibus immittuntur, pons utrinque ramis frondescentibus adornatur ad fallenda hæc animalia; quos cum vident, putant, se per terram iter facere, siquidem illis sic facultas mare videndi adimitur, inviti enim ad naves se conferunt.

Partis I. Caput XVIII.

Elephanti morbos & mortem proponit.

QVæ privativè Elephanto opponuntur, sunt morbi, & quidem difficulter curabiles, illas moles infestantes, ut loqui amat Plinius *H. N. l. 8. c. 1.* suntque diversi, quos tandem presso pede sequitur mors ultima linea rerum. Imprimis autem à frigore & hyeme, cujus secundum Aristotelem *H. A. l. 9. cap. 46.* impatiens est hoc animal, valdè læditur, unde totius corporis inflationem atque profluvium alvi patitur. Remedium est vinum rubellum vel nigrum in bonâ quantitate haustum & illitum, quo etiam plurimi eorum morbi curantur: interdum tamen efferantur vino (nimiô) vel potô vel solum conspectô: hordei autem succo mitigantur, quod ex Plinio & Solino notat Sam. Bochartus Hierozoic. *in præfat.* Præter inflationes & profluvia vix alios morbos sentiunt, ut scribit Nic. Perottus *in Cornu Cop. pag. 693.* Potionem aquæ calidæ & fœnum melle imbutum pro cibo alii commendant.

Morbis ex inflatione sic contractis non possunt excrementa vel alvi vel vesicæ commodè deponere: fluore verò alvi diuturno tentati valdè debilitantur: à plerisque cæteris morbis secundum Plinium *H. N. l. 8. cap. 10.* sunt immunes. Terram edisse illis tabificum est, nisi sæpius mandant & assuefiant. Æstivo tempore calore Solis ingravescente Elephanti more porcorum crasso se immergunt cœno, quo vim caloris depellunt, & postmodum in umbrosis saltibus & speluncis, vel sub arboribus, quæ ramorum frequentiâ eos operiunt, refrigerantur.

Elephanti naturâ melancholici sunt admodum: noctu pavent & insomniis metum incutientibus sæpè divexantur: sed præsens remedium est, si eorum Rectores tergis illorum insideant, semperque eos allo-

alloquantur, ne dormiant. Ob libertatem ademptam sæpè contristantur, imprimis in solitudine constituti: quâ de re pulchrè Johann. Cunr. Rhumelius:

> Venantum insidiis Elephas si captus iniquis,
> Mox gemitu deflet fata dolenda gravi:
> Servitii impatiens luctu deprensus in ipso
> Angitur â questu desinit atque suo.

Interdum adeò in Zelotypiam rapiuntur, ut prorsus efferentur, & tantum non furibundi reddantur, disrumpantque catenas & vincula: cujus mali curatio est, si Rectores eos ducant in agros, & graviter objurgent, ut scribit Garzias ab Horto *hist. arom. l. 1. cap. 14.* Tam effrenati interdum sunt, ut nullis habenis cohiberi posfint: quô fit, ut liberè illis incedere permittatur: verum cùm maximè suis Gubernatoribus pareant, eorumque sermonem intelligant, idcircò tandem verbis facile reguntur. Vid. Andr. Matthiol. *in comment. lib. 2. Dioscorid. cap. 50.* Insanus Elephas & furens ariete conspectô mansuescit secundum Joh. Ruellium *de Nat. stirp. l. 1. c. 22.* hujus cornua horret teste Ælianô: maxime etiam abhorret ab hirco, cerafte & porco.

Chamæleonte cum cibô fortè deglutitô valdè & usque ad internecionem ægrotare solet, contra quod malum antidotum ipsi sunt oleæ sylvestris folia devorata: vid. Joh. Baptist. *Port. Vill. l. 6. c. 9.* Interdum accidit, ut bibens cum aqua hirudinem seu sanguisugam simul hauriat, quô factô cruciatum maximum sentit, & in præsentissimum vitæ conjicitur periculum: quando enim hæc in ipso animæ canali, ut Plinius loqui amat, sedem fixit, intolerabilem inferre solet dolorem: simile ipsi accidit post terræ glebas aut lapides devoratos, quod interdum facere solet: ægrotant, inquit Aristoteles *l. c.* si comedant terram, nisi eâ frequenter utantur: sic enim nihil mali sentiunt. Casp. Reies *in Camp. Elysio jucundarum quæstionum cap. 58. §. 39.* scribit: Elephantos terrâ pro medicamentô, non pro alimento uti: itaque non quâcunque terrâ vescuntur, sed peculiari & lapillis incidendi, detergendi attenuandique virtute præditis, ut naturæ instinctu flatibus & urinæ suppresfioni, quibus malis sunt obnoxii, medeantur, quod etiam affirmat J. C. Scaliger.

Arundinis in fundo stomachi Elephanti, qui magno Mogoli charissimus erat, radicatæ & in folia efflorescentis ex Athanas. Kirchero fit mentio Ephemeridum *N. C. Decad. 3. an. 9. obs. 15. & observ. 109. an. 3. p. 178.* quæ procul dubio animali funesta fuisset, nisi Medicus quidam Europæus cum ingenti Monarchæ lætitia, magnô suo fœnore & cum populi admiratione illam extraxisset brachiô in fauces adactô, belluâ id libenter permittente, & proboscide suâ ori admotâ, quod in stomacho aliquid lateret, monstrante: simile accidit fœminæ loco citato memoratæ, cui

nucleus mali ad longitudinem digiti in ventriculo germinans mortem intulerat, quod post apertionem cadaveris tandem innotuit. Sic in puellâ Wimpinensi pisa intra ventriculum germinantia digiti longitudine suffocationis periculum insigni cum angustia excitasse & tandem vomitu rejecta fuisse legimus in appendice *ad Ann. X. Decur. II. Ephemerid. Med. Physicarum N. C.*

Nonnunquam oculorum affectus patitur Elephas, qui secundum Ælianum curantur lacte vaccino tepido oculis instillato, quo remedio deliniti statim oculos aperiunt, & cum voluptatis sensu Medicinam agnoscunt.

Laboribus nimiis vel itinere defatigatus fricantur oleo, sale & aqua. Si morbum imminere sentiunt, præsertim in novilunio, quando adhuc liberi & sui juris sunt, vivô flumine se purificant, Deorum auxilium implorant, herbas cœlum versus jaciunt, earum internuntiô preces quasi ablegantes. Vid Pier.Val. *l 2.*

Vulnera captorum primô aquâ tepidâ eluuntur: profundiora butyrô non salitô leniuntur, postea suillæ carnis recentis & sanguine madentis admotu inflammatio tollitur secundum Jonstonum: quod remedium etiam ipsorum ulcera curat. Aloe & butyro recenti nonnulli ipsorum vulnera curari scribunt: in venationibus si quis eorum sit vulneratus, cæteri aloes lachrymas vulneribus illinentes tanquam Medici ægrotantibus assistunt, teste Philostratô: sagittas educit velut in cervis & capris sylvestribus dictamni radix & folia cum potu hausta, ut & oleum commune: si spiculum in corpore inest, ejicitur illud oleô haustô secundum Aristotelem *l. c.* Olei potu tela corpori illorum inhærentia decidere invenio, scribit Plinius *l. 8. c. 10.* Mich. Ephesius asserit, ejici quorundam opinione spicula ex corpore potione vini. Sunt qui oleum bibere recusant, iis radix tyrtami, (fortè dictamni,) in vinô datur: sagittas infixas ipsis ejici radice dictamni in vino potâ scribit D. C. Hornius *in Eleph. p. 158.* Cum vel hastâ vel sagittâ ictus est Elephas, oleæ flore vel ipsô olivarum oleo curatur secundum Ælianum. Ulcera secundum Strabonem suillis carnibus foventur: cum humeri dolent, & ab impositis sarcinis attriti sunt, iisdem carnibus appositis & vino rubro, quod in plurimis illorum morbis intrinsecus adhiberi solet, juvantur.

Catarrhis illos laborare, iisque aliquando in lapidem concrescentibus, (cujus iconem exhibet Jonstonus,) proditum: valdoperè heic conducit Nicotianæ fumus canaliculi adminiculo naribus inflatus, quô impensè delectantur. Ulysses Aldrovandus in Appendice ad Histor. Elephanti mentionem facit talis catarrhi in duram substantiam conversi è capite Elephanti destillatione laborantis producti, & in cavitate cornu, (vulgò dentis) excepti cum stillis stiriis non absimilibus.

Sæpè ægrotat Elephas ex animi an-

angore, cujus rei exemplum habet P. Gillius *in descript. Elephanti pag. 9.* de Elephanto, qui Rectoris sui negligentiam ægrè ferens ipsius latus læserat cornibus: ex eo tempore visus mœstior, & cibum vix appetens: id quod videns Gillius prædixit Rectori, id animal esse ex illo genere, quod ex offensione suorum Rectorum ægritudinem contraheret, indeque sæpè mortem sequi: proinde eum, cui minas intentaverat, eique verbis linguæ Indicæ iratus fuerat, quemque jam per triduum non viderat, lætus adiret & consolaretur: Gillii admonitionem Rector humaniter accipiens Elephantum extra urbem exhilarandi causa duxit, sed nimis serò: jam enim morbus conceptus invaluerat, atque in stabulum ad vesperam postquam reductus fuisset, gravius ægrotare cœpit, paulòque post eâ nocte cum magno strepitu cecidit in terram moribundus: per horam ita prostratus jacuit magnis gemitibus dolorem testans, & mox editis mortiferis suspiriis exstinctus est.

Quotannis ferè aguntur in furorem præsertim tempore admissuræ, quando Veneris œstrô sunt perciti, quo tempore nulli obvio parcunt: hinc Aristoteles *l. 6. H. A. cap. 18.* ita scribit: Elephanti ad coitum efferari solent: quamobrem apud Indos iis haut quaquam permitti initum ajunt: libidinis enim rabie agitati casas prosternunt malè conditas, pluraque alia damna inferunt: quapropter arcent eos à coitu, fœminarumque pecuaria separant, quæ haut aliô modô, quam armentorum habent. Vid. Plin. *H. N. l. 8. c. 9.*

Indicium instantis furoris creditur esse pinguis materia ex illorum auribus effluens: medela est â fame verberibus & objurgatione: quamvis contrarium statuat Aristoteles *l. c.* nempe mitigari illos pabuli copiâ, & plagis ab aliis Elephantis inflictis catenisque injectis: Insuper Rectores rationibus demonstrare solent, vilis & abjecti esse animi, ob amorem ita in furias agi: jubent interdum anteriores pedes elevare, plantasque illorum hamulis feriunt, dicentes, sese illos castigare, ut pueros propter stultitiam, ut refert Christophorus Acosta. Fœmellæ compotes quando fiunt, sponte sua statim desinunt furere. Hyemali potissimum tempore copiosa decidente pluviâ in tantum insanire incipiunt, ut vix coerceri possint: hanc ob causam extra vicos catenis ferreis alligantur arboribus illorum crura, apposito tamen pabulo: in hoc statu interdum permanent aliquot menses, imò ab Aprili interdum usque ad Septembrem, quo tempore iterum convalescunt, atque ad frugem & consueta servitia redeunt. Vid. Joh. Hug. â Linschoten *part. 4. Ind. Or. cap. 2.*

Furore correpti per aliquot dies discurrunt prorsus intractabiles à Magistris, quælibet obvia proterentes & prosternentes, hominibus etiam infesti: Idem *loc. cit.* quotannis semel illos in furorem agi, tumque

que nulli obvio parcere Jonſtonus ſcribit. Quâ arte olim Asdrubal Elephantos ſævientes præceperit interficere docet Livius *l.* 27. nempe fabrile ſcalprum cum malleo habebat Elephanti Rector, id ubi ſævire belluæ ac ruere in ſuos cœperant, inter aures poſitum ipſa in compage, quâ jungitur capiti cervix, quanto maximo poterat ictu adigebat: ea celerrima via mortis in tantæ molis bellua inventa erat, ubi regendi ſpem vi viciſſet.

Sub Imperio Cha Gehan moderni Magni Mogolis ſeu Regis in Idoſtan, Aurengzepi Parentis contigit aliquando, ut Cha Gehan cum uno ex filiis & Rectore uni Elephanto inſidens venatum ad ſylvas ſe conferret: in itinere autem Elephas furore correptus nullis minis aut plagis ulterius compeſci poterat: ſed rejectis habenis ad denſas jam furibundus cum ſummo ſeſſorum periculo præceps ferebatur ſylvas: Rector Elephanti nihil boni ominans Regem monebat, in ſua non amplius eſſe poteſtate gubernationem Elephanti, ſed rem poſtulare, ut unus confeſtim deſcendat, & morte ſuâ beſtiæ furori ſatisfaciat: atque ſe ipſum ad id offerebat, additô petitô, ut Rex poſt obitum ipſius ſuorum trium filiorum curam gereret: quô factô decidens dictum factum ab Elephanto protritus & occiſus eſt: Sic delinito furore Elephas ſeſſori Regi iterum paruit: Rex cum filio ex præſentiſſimo vitæ diſcrimine ereptus pauperibus magnam pecuniæ vim erogavit, & defuncti ἐλεφαντάγωγε filios Regalibus muneribus ornavit.

Plerumque Elephanti cæci, fame & mœrore confecti reperiuntur: cauſa eſt, quod dracones & ſerpentes cum illis dimicantes oculos ipſorum maximè petant eosque viſu privent: Inſtantem mortem illos perſentiſcere, geſtibusque ad mœſtitiam compoſitis fatalem ſuam horam præſagire, ex Oppiano patet, ita canente:

> Hoc etiam multis miraclum creditur, hoſce
> Fatidicum Cor habere, diem mortisq; videre
> Ante ſuæ, & ſic tempus inevitabile lethi:
> Non ergo moriens canit exſequialia ſolus
> Carmina Olor niveus: faciunt animalia leſſum
> Hæc quoque, finem obitus divinâ mente notantes.

Morti itaque vicini divinatione quàdam præſentiunt fatalem neceſſitatem ſecundum Vartomannum.

Ante obitum ad convalles montis Atlantis ſe conferre Elephantos refert Ælianus ad ſaluberrima paſcua ibi provenientia, fontesque amœniſſimos ibidem ſcaturientes, ubi illos ſartos tectos illæſosque conſervari, & à Diis, quibus chariſſimi ſunt, ab omnibus injuriis defendi ſcribit, ſequentem referens hiſtoriam memoratu dignam: videlicet, aliquando Regem quendam eo ablegaſſe trecentos Venatores cum mandatis, ut ibi congregatos Elephantos ad unum omnes caperent atque interficerent: Sed malè res ceſſit, ſiniſtrô atque funeſtô eventu ſubſecutô: ſiquidem omnes unô tantum exceptô hanc ſtragem renunciante à peſtifera lue deleti atque interempti ſunt.

PAR-

PARTIS II. CAPUT I.

Præter admirandam Elephanti indolem in ejus religiosam pietatem inquirit.

CUm multa admiratione digna de Elephantis & pleraque ſupra fidem ab Authoribus referantur, dubius ferè hæreo, quibus verbis & encomiis ſtupendas illorum dotes adumbrem: non mihi ſi centum linguæ eſſent oraque centum, ad has ſatis enarrandas & deprædicandas ſufficerem: integra de his conſcribi poſſent volumina: ſiquidem quantum corporis mole, tantum ingenio, prudentia, ſagacitate & docilitate reliqua omnia poſt ſe relinquit & longè ſuperat animalia brutum hoc non brutum: adeò ut hûc ferè quadret aureum Dionyſii Areopagitæ dicterium: Summum inferioris ordinis attingit imum ſuperioris ordinis: quod dilucide patet in Elephanto, qui ad hominis rationem præ aliis animalibus quam proximè accedit.

Etenim ſecundum Petrarcham *lib. I. Dialog. 60.* bellua eſt humani intellectûs æmula, quæ ex mente Ciceronis *lib. 7. epiſtol. I.* quandam habet cum genere humano ſocietatem: hujus naturam & mores nihil aut paululum abire ab homine miretur aliquis, imò indignetur, ſcribit Lipſius *in epiſtol. ſupra citatâ:* & Garzias *l. I. c. 4.* exiſtimat huic animali nihil deeſſe, ut ratione præditum appareat, præter loquelam.

Priſcis autem temporibus vix aliquis adduci potuit, ut crederet, tam vaſtam belluam, qualis quantaque in picturis conſpicitur, iis dotibus excellere, quarum ſcriptores faciunt mentionem: itaque præter ingentem corporis molem vix quicquam admirati ſunt veteres de Elephanti indole parum ſoliciti: adumbravit illius virtutes Plinius: expolivit Lipſius & alii plurimi, qui omnes ipſius dotes magnis extollunt laudibus, & tantum non ex Elephanto hominem faciunt: ſed tam verè quam eleganter Lipſius ita de his ſentit, ſcribens: ut ſeria multa & vera ineſſe nihil ambigo, ita quædam majora verò: nec usquequaque in his talibus veteres illos fidei litaſſe facilè tecum credam: quis enim tam magni oneris ſit, ut quicquid illi imponunt, vehat? nec tamen mali quidpiam in iſtis, etiam falſis: ſiquidem innoxia mendaciola ſunt.

Nam quod religionem Elephantorum attinet, ſi ex rei veritate loqui velimus, non poteſt de illis dici, quod DEUM religioſè colant,

vel divinæ Majeſtatis ſenſum aliquem & cœleſtium rerum intelligentiam habeant: qui enim rerum ſublimium & DEI notitiam aliquam habere poſſunt, cum ad paſtum abjecti cœleſtia meditari neſciant? nam quod noctu ad lunam, mane ad Solem ſe vertunt, non adorantes id faciunt, vel quod aliquid divini de ſole concipiant, ſed quod ita ducente naturâ corpora ſua tantô lumine geſtire & viſcera humoresque recreari ſentiant: itaque cum Elephantis religionem attribuimus, populariter magis quam verè id dicimus, potiusque ut homines ad DEI cultum cohortemur, quam quod divini cultus perceptam animô notitiam aliquam habere Elephantos putemus, ut ſcribit P. Uffenbach. *de animant. & hom. præſt. l. 1, c. 45.*

Quod itaque pietatem & ita dictam Religionem Elephanti concernit, certum atque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, illam plurimorum fide digniſſimorum ſcriptorum calculo ipſis attribui: quâ etiam aliquô modô convenire videntur cum hominibus, quorum nonnullos, puta Ethnicos atqe atheos, qui ex creaturis verum DEUM agnoſcere debebant, hâc ſuâ devotione, quamvis ratione deſtituantur, ſuperant. Solem igitur, præſertim Orientem, Lunam & ſidera veneratur Elephas, ſponte ſuâ pietatem colens ſuamque religionem obſervans: quædam enim in illis ſunt quaſi venerationis rerum cœleſtium veſtigia: cœlum enim mirantur, ſidera & luminaria illa majora ſuſpiciunt, & velut venerabundi pro ſuâ belluina capacitate illa agnoſcunt ſupra ſe eſſe: nam quod ad lunam attinet, ab interlunio recreſcente lunâ ob quædam ſibi indita naturæ recondita ex ſylva primum, ubi gregatim paſcuntur, decerpunt ramos, eosque deinde ſublimes ferunt, atque ad lunam ſuſpicientes leniter movent, tanquam ſupplicationem quandam lunæ prætendentes, quemadmodum ſolent, qui ſibi ſuperiora propitia eſſe volunt, ut memorat Ælianus *l. 4. c. 9.* & ex eô Simon Majolus *dier. Canicular. tom. 7.*

De hâc Elephanti pietate J. C. Rhumelius ita canit:

Exſurgens Elephas & cœca cubilia linquens,
Surgentem ſolem voce ſalutat herum:
Suſpicit, exultat, tantos miratur & ignes,
Barritu ſolvens debita vota DEO.

Lunâ niteſcente gregatim amnes petunt, & mox liquore aſperſi Solis exortum motibus, quibus poſſunt, ſalutant, deinde in ſaltus revertuntur. Vid. Solin. *c. 38.* illos luſtrari aqua, orientem ſolem ſubmiſſis genibus & proboſcide in altum ſublatâ more hominis, manus, dum orat, ad cœlum elevantis, ab iis adorari Plutarchus author eſt: Lunam novam illos venerari Plinius ſcribit; hanc ita ſalutant, ut tunc tempo-

temporis magnô numero confluant, eamque cum magno amore & quadam reverentia contemplentur: quod olim à Carenis factum, & adhûc ab Indis, ut & nonnullis septentrionalibus populis, v. gr. Islandis, ut & Tartaris fieri solet, qui non solum Solem & lunam, sed & ignem cum reliquis elementis pro Diis colunt, iisque quotidie primitias cibi & potûs libant.

De Elephantis pulchrè canit Passeratius in encomio Elephanti ita:

> Imbuti pietate animos cultuque Deorum
> Æquoreis lustrantur aquis, & supplice gestu
> Curva renascentis venerantur cornua lunæ:
> Sidera suspiciunt ægri, tacitisque supini
> Cœlum onerant votis, & lumina Solis adorant,
> Purus ubi Eois rutilum caput exserit undis.

Sympathiam quandam habere cùm lunâ videntur, ut existimat Joh. Jonstonus *thavmatograph. de quadruped. cap. 17. p. 356.* In Mauritaniæ saltibus ad quendam amnem, cui nomen est Amilo, nitescente lunâ novâ Elephantorum greges descendunt, ibique se purificantes solenniter aquâ se circumspergunt, atque ita salutatô sidere ad sylvas revertuntur. Vid. Plin. *l. 8. c. 1.* & vitulos suos fatigatos præ se ferunt. Solis etiam exortum magnâ cum reverentia & certis gestibus salutant, quô factô saltus suos repetunt: hoc ipso imitati Persas, sub nomine Mithræ; Ægyptios sub nomine Osiridis; Græcos sub nomine Apollinis solem venerantes: Sic de Xerxe Rege scribit Herodotus, quod in expeditione contra Græcos Soli Orienti auream pateram vinô repletam obtulerit pro victoria obtinendâ.

Siderum eos servare disciplinam scribit Solinus *c. 38. p. m. 115.* Sidera & stellas venerantur secundum Plin. *l. c.* more nonnullorum populorum, qui in honorem cœlestis sideris capræ deauratam capellam in foro positam pro Deo coluerunt ad uberem vindemiam impetrandam: quod olim etiam fecere Romani, qui quotannis aliquot canes olim immolarunt Sirio, ne nimio æstu ipsis noceret. Meritò itaque exemplo hujus animantis homo quoque assiduè ad veram pietatem atque DEI venerationem se assuefaciat, quam Veteres ἀρχὴν καὶ τελευτὴν πασῶν τῶν ἀρετῶν nominarunt: hûc referendum illud Aristotelis: ἀρχὴ ἀρίστη πάντων μὲν ὁ Θεὸς, ἀρετῶν δὲ εὐσέβεια. Elephas igitur esto Atheorum, Epicuræorum & profanorum omnium magister & censor:

> Injiciat nobis brutorum hæc cura stuporem,
> Qui tardâ incipimus quærere mente DEUM.

Vid. Pier. Valerian. in *Collectan. hieglyph. l. 5. p. 185.* Camerar. *in embl.*

Itaque Elephas pietate longè antecellit illos, qui DEO neglecto Creaturis adhærent, imò confundit omnes tam Christianos quam

Ethnicos, qui cultum divinum susque deque habent.

Sæpè sunt visi Elephanti ægritudine fessi herbas supini cœlum versus jacientes, & opem cœlestem quasi implorantes, ut scribit Plinius *H. N. l. 8. c. 1.* Moribundos idem facere Ælianus *l. c.* refert. A cœlo illos olim salutem & auxilium petiisse Plinius scribit *l. 8. c. 7.* Pompeji etiam Elephanti Romæ spectaculo populi exhibiti, ut in instituto certamine interficerentur, amissa fugæ spe misericordiam vulgi lamentabili clamore, capite & proboscide ad cœlum versis quærentes quasi supplicavêre, complorantes cum tanto spectatorum dolore, ut obliti Imperatoris ac munificentiæ reverentiæque honori ejus debitæ flentes universi consurgerent, dirasque Pompejo, quas ille mox luit, pœnas imprecarentur.

Juba supplices esse Elephantos Diis immortalibus tradit: quippe qui suôpte ingeniô mari lustrantur, & surgentem Solem adorant proni, promuscide velut manu in cœlum sublatâ, unde charissimum Diis animal esse credit: quod confirmat factum Ptolomæi Philopatoris, qui post partam victoriam ejus belli, quod cum Antiocho gessit, cum gratissimus erga Solem, quem Deum existimabat, esse vellet, pro concessa victoriâ gratias ei persoluturus, tum alia magnifica sacrificia fecit, tum verò quatuor grandes Elephantos immolavit, existimans, se sic DEUM religiosè colere: deinde cum in insomniis minis Dei perculsus fuisset ob invisam Numini talem hostiam, religionis metu permotus pro immolatis quatuor ex ære Elephantos in honorem Solis dedicavit, ut supplici hôc factô Solem sibi placatum efficeret. Vid. Plutarchus *l. c.*

Sed & hoc ad religionem pertinere statuit J. Lipsius *epist. 50. centur. 1. p. m. 68.* quod mortuos è suo genere sepeliant, & prætereuntes injiciant cadaveribus humum, quod etiam apud Ælianum *l. 1. c. 49.* Alsted. *Encyclopæd. l. 7. Phys. part. 6. cap. 5.* legimus. Vulnerati in venationibus quærunt lachrymas aloes vel alias etiam herbas, quas tamen non prius devorant, nisi pro more hominum erecto prius capite ipsas elevent quasi auxilium à cœlo petituri.

Divinant præterea, creduntur que μαντίκιον ἐν ςήθεσσιν ἔχειν κέαρ, id est, divinum quasi cor habere in pectore, immò præscire fatalem suam horam;

> Quid verô mirum, quum Elephas (audita fatebor,)
> Pectore divinô fati præsagiat omen?
> Non igitur solis quibus & prænosse futura
> Contigit, aut soli de morte queruntur olores:
> Quippe Elephas tristi fatum quoque carmine luget.

Vid. Oppian. *lib. 2. de venat.* Vulneribus lethalibus sauciati aut morbis confecti mortemque jam imminentem præsentientes herbas proboscide

de evulsas vel in harum defectu pulverem in aera spargunt, querulâ voce ad cœlum oculos vertentes, quasi divinum auxilium implorantes: quam pietatem Ælianus Atheis & Epicuri de grege porcis objiciens in hæc verba prorumpit *loc. cit.* Ergone Deum Elephanti venerantur? homines autem rationis participes sitne Deus nec ne dubitant?

Religio est Elephanto, alium sui generis mortuum inhonoratum præterire, aut insepultum relinquere: igitur, ut Æthiopum sermonibus pervulgatum est, non transit, nisi terram promuscide erutam aut cespites evulsos injiciat, communem sortem miseratus, defuncto quasi parentans & cavens, ne aliquid impiè committat: nam hoc quidem ipsum non agere execrabile ducit: quare ad hoc nefarium scelus evitandum satis est ei, vel ramum injicere.

Venerantur etiam ætate provectiores & parentes, quibus non solum de loco cedunt, verum etiam de victu prospiciunt, de quibus infra plura.

Indos Elephantis religionem Numinis tribuere, author est Joh. Petrus Maffejus *Histor. Ind. lib. 1.* Illi enim brutis etiam animantibus cœlestes exhibent honores, iisque templa ædificant, quibus in prisca illa Romæ magnificentia vix quicquam simile existit: quin etiam Simio fanum dicatum fuisse legitur ibidem.

Innoxium & pudicum est hoc animal, φιλάνθρωπον & probæ mentis: probi oris, inquit J. Lipsius *l. c.* Vis ei ut omnibus noceat: ut nemini, voluntas: homini occurrit, vitam non adimit: ostendit viam: feræ alteri: transit: quin nisi irrites & impugnes, nec in arena quidem excitabis ad lædendum: inest illi clementiæ bonum scribit Solinus *cap. 38.*

Elephas homini forte obvio in solitudine & oberranti, clemens placidusque demonstrare viam traditur: V. Plin. *H. N. l. 8. c. 4.* vel si confertis pecoribus incursitant, itinera sibi blanda & placida manu faciunt, ne quod obvium animal interimant: in conflictu non mediocrem curam habent sauciatorum & fessorum secundum Solinum *l. c.*

In Magistros Rectoresque suos mira illis pietas: quos aliquando per furorem interfectos ita luxerunt secundum Strabonem, ut inediâ seipsos interfecerint: eadem in natos: quos ut scribit Ælianus *l. 6. c. 15.* urgentibus venatoribus adeò non deserunt, ut millies se capi & cædi malint, quam ipsos: equitatu circumventi infirmos aut fessos vulneratosve in medium agmen recipiunt: ac velut imperio ac ratione per vices subeunt. Plin. *lib. 8. H. N. cap. 7.* Nunquam Elephas à suo agmine secedit, nisi aut catulorum suorum aut ægrotantium causa: pro his nimirum nihil non moliens inexpugnabilis manet secundum Ælianum *l. c.* imprimis pullos à partu ad-

huc recentes nunquam deserunt, eos ab omni periculo fortiter & constanter tuentur, imò prius vitam amittunt, quam eos relinquant.

Quantus matrum in sobolem suam sit amor, multis experimentis & argumentis constat, hôc verò præcipuè: cum aliquando in foveam pullum suum incidisse mater conspexisset, ne minimam quidem moram interposuit, nec ejus cursum ulla segnities tardavit, quin vehementi dolore affecta, quantô maximè posset, incitatô cursu in delapsum catulum præceps ageretur, amboque eodem casu morte occumberent, hic quidem materno pondere pressus contereretur, illa verò præcipitata caput diffringeret.

Ætate confectis & senibus juniores solô naturæ ductu sine Lycurgi aut Solonis aut Zaleuci Charandævæ præceptione omnia officia præstant, eosdemque summâ observantiâ colunt, ex periculis eripiunt, in fossam delapsos injectis fruticum fascibus extrahunt, sic enim tanquam per scalas ascendere possunt, ut scribit A. Tiraquell. *de jure primogen. in præfatione.* Si forte aliquis vulneretur, mirâ arte sagittas eximere norunt, atque ut suis sociis omni ope subveniant, nihil intentatum relinquunt.

Tanta sunt pietate & fidelitate erga suos Dominos & Sessores, ut in præliis vulneratos & delabentes proboscide leniter excipiant, eosque vel vivos vel mortuos ad loca tutiora asportent. Elephantum mulieris cujusdam Indicæ sibi notæ & jam animam agentis infantem in cunis jacentem custodivisse, muscas dormienti abegisse, & si fortè ploraret, ejus cunas proboscide agitasse refert Athenæus *lib. 13.*

Reverentiæ erga grandiores & suos Dominos accedit pudor & castitas, quia non nisi occultè & sylvis tecti coeunt, & sanè rarenter & secedentes, & intra densitatem arborum se occultant, aut in absconditum & profundum locum se conferunt: post coitum amne perfunduntur, non ante reduces ad agmen. Plin. *l. 8. cap. 5.*

Insidias minoribus animalibus nunquam struunt, sed patiuntur ea securè juxta suum locum versari, & circa se vivere: parva animalia occurrentia in grege aliquo Elephantus blandè & mansuetè dimovet, ne per imprudentiam conterantur: nec nisi lacessitus nocet. A. Tiraquellus *de Nobilitate c. 37.*

Nulla committunt adulteria, nulla propter fœminas inter se gerunt prælia cæteris animalibus pernitiosa, cum tamen non desit illis amoris vis, ut infra dicetur: non coeunt cum alienis, neque cum suis valdè lascivè, sed modestè prolis causa, & ne quidem spectantibus reliquis Elephantis, sed in secessu seu in occultò: & dum fœmina gerit uterum, mas non modò non deserit ipsam, sed mirificè etiam defendit.

Mirum, inquit Simon Majolus *Dier. Canicular. l. 7.* quam hoc animal justum sit, ut probos amet, im-

probos despiciat, vel in causa propria suum cuique jus tribuat: Petrus Gillius Albiensis, Vir eruditus, Æliani translator, & naturalium rerum in longis] peregrinationibus eximius scrutator admiranda animadvertit in Elephanto, cujus curam ipse in longo itinere habuerat: memorat enim, ignotos homines, leves, insolentes, petulantes ad se accedentes discernere illum potuisse à moderatis & gravibus, quos libentius intueri videbatur.

PARTIS II. CAPUT II.

De Elephanti prudentia agit.

BElluarum nullam Elephantô prudentiorem esse scribit Cicero, sensus acutissimos illi attribuens: multi versantur in hâc opinione, quod animalia nonnulla prudentiam humanam si non antecellant, tamen interdum naturâ duce cum admiratione æquent: exemplo sint apes, quibus conficiendi mellis officium est: annon assignatas incolunt sedes? annon castra sua muniunt, domicilia sua inimitabili arte & solertiâ componunt, politiæ student, Regi serviunt? Simile in formicis, araneis, locustis aliisque videre licet: Hinc Valla non immeritò videtur vellicare Aristotelem, quod bestiis rationem prorsus abnegaverit. Vide de hoc argumento Velcurionem *in Phys. l. 4. cap. 17.* & Johann. Heidfeldii Sphingem *Theologico-Philosophicam cap. 9.*

Sagacitate procul dubio Elephas omnes bestias multis anteit parasangis: hinc à Philostrato in secundo de vitâ Apollonii Thyanæi *cap. 7.* dicitur ζῶον δεύτερον ἀνθρώπῳ κατὰ ξύνεσιν καὶ βουλὴν, animal ab homine secundum ac proximum & prudentiâ & consiliô: πολλὰ γάρ καὶ παιδεύεται καὶ ξυνίησιν: valet enim præ reliquis sensu & ingeniô.

De hâc Elephantorum prudentiâ plurimi stupenda referunt, imprimis Plinius, Ælianus, Philostratus aliique: hanc ostendunt in acie instruendâ: in tardandis persecutoribus fractô cornu, vulgò dente, eoque abjectô: siquidem propter hunc se peti norunt: in flumine transmittendo: de quo Plinius *l. 8. H. N. cap. 3.* ex Mutianô ter Consule teste oculatô refert, cum Puteolis advecti Elephantes è navi egredi cogerentur, territos spatio pontis procul à continente porrecti aversos retrorsum ivisse.

De Africanis Elephantis narratur, illos nullis modis adduci posse, ut ingrediantur navigium, nisi prius illorum Rector jurejurando se obstringat, se illos singulos salvos &

& incolumes reducturum. Vid. Solinus *cap. 38.* Apollonius cum videret Elephantos in trajiciendo flumine natu minores præmittere & grandiores ætateque minores sequi, hæc, inquit, ô Damis, nullô jubente ex se ipsis naturali quâdam prudentiâ & sapientiâ faciunt: vides enim, quô pactô sarcinarum vectores imitati suos deferant pullos, vinculis ne fortè cadant, eos complexi: video, inquit Damis: sed cur tam imprudentem sibique inutilem tranationem faciunt? præcedit enim, ut vides, omnium minimus, ipsum verò sequitur paulo major, & post ipsum alius, ita ut eorum maximi postremi sint: oportebat autem contrarium ordinem in transeundo servare, majoresque tanquam muros & propugnacula cæteris facere: tunc Apollonius: minimè verò, inquit: primum enim ipsi insequentes homines fugiunt: oportebat igitur contra insequentes hostes à tergo muniri, sicut in pugna fieri videmus: insuper si eorum maximi prius flumen transiissent, ignotum erat, an fluvii altitudinem cæteri minores possent superare: illis enim facilis esset fortasse transitus, cum sint proceriores: his verò impossibilis forsitan esset, quod altitudinem aquæ superare non possent: sed cum eorum minimus transierit, facilem esse cæteris transitum demonstrat: insuper majores prius euntes profundiorem alveum sequentibus facerent subsidente limô & in fossam secedente propter belluæ pondus & magnitudinem pedum: minores verò nequaquam tranationi majorum officient, minorem in alveô fluminis concavitatem facientes. Hactenus Philostratus.

Ut magnitudine, sic etiam prudentiâ Pori Regis Indiarum Elephanti præ aliis eminuisse refert Plutarchus in vita Alexandri Magni: quemadmodum etiam Rex Porus proceritate sua quatuor cubitos & palmum æquabat, ita ipsius Elephas, quem inequitabat, staturâ & prudentiâ præ aliis quam maximè fuit conspicuus. In prælio enim Rege adhûc incolumi obvios hostes furens vastabat proterebatque: ut verò quamplurimis jaculis sauciumRegem sensit, ne hic deflueret veritus, sensim humi se genibus submisit: inde paulatim ex Regis corpore tela proboscide exemit.

Pompejus aliquando populo Romano spectaculum exhibuit, ubi in theatro milites armati cum Elephantis dimicare cogebantur: occisis itaque ex Elephantorum numero nonnullis, reliqui hoc facinus indignè ferentes proboscide ad cœlum sublatâ de hâc sævitia conquerebantur, vindictam quasi à Superis poscendo ob violatum jusjurandum. Vid. Dio Cassius *l. 30. p. 107.*

Garzias ab Horto apud Nierenbergium ex instrumento publico Cochini asservato narrat, eâ in urbe Elephantum postulasse â Rectore suô cibum, Rectorem autem respondisse, lebetem, in quô illi oryzam

zam coqueret, pertusum esse atque jussisse, ut eundem ad Cacabarium deferret obturandum, deinde ori zam se cocturum: quid fit? lebetem promuscide apprehensum Elephas ad cacabarium defert: is lebetem reparat, sed rimam aliquam, quam non adverterat, inobturatam relinquit: lebetem refert Elephantus: Rector orizam cum aqua coquendam injicit, sed per rimam effluere conspiciens aquam, lebetem rursus Elephanto tradit, ut resartum referat: defert Elephas: cacabarius de industria lebetem se reparare simulans rimam auget: Elephas ad mare tendens lebete aquam haurit: hanc effluere videns, lebetem intelligit non reparatum: ad cacabarium redit, magno barritu intonans, quasi de ejus perfidiâ conquereretur: Cacabarius tandem lebetem probè ferruminat & reparat: sed ei Elephantus non fidens denuò è mari aquam haurit, quam non effluere animadvertens astantibus ceu hujus rei testibus lebetem ostendit, domum redit, & orizam in eô coctam comedit: provocat Author ad oculatos testes, qui huic spectaculo se interfuisse affirmaverunt.

Similem ferè historiam recenset Vir Illustris Hiobus Ludolphus, b. m. in *Commentar. Histor. Æthiopic. p. 147.* quam ex Virô fide dignô Wilhelmo Leyel, Dansburgi Danici in Indiâ Castelli Præfectô se audivisse testatur: is narraverat, Elephantum ad vietorem fuisse missum, (mediastinorum enim vice apud Indos funguntur,) ut lacum rimosum einen auslauffenden Zuber deferret reficiendum: opifex barrum delusurus malleô obiter tutudit trusitque circulos, eumque infectâ redimisit: domum reverso, ô stupidum pecus! Herus inquit: hem pulchrè rem tuam expedivisti: videsne, ut aqua undique effluit? abi & cura melius: reversus ad vietorem Elephas lacum quasi indignabundus cum murmure ad pedes ejus projecit, quem ille probè refecit: Elephas rursus deceptum se metuens non rectâ domum, sed ad flumen prius pergit, ibique lacum aquâ replet, & cum nihil effluere videret, ad Herum refert laudem pro vituperio reportans.

Aliam historiam refert Johannes dos Santos *in Æthiopiâ Orientali l. 3. cap. 15.* de Elephanto, cui Herus ostenderat ruptum ahenum, ex quo pabulum excipere solebat, dicens hodie te patientiam habere oportet: nihil pabuli accipies: Elephantum illico sumsisse ahenum & ad fabrum portasse, ibique tamdiu exspectavisse, donec refectum esset: acceptum ad flumen detulisse, & aquâ implevisse: cum nihil efflueret, domum retulisse, ut pabulum in eô pararetur.

Lepidam narrationem habet supra nominatus Lusitanus Author: Erat Elephantus in Indiâ, Perico id est bibax dictus, omnibus benè notus: bibulus enim erat & vinum valdopere appetens; is cum præ-

teriret domum, ubi hedera ſignum vini vendibilis conſpiciebatur, ſubſiſtebat, & proboſcide porrectâ hauſtum vini petebat, nec abibat, usque dum Tabernarius præberet: gnari illius moris nonnulli pecuniam ipſi pro ſextario largiebantur, quam ille confeſtim in tabernam deferebat attentè aſpiciens, quomodo ſibi vinum infunderetur, niſi ſatis plena eſſet menſura, non accipiebat: addit Gallicus interpres: illum benè diſcernere potuiſſe vinum melius à viliore, & niſi illud daretur, murmuraviſſe: hinc factum, ut ementes peterent vinum de Elephantino.

Quæ inſignis Elephanti ſagacitas Ceilonenſes & Cingalenſes eô dementiæ redegit, ut ſecundum Herportum *pag. 181.* Elephantina vel lapidea capita adoraverint, ſingularem ſapientiam ab illis aucupaturi. Vid. Joh. Jacob Saar *in diſcurſ. de rebus Ind. cap. 4. pag. 99.* Sapientia hæc, inquit H. Cardanus *ſubtil. l. 10.* ex temperamento procedit, vitæ diuturnitate augetur & confirmatur: unde Senes ſapientiores, & qui ex iis naſcuntur: & nullum animal brevis vitæ valdè ſapiens eſſe poteſt: unde ſapientiſſima animalia ſunt Camelus, Elephas & homo: ſed & eadem omnibus animalibus vitæ longitudine præſtant: de ſapientiâ loquor, quæ ex habitu acquiritur, non quæ ingenita eſt, quâ etiam inſecta prædita ſunt: ex ſapientiâ verò probitas procedit: hoc etiam demonſtratum eſt à nobis in libris de ſapientiâ: ſed & ab iisdem cauſis, ut dixi, ex quibus vitæ longitudo & ſapientia ipſa: ut verò felix eſſet, probitate & ſapientiâ conſultum eſt: ſimul etiam ut eſſet gregale, quod etiam ad ſecuritatem multum conducit: ſolivaga enim animalia omnia ſunt infeliciſſima: omnis enim felicitas, quæ eſt præter contemplationem conſuetudine habetur, quâ charos noſtros tuemur & fovemus, & ab illis mutuò colimur: itaque jam manifeſtum eſt, cur Elephantum ſimul maximum, robuſtiſſimum, longæviſſimum, ſapientiſſimum, manſuetiſſimum, ſecuriſſimum & feliciſſimum omnium belluarum natura creaverit. Hactenus Cardanus *l. c.*

Ex Carmelitarum ordine Monachus, à Stâ Trinitate cognominatus *Itinerar. Oriental. l. 7. c. 1.* ita ſcribit: In urbe Goâ ſæpè vidi nonnullos Elephantos navium ſtructuræ inſervientes: cum aliquando ſpatiarer in litore fluvii cujusdam, ubi grande tum conſtruebatur navigium, vidi magnum tignorum numerum, quæ Elephanto cuidam ad navem transportanda tradebantur: hæc actutum deferebat proboſcide apprehenſa ſine duce ad locum deſtinatum vix ſemel oſtenſum in tantâ copia ſingulis vicibus, quam vix viginti Viri aſportaſſent: in via autem providè ſubmovebat alterô pede omnia impedimenta, quô facilius tigna trahi poſſent: vix homo cautius id exſequi potuiſſet.



Fol.153. Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.

In Syria aliquis Elephanto suo certum orizæ dimensum destinaverat: famulus autem dimidiam solummodo partem ipsi obtulit: quôdam die Dominus stabulum ingressus famulo mandat, ut Elephanto suam daret portionem: Servus in Domini præsentia plenum dabat modium: quid fit? Elephas totum dimensum proboscide in duas dividit partes, quarum alteram statim comedit, alteram verò modestè inspectô Dominô intactam relinquit callidissimô inventô innuens, illud diarium sibi hactenus fuisse: cujus rei causam admiratus Dominus rei veritatem, quomodo gesta erat, tandem minis ex servô extorsit. Alius, referente Plutarchô, cum glaream & terram Magister ad explendam mensuram pabulo interdum admisceret, fraude fraudem hanc ultus in ipsius ollam carnibus plenam è foco correptum cinerem injecit.

Ordinem etiam servant Elephanti: siquidem gregatim ingrediuntur: agmen ducit maximus natu, cogit ætate proximus: amnem transituri minimos præmittunt, ut supra dictum, ne majoribus alveum ingredientibus crescat gurgitis altitudo: declinant etiam pericula & fugiunt res noxias, certô sagacitatis naturalis argumentô: quæ nocitura sunt, quamvis sint chara relinquunt: secundum Ælianum apud Indos est tractus, cui nomen est Phalarus, latinè Calvus, isque ita appellatur, quod qui herbam in eô nascentem gustaverit, pilos, si brutum sit, cum pilis cornua amittat: itaque Elephanti, nisi cogantur, non accedunt ad locum istum, imò verò propè cum accesserint, perinde atque homines prudentissimi ab omni illius loci gramine refugientes pedem referunt.

Quæcunque discunt, ea tantâ curâ & intentione præstant, ut sæpè deprehensi sint noctu dictata sua ruminantes & meditantes, id quod quam maximè spectat ad testandam vim & indolem acrem animi. Plutarchus cum Plinio author est, quendam tardioris ingenii, & verbis verberibusque malè sæpè acceptum, inventum ad lunam gestus illos & motus præscriptos exercentem.

Admirationem meretur, quod Elephas legere discat & scribere, omnesque literas proboscide suâ formare: quendam literas græcas pingere didicisse, eaque lingua scripsisse sequentem versum heroicum Cœlius Rhodigin. scribit *antiqu. l. 3. c. 3.* Αὐτὸς ἐγὼ τάδ' ἔγραψα λάφυρά τε κέλτ' ἀνέθηκα: id est: ipse ego hæc scripsi & spolia Celtica dicavi: quid de his sentiendum sit, ex Libaviô de intellectu bestiarum colligi potest: numerare quoque creditur, & sic suô modô λογίζεσθαι Elephas: sic visus fuit aliquando Noribergæ Elephas, qui vexillum proboscide apprehensum ad amussim viginti vicibus, non pluribus nec paucioribus in alternas partes ad nutum Rectoris aliquoties vibravit: mirum

ſanè eſt, ἄλογον ζῶον facultate numerandi pollere, quæ alioquin ad operationes mentis pertinet in brutis non obſervabiles: credibile eſſe puto, certô ſignô à Rectore datô animal à vibratione vexilli vicies facta deſtitiſſe, ſpectatoribus id non advertentibus.

Philoſtratus de Elephanto refert, quod ſcribat, tripudiet & ad fiſtulam ſaliat: Ælianus oculis ſuis id ſe ſpectaſſe penè per oculos ſuos jurat: vidi, inquit, ego ipſe quendam in tabula literas Romanas promuſcide ſcribentem ἀστραβῶς καὶ ἀτρέπτως, id eſt, rectè, ordine & non contortè: quin etiam cum ſcriberet, oculi ejus cum rigore dejecti in tabulam erant, ut planè intentos diceres & ſcriptitantes, ut Grammaticum quendam dixiſſes.

Eleganter Paſſeratius in encomio Elephanti canit:

Credimus an falsô narrat ſcripſiſſe vetuſtas,
Argivisque notis ſignata dicaſſe trophæa!

vel ut Guilielmus Salluſtius hebdomados libro C. habet:

Ac niſi nos Veterum fruſtatur fabula Grajûm,
Rerum ſæpè notas & ſigna proboſcide dûxit.

Cauſam quod Elephas ad nutum Domini ſcribat, rationes ſupputet, & in omnibus ipſi pareat, Kenelmus Digbæus rejicit in atomos ex homine egreſſas, animantibus hiſce gratas *de natur. corp. cap. 37.* an acu rem tangat, ipſe videat: eadem ratio verificare poſſet, quod de Delphino memoratur, quod homines incredibili amore proſequatur præcipuè impuberes, cum quibus converſari & colludere geſtit mirificè abblandiens. Vid. Levinus Lemnius *de occult. natur. miracul. cap. 10.*

Loquutum eſſe aliquando Elephantum Chriſtophorus à Coſtâ tradit, quod forte inter miracula referendum: ſic memorat Conradus Lycoſtenes *in Chronic. de prodigiis & oſtentis*, Romæ aliquoties bovem fuiſſe locutum. Hier. Cardanus *de animal. perfect. l. 10. p. m. 548.* narrat, adductum fuiſſe aliquando Elephantum ad Archiepiſcopum Mediolanenſem, eumque cum moneretur, inclinatis anterioribus cruribus & capite ſalutaſſe, & cum ille diceret: effare aliquid, mugiviſſe.

Mirum etiam eſt, quod Plinius, Ælianus & ex his J. Lipſius *l. c.* ſcribunt, olim in ſpectaculo, quod Romæ exhibuit Germanicus Cæſar, duodecim Elephantos in Theatrum ſive Circum inductos fuiſſe, indutos floridas & hiſtrionias veſtes: ac primum ad vocem Magiſtri dividebantur in diverſas circi partes, inter eundum molli & ſaltatorio greſſu incedentes: iterumque ad eandem vocem coibant, & efficiebant ſaltatorium quendam orbem: ſed & flores ſpargebant & corollas, & ad cantum ter pedibus terram leniter & numeroſè pulſabant, & omnia præſtabant, quæ peritiſſimi ludionum: jam iidem, (quod ſtupendum,) docti

menſis

mensis accumbere, cibum potumque sumere parcè, modestè, ordine humanum in modum: lecti erant humiles, (ritu Romanô) instrati purpurâ & aulæis: mensæ variô & dapsili instrumento: disposita pocula aurea, argentea, minuta, grandia: cibi in lancibus, panis, caro, fructus: ecce! ingressi duodecim Elephanti: sex mares: totidem fœminæ: illi togati: hæ stolatæ: decorè & verecundè in lectis se reclinant, mensæ accumbunt: tum signô datô (non enim ante) in mensam promuscides sive manus suas extendunt: summa modestia cibos capiunt, delibant: non voracitas ulla in iis, non aviditas visa, non majoris meliorisve partis appetentia aut præreptio: denique cum bibendum pateram pueri porrigebant iique promuscide eandem genialiter exhauriebant, & reliquiis vini circumstantes aspergebant, velut cottabum facientes.

Mutianus, qui ter Consul fuit Romæ, ipse vidit Puteolis, cum advecti Elephanti per mare cogerentur egredi ex nave, sed territi spatiô pontis procul à continente porrecti, ut sese longinquitatis æstimatione fallerent, illos aversos retrorsum ivisse, quod ex Plinio refert W. Franz. *hist. an. part. 1. cap. 4.* Mimi officio fungi, & aliis salientibus choreasque ducentibus assistere, oculatus testis est Arrianus.

Inter cætera prudentis solertiæ documenta etiam hoc non minimum est, quod cùm profundas & superatu difficiles fossas transeunt, major stans medius tanquam pons omnes transmittit: alii ingerentes fossæ sarmenta, fasces, lapides pro facilitando egressu eundem servant. Vid. Ælian *lib. 8. H. A. cap. 15.* interdum unus alteri in foveam delapsô pedem porrigit, quem ille proboscide complexus facilius se erigere & sic tandem egredi potest: quâ spe frustratus animum despondet, & pristinæ feritatis oblitus eandem tandem deponit.

In Syriâ Elephantum alebat quidam privatus, qui ipsi quotidie certam hordei quantitatem pro pabulo destinaverat, cujus tamen dimidiam partem famulus suffurari consueverat: Elephas hoc advertens Dominô stabulum intrante fraudem hanc ita detexit: cum enim servus in præsentia Domini integrum dimensum ipsi obtulisset, Elephas proboscide dimidiam partem semovit, alteramque partem intactam Domino monstravit cum torvô in famulum aspectu, & sic de injuriâ sibi illatâ Dominum suum certiorem reddere voluit.

Ingenitâ sagacitate declinant pericula & quascunque res noxias: à venatoribus ad scrobes fortè compulsi, ut capiantur, illas intrare renuunt, & vi ad intrandum adacti vim vi repellunt retrogradientes: ab herbis pabulisque nocivis abstinent, omni ope eô nitentes, ne in periculum incurrant, de quo supra pluribus actum: homines, à quibus insidias sibi strui norunt, cane pejus & angue fugiunt, quorum vesti-

gia callidè odorantur: dum per sylvas ordine, alius scilicet post alium vagantur, primus herbulam à viatore vel venatore fortè prætereunte conculcatam reperiens statim socio sequenti, hic verò alteri tradit: ubi ad ultimum, qui agmen claudit, devenit herba, statim signô datô omnes in fugam se conjiciunt, & ad loca tutiora se recipiunt: in viâ tritâ rarissimè illos videre licet: intelligunt itaque judiciô Plinii, cur sit timendum, quamvis non viderint, quem timere debeant.

Quando ab Indis ad eradicandas arbores adhibentur, periculum prius faciunt, an fronte vel cornibus illas commovere possint: sin secus, nullâ vi ad impossibiles labores se cogi patiuntur. Notatu dignum est, quod Plinius de Elephantorum ambitione scribit, quando inquit: Sed non virtutes tantum, verum etiam vitia magnorum virorum imitantur, vanitatem ambitiosam scilicet & superbiam: nam phaleris argenteis maximè illos gaudere refert: is, qui magnum Mogolem Indorum Regem tapetibus aurô gemmisque inæstimabilis pretii constratus gestat, nullum ex sociis ante se ire patitur, si fortè pastum vel aquatum aguntur: ita certamina præcedendi etiam inter has belluas vigent.

Ut inter volatilia Aquilæ, Ciconiæ & grues, inter insecta apes & formicæ, sic inter quadrupedes Elephanti eminent singulari congenitæ sagacitatis ornamento. Vid. B. Cassanæi *Catalog. Glor. Mundi p. 371.*

Memoratu dignum est, quod de Elephanto Ambstelodami à se viso refert Excellentissimus nosterNestor *II. Ephemerid. N. C. Decad. II. ann. VIII. Observ. 161.* Lucri causa spectabatur ibidem Elephas in magnâ hominum turbâ, ubi solent mali mixti esse bonis furesque Viris honestis: quid fit? cuidam fæminæ à latere suô solvitur catena argentea una cum aliis appendicibus: hæc jacturam illam & ablationem suæ catenæ animadvertens gemitu & planctu illud indicat: Custos belluæ hujus rei certior factus jubet belluam circumire quæsitum furem: illa dicto audiens circumambulat, seseque sistit coram quôdam splendidè vestitô homine, à quô custos abigit belluam, atque ut rursum circumiret, mandat: dictum factum: secundâ vice coram illo pedem figit: jamque tertia vice in coronam remeare jussus Elephas, & hôc etiam circulô suæ circumambulationis absolutô rursus coram dicto homine subsistit eum promuscide sua vehementius trudens, adeò ut in terram caderet, quô casu ex pera ejus catena excussa furtumque manifestatum est: itaque hoc brutum non solum quasi accusavit, sed & convicit hominem trium literarum, & de illo quodammodo pœnam sumsit.

Ignotos homines, leves, insolentes ad se accedentes internoscit & distinguit à moderatis & gravibus: malos, improbos & adulteros odiô prosequitur, adeo, ut illos interdum indicasse & notasse visus sit.

PARTIS II. CAPUT III.

Elephanti æquitatem commemorat.

ET hæc in Elephanto eminet virtus, quam in ſe & in aliis amat: ſeipſum quod attinet, exemplum à Petro Bellonio narratum Cluſio ſuo refert Lipſius *l. c.* ex ipſius ore: in Aſiatica peregrinatione noſtrâ in hoſpitium divertimus medio jam die & in acri æſtu: in comitatu noſtro Elephas erat: in hoſpitii ſtabulo viatoris alicujus aſinus, quô ipſe vectus, comedebat fortè hordeum, Elephanto famelicô ingrediente: hic fame impulſus aſinô remoto hordeum reliquum avidè invadit & vorat: ſupervenit mox Elephanti Dominus, eique dimenſum hordeaceum de more offert: ille, ſpectante Hero & ipſo Bellonio, memor injuriæ & rapinæ damnum aſino illatum reparaturus, diviſo in duas partes promuſcide ſuâ hordeo, alteram aſino procul ſtanti & muſſitanti offert; atque ille & iſte ſuas deinde partes edunt.

Ita narrat P. Gillius *in deſcript. Elephanti p. 9.* quod non ſemel viderit, cum Elephas equi vicini avenam & fænum ediſſet, quod poſtea ex ſacco, quem fortè in ſtabuli angulo invenerat, promuſcide avenam iterum & ſæpius deportaverit, equoque objecerit edendam: ſimiliter fœnum ſibi datum promuſcide comprehendens equo obtulerit ſenſim gradiens, ne equum terreret, & ſuper dorſum equi fænum comedentis promuſcidem poſuerit ei blandiens.

Injurias præterea ulciſcuntur, alienas etiam: Ælianus *lib. 10. cap. 15.* narrat, Romæ eveniſſe ſub Imperatore Tito, ut uxor Elephantiſtæ cum adultero mœcharetur: videt id Elephas non ferens hanc illatam Domino ſuo injuriam irruit, & in ipſo complexu utrumque cornibus transfigit: denique ita copulatos providè relinquit, ſtragulo tegit, & cum Dominus adveniſſet, ſtragulô rejecto facinus oſtendit, & ſe ultorem. Idem ſcribit *lib. 3. cap. 17.* fuiſſe alium quendam Elephanti Magiſtrum adulterio deditum, nec contentum furtivâ libidine uxorem ſuam clàm è medio ſuſtuliſſe, eamque ad præſepe Elephanti ſepeliviſſe, alterâ illâ mox inductâ: Elephantum hoc ſcelus tacitum non habuiſſe, uxorem novam illûc traxiſſe, & cornibus pedibusque refodiſſe cadaver, tantum non re ipſa mulieri inclamantem, cui & quomodo nupſiſſet.

Abbas de Choyſi in ſuo diario *p. 144.* narrat ex relatione Epiſcopi Metellopolitani, in Regno Siamenſi fuiſſe in conventu quodam Franciſca-

ciſcanorum Inſulæ Ceylon Elephantum quendam puſillum, qui ad prandium & cœnam ordinariè in refectorium veniebat: ejus matrem autem ingentis ſtaturæ ſtetiſſe ante fores, eumque probè obſervaſſe, & ſi quid ineptè feciſſet, ex. gr. ſubvertiſſet aliquod poculum aut ferculum, illum increpuiſſe acriter & proboſcide caſtigaſſe, inflictis ictibus quinque vel ſex, paucioribus aut pluribus pro ratione delicti.

Nunquam fallit fidem vel exſpectationem Gubernatoris ſui Elephas, eamque à ſuô Rectore viciſſim depoſcit: tranſiturus mare non prius conſcendit navem, niſi invitatus & certior redditus jurejurando de reditu, teſte Pliniô *l. c.* hoc juramentum exactè novit, & ſuo tempore exigit, ut ſcribit Hier. Cardanus *l. 10. de animal. perfectis p. m. 548.*

Iniqua porrò homini detrectat miniſteria: cum Bochus Rex triginta Elephantis totidem, in quos ſævire conſtituerat, ſtipitibus alligatos objeciſſet, procurſantibus qui laceſſerent, non potuiſſe effici, ut crudelitatis alienæ miniſteriô fungerentur, Plinius ſcribit *l. 8. cap. 5.*

Prædam aliquam nactus vel pabulum forte inveniens advocat ſocios, ſuisque convictoribus hujus partem impertiri æquum ducit. Contra feras minus validas pugnare prorſus negat, cum majoribus non niſi laceſſitus: & in grege pecudum ambulans occurrentes proboſcide dimovet, ne quid obterat imprudens, tantaque illi erga imbecilliorem gregem eſt reverentia, ut etiam ferus ex ſolo arietis conſpectu mirificè cicuretur, lenisque & tractabilis evadat, teſte Plutarcho Sympoſiacôn XII.

Jus hoſpitii, dum illô fruebatur, Elephantum obſervaſſe Gregorius retulit, etſi hoſpiti ſub diſceſſum malam gratiam referre voluerit. Vitulum enim pepererat in agro conſito: Colonus puerperam hanc hoſpitem ſibi ingratam amoliturus interficere conſtituerat: diſſuadent vicini: non enim inultam manſuram cædem: ſineret potius pullum adoleſcere certus, Elephanti matrem meſſem maturam contra alios defenſuram: id modò operam daret, ut finito puerperio fruges ex templo demeteret: ſecutus conſilium herus intactam ſervavit ſegetem, nullam aliam, niſi ſemitæ, quam fecerat, ſervitutem paſſus: digreſſa matre cum partu ſuo herus vicinorum auxilio agrum feſtinanter demeſſuit: nocte ſequente catervatim venerunt Elephanti apud hoſpitem ſuum ante diſceſſum cænaturi; ſed vacuum penarium & inanes menſas repererunt. Vid. Job. Ludolphi *Hiſtor. Æthiopic. cap. 10.*

PAR-

PARTIS II. CAPUT IV.

Vindictæ cupiditatem in Elephanto discutit.

QVamvis Elephas natura mansuetus sit, in iras tamen acriter incitatur, perturbatusque aliqua acerbiore offensione vehementer efferatur, in tali casu sæpè tam hostibus, quam suis ductoribus perniciosus: quam in hoc animali naturam cum non ignoraret Hannibal, eam in suum usum convertit: quippe cum in profundi fluminis transitum Elephantos compellere non posset, neque materiæ, quâ naves conficeret, copiam haberet, ferocissimum Elephantum sub aure vulnerare jussit, percussoremque transnatatô statim flumine procurrere: Elephas exasperatus ad persequendum sui doloris authorem transivit amnem, & ita reliquis idem audendi exemplum dedit, ut stratagematum libro apud Julium Frontinum habetur: idque in trajiciendo Rhodanô factum Livius tradit, citante Val. Pierio *hieroglyph. l. 2.*

Ultionem exigunt ab his, à quibus indignè tractantur, & injustè vexantur, injuriasque suas scribunt in marmore læsi, ut ita cum Poetâ loqui liceat: qui semel ipsos offendit, caveat sibi, nam vix acquiescent, usque dum vindictam sumserint: nunquam autem homini nisi lacessiti nocent: læsi adversarium promuscide apprehensum, usque ad teli jactum ejaculantur, ut sæpè antequam terram contigerit, moriatur: in terram delapsum pedibus conculcant, nec ante dimittunt, quam animam exhalaverit. Simili ratione jussi Carnificum officiô funguntur, quando mortis Candidatos ad palum ligatos in sublime jaciunt, & pedibus protritos interficiunt.

Plutarchus refert, Romæ Elephantum ex pueris unum, qui promuscidem illius stylis pupugerant, corripuisse, ut statim eum in sublime jacularetur: sublatô autem eorum, qui aderant clamore, sensim & moderatè rursus eundem humi deposuit, existimans, tantô metu injectô satis illum pœnarum pependisse. Usque adeò injuriarum sibi illatarum non obliviscuntur & vindictæ cupidissimi sunt: caveat ergò sibi, qui illos affecit injuriâ: spondeo, offensam non feret impunè.

In urbe Goâ Elephas erat, qui aquatum ductus a fœmina quâdam è fenestra prospiciente sannis excipiebatur: indignè ferens hanc injuriam bestia ex fluviô redux proboscidem aquâ repletam effudit in faciem fœminæ, eamque totam fœdè madefecit, atque sic de ipsa vindictam sumsit.

Urbis Tattæ Gubernator tempore quôdam omnes suos Elephantos

ad se adduci jubebat: cumque ex edito loco cum Nobilibus nonnullis illos in area stantes probè perlustrasset, injungebat ministris, quid cum singulis agere deberent: unum autem senio & morbo jam confectum dimitti præcipiebat tanquam prorsus inutilem: hoc observans Elephas iste confestim in furorem actus in acclivum locum se recepit, proboscide Gubernatorem petens, ejusque togam discerpsit, qui nisi statim fuga se subduxisset, dubio procul in vitæ periculum incurrisset.

Michael Glycas, Græcorum annalium scriptor refert, Elephantum quendam cum in circum deducere-tur, sedentem in foro Magistrum ferarum subitâ irâ atque impetu interfecisse: causam hujus violentiæ non aliam fuisse, quam quod ante annos decem eôdem in loco idem Magister eundem Elephantum ferro percussisset, quam injuriam tot annos recondens tum demum ivit ultum.

Sequentes duæ historiæ leguntur apud Christophorum Acostam: I. Miles quidam in urbe Cochin Elephantum per lasciviam putamine nucis Indicæ, (quam satis grandem Incolæ Coccum appellant,) percusserat: quid fit? Elephantus putamen nucis studiose tollit, illudque ac iram recondit: post dies pluscu-los in via quadam publica obambulantem militem conspicit, accedit, & elatum ex ore putamen promuscide sua acriter in illum conjicit, & tum exultabundus abiit, quasi talione illâ injuriam probè ultus. II. Miles Elephantum in eâdem urbe cum Rectore obvium habuit, noluit autem de via decedere: Elephas id in Rectoris suamque contumeliam fieri sentiens ultionem meditabatur, quam tamen Rector prohibebat: post dies aliquot in ripa Mangatæ fluminis, (id urbem alluit,) militem illum otiosum & cum aliis confabulantem reperit: cum Rector non adesset, corripit illico hominem, in altum tollit, nec precibus nec clamore astantium motus, aliquoties flumine mersit allevans subinde & demittens: cumque eum probè madefactum satis diu lusisset, contentus hâc vindictâ hominem jam vitæ suæ diffidentem illæsum restituit eo ipso in loco, unde eum sustulerat.

De alio refert P. à S. T. qui Dominum, qui ipsum verberibus malè multaverat, occidit, quod fustem, quo fuerat percussus, pectori Domini interfecti imposuerit.

Tradunt Authores, Elephantum bonæ fidei cultorem fraudem sibi illatam vindicasse, & quoad illi licuit, scelus conformi pœna mulctasse: cum enim is, qui ipsi hordeum admetiebatur, hordei partem subtraxisset, illiusque in locum lapidibus suppositis ipsi debitam tamen mensuram cumulate servasset, ut Dominum utriusque, si quando vidisset, falleret, Elephantus videns eum, qui sibi debitum fraudabat, polentam coquere, primo promuscide sabu-

lum collegit, deinde in ollam infudit, sicque solerter injuriis injurias sibi illatas ultus est. Vid. Ælian. *hist. an. lib. 6. c. 51.* Plutarchus Elephantum sic à suo Magistro deceptum in ollam ipsius, in quâ carnes coquebantur, cinerem injecisse refert è focô correptum, de quo Passeratius in encomio Elephanti:

> Hæc fera enim paribus pœnis delicta coercet
> Ulta, velut quondam mixtis vitiata lapillis
> Hordea ferventem cineres injecit in ollam.

Plutarchus memorat *loc. cit.* cuidam Elephanto ab infideli servo subtractam fuisse dimidiam assignati pabuli partem: aliquando autem Dominus casu stabulum intrat eô tempore, quo Elephanto hordeum porrigebat servus, atque in conspectu Domini hujus integram portionem: Elephas suo Domino servi nequitiam ostensurus sine morâ proboscide dimidiam partem removet alterâ contentus, atque hoc ipso Dominum de pabulô sibi subtractô reddidit certiorem.

Joh. Cuspinianus *in Commentar. in Consul. p. m. 155.* meminit cujusdam pugnæ in Lucania, in quâ Victoriam, quam datura virtus fuisset, sequens casus dedit: productis nempe in primam aciem Elephantis unum ex illis catulum adacti in caput teli gravis ictus avertit, quem per stragem occisorum currentem & vociferantem Mater statim agnovit, & hujus cædem quasi vindicatura exiluit, atque in adverso agmine maximas turbas excitans hostium fugæ causa fuit.

De Zelotypo Elephanto Conrad. Gesnerus *lib. 1. de Eleph.* narrat sequentem historiam: Vir venandi Elephantos haut imperitus scribit, se, cum ab Imperatore Romano cum potestate in Mauritaniam ad venandos Elephantos ablegatus esset, ex Elephantinô genere adolescentem formosam vidisse coeuntem cum Elephanto pariter adolescente & pulchro: alium verò Seniorem, quia hujus sive amator sive maritus esset, tanquam se spretum ignominiæ locô hoc tulisse: quare hanc injuriam vindicaturum atque acriter animo incitatum in corrivalem impetum fecisse atque in illum incurrisse & fortiter dimicasse, instar illius, qui de amicâ sibi ereptâ doloribus acerrimis premitur: adeòque infestis animis utrumque cum altero pugnam commisisse, ut ex hoc vehementi impetu cornibus ambo mutilarentur: neutrum verò vicisse, quod multâ verberatione eos Venatores distraxerint: postquam autem amissis armis inutiles ad conferendam manum inter se facti essent, tum demum hanc pugnam cum Zelotypia conquievisse. Vid. Joh. Hug. â Linschoten *Ind. Oriental. p. 4. cap. 2.*

PARTIS II. CAPUT V.

Elephanti Gratitudinem laudat.

IN supra memorata urbe Goa Elephas erat nomine Perico, qui quoties certam quandam præteriret domum, legumina, interdum etiam haustum vini accipiebat: hunc insanientem aliquando, & ruptis discurrentem vinculis multi persequebantur, ut illum coercerent, ne fortè læderet obvios: cum autem forte fortuna venisset ad domum prædictam, accidit, ut omnes timore perculsi fugam capesserent, solô relictô infantulô, de cujus salute mater aufugiens jam prorsus desperabat, verebatur enim, ne pusio à bestiâ protritus periret: Elephas autem accepti memor beneficii infantem molliter humô sublatum in tectum casæ, quæ juxta Indorum morem valdè humilis erat, leniter reponebat appositis aliquot saxis, ne fortè ex alto decidens ab obviis læderetur.

In eâdem Civitate alius Elephas furore correptus obvium sibi habebat hominem, qui paulò ante fructum Indicum gustui gratum Jaca dictum ipsi præbuerat, quem humi prostratum molliter elevatum in medio furore scamno imposuit incolumem beneficii in se collati memor. Cum novus affulget annus, solent ibidem Elephantistæ pro strenâ colligendâ suos circumducere Elephantos; quando ad Pro-Regis aliorumque Magnatum ædes ventum est, flexis genibus se exhibent gratos pro collato munere: & quoties isthâc prætereunt, toties inclinatô capite beneficium agnoscunt.

Singulari Rectores sessoresque suos, quos bene norunt, amore prosequuntur, injuriarum quoque ipsis illatarum & beneficiorum memores, ut proinde optimè Seneca scripserit, Elephantorum feritatem usque in servile obsequium demereri cibum. Sanè a quibusdam aurigas suos, qui in certamine ceciderant, ex prælio exemptos, alios ab aliis servatos Strabo author est. Cassiodorus verò scribit, cum Magistri compendia sua putet alimenta, motu corporis à diversis postulare, quod ei porrigant: quod si, inquit, aliquis præbere contempserit postulata, vesicæ receptaculô patefactô tantam dicitur egerere eluvionem, ut in ejus penates quidam fluvius videatur intrasse, contemptum sic vindicans fœtore.

Gratum se exhibuisse Elephantum ob accepta beneficia erga ductorem & altorem suum, ex Æliano *lib. 3. cap. 44.* planum est: Indorum Rex ab Indo quôdam sibi donari Elephantum popôscerat: hic eum, cum mirô amore diligeret, negávit se daturum, ac cum Elephanto pro-

profugit in disfitam regionem: Rex id ægrè ferens ad insequendum eum misit, qui bestiam Indi auferrent: aggressores igitur, qui missi fuerant, ut utrumque comprehenderent, homo lapidibus petebat: Elephantus verò tanquam insigni injuriâ acceptâ impetum illorum repellebat: occumbente tandem ictibus altore & ductore suô Elephantus more hominum armis acerrimè se tuentium pro suo nutritore masculè pugnavit, invadentium parte occisâ, parte fugatâ & tandem promuscide Dominum suum complectens asportavit, permanens amicus fidelis amico etiam defuncto.

Furore correpti interdum Magistros suos interficiunt: sed post perpetratam cædem pœnitentiâ ducti animo tantopere anguntur, ut vix ad mentem redeant, & tandem fame & siti confecti moriantur.

Præterea grati sunt erga suos Genitores, quibus seniô confectis pabula; erga quosvis Seniores, quibus honorem deferunt, & reverentiam exhibent solo naturæ ductu, nullâ Lycurgi aut Solonis lege ad id officium compulsi: natu majores enim summâ observantiâ colunt, illisque de sede, loco, via, alimento cedunt, in periculis assistunt, in foveam fortè delapsos admotis fruticum fascibus extrahunt, atque ut illis jugiter inserviant, nihil intentatum relinquunt, quam pietatem etiam in Leonibus, Ciconiis & Merope ave deprædicant Naturæ indagatores.

Ut suos defendant Dominos, decertant usque ad extremum Spiritum: Sessoribus & Magistris suis, si quoddam ingruit periculum, animose assistunt, vulneratos fortè & delapsos ad tutiora loca deportant, id quod Pyrrho Regi contigit, quem in prælio victum Elephas ex præsentissimo vitæ periculo eripuit, per medios armatos penetrans, & cum Rege sibi insidente aufugiens. Sic referente Curtio Elephas Regem Porum in prælio cum Alexandro Magno commisso graviter vulneratum leniter se inclinans in terram demisit, sagittas corpori infixas extraxit, & Regem contra aggressores tamdiu tutatus est, donec & ipso telis confosso Rex tandem caperetur: majorem fidelitatem vix homo Regi exhibuisset. O sceleratos homines, exclamat Ælianus, qui mensas, culinas & sartaginum stridores sequuntur, prandia quærentes, in periculis autem amicitiæ jure temerè violato pollutoque amicos deserunt. Exemplum ingratus hospes quilibet capiat de Elephanto, qui semper, etiam furore correptus beneficii memor est, qualis gratitudo rara avis est in terris.

Abbas de Choysi *in diario suo p. 144.* refert, inter Siam & Porcelonem aliquando Elephantum quendam latrocinium exercuisse in viis publicis, irruisse in viatores, eosque spoliasse, nonnunquam etiam occidisse, prædamque illis ereptam in speluncam suam deportasse & omnia ibidem ordine concinnô disposuisse: accidisse autem aliquando, ut Mer-

cator quidam Cochinensis ab eodem invaderetur, cui tamen noxam intulit nullam, sed ostenso illi pede querulam edidit vocem: quô factô mercator pedem ejus inspiciens animum recepit, inventamque ibi spinam altius infixam extraxit: mox Elephas ipsi abblandiri, proboscide comprehensum dorso suo imponere, & in cavernam deportare: ibi cum ostendisset ipsi omnem suam supellectilem, eô relictô discessit: Mercator ad Magistratum in urbe Porcelone re delatâ recepit prædæ partem residuô inter eos distributô, qui sua agnoscebant. Veritatem hujus historiæ confirmavit supra dicto Abbati Episcopus Metellopolitanus in Regno Siamensi.

PARTIS II. CAPUT VI.

Gloriæ Studium in Elephanto admiratur.

ID soli alioquin competens homini, imprimis illi, cui de meliore luto finxit præcordia Titan, in Elephanto tamen mirificè conspicuum est, quod multis exemplis demonstrari potest. Cupiditas enim gloriæ in illis est tam vehemens, ut ignominiâ notati mortem infamiæ præferant: solum hoc animal laude accenditur, & contumeliâ angitur. Illorum maximus simulacrum Regis secundum Dion. Cassium *l. 39. hist. pag. 107.* præbet, & quasi clementiam Regiam præ se ferre videtur, idque sibi gloriosum ducit: non vult contemni nec injuriâ affici: qui hoc fecerit aut tentaverit, caveat sibi, ne proboscide apprehensus det pœnas & in arenam projiciatur.

Pro-Rex quidam Lusitaniæ, referente Carmelitano Monacho de Sta Trinitate dicto in Itinerar, Oriental. Regi suo Elephantum ex Hispania mittere decreverat: hujus custos ob lucrum cessans & damnum indę emergens id ægrè fert, bestiamque monet, ne in Lusitaniam abeat, adjiciens indignum esse, si talis serviret Regi minori, qui magnum Hispaniarum Monarcham hactenus agnovisset Dominum: Elephas id advertens nullâ vi ad navigium compelli poterat cum insigni spectatorum admiratione: fraude tandem detectâ Pro-Rex custodi suspendium comminatur, nisi belluam confestim ad obsequium redigeret: hic mortis timore perculsus Elephanto statim insusurrat: magnum Regem esse, cui mitteretur: & Regis Hispaniarum interesse, ut eo tenderet: quod si faceret, fore, ut multò lautius ac benignius in Lusitania, quam in Hispania habeatur: quô auditô

dictum

dictum factum ad navem sese recepit Elephas.

In urbe Cochin ingens erat tormentum æneum, quod Lusitani alio transportandum multis robustis viris commiserant: frustraneus erat hic labor: admovetur Elephas: sed incassum: hujus dominus indignatus bestiæ inertiam exprobrat, addens, hanc ignaviam sibi magno dedecori esse apud omnes spectatores, instigatque ulterius, duos juniores Elephantos ostentans, qui id facerent, nisi ipse rem aggrederetur: Elephas gloriæ cupidus hanc contumeliam devitaturus sine ulteriore mora tanto nisu ad tormentum loco movendum se applicuit, ut medius creparet.

Cum Johannes Hugo à Linschoten ex modo dictæ Indiæ Orientalis urbis Cochin portu solveret, & regressum in Lusitaniam meditaretur, forte accidit, ut navis gubernaculum frangeretur, cui reparando ad litus pertracto statim Elephas admovebatur, ut illud alium in locum traheret: Elephas huic oneri sustinendo impar clavum locô movere non poterat: eapropter in genua procumbens suam imbecillitatem horribili barritu deplorabat: ipsius custos hanc mollitiem ipsi exprobrans adjuncto alio Elephanto gubernaculum eo perduxit, ut cylindris imponi & sic facilius trahi posset: quam alleviationem sentiens prior Elephas socium cornibus suis abegit, ne gloriam hanc sibi præriperet, clavumque protraxit ad destinatum locum.

Exemplum non dissimile Illustri Viro Dn. Jobo Ludolpho, beatæ memoriæ retulit Wilhelmus Leyel. Naves recenter constructas in India Elephantorum opera è litore in mare trahi, ait, quod alibi non nisi magnô hominum labore fieri solet: illi igitur capite admoto prius tentant, num navis valdè gravis sit, dein spatio sumpto magna vi accurrunt, totius corporis nixu incumbunt, & sic navem in mare detrudunt: accidit autem aliquando, ut navis paulò gravior in luto hæreret, & ab Elephanto, quamvis semel atque iterum conaretur, loco moveri non posset: hinc Magister ejus stomachari cæpit, in hæc verba prorumpens: Oh! ignavam belluam, dixitque famulo: Amove ignavum hunc & produc fortiorem; quo audito Elephas quasi intelligens, alium sibi præferri, longiore intervallo capto tantâ vehementiâ incubuit, ut craniô fractô mortuus concideret. Vid. *Commentar. histor. Æthiop.* H. Ludolphi *p. 148.* Similem ferè casum recenset Joh. Hugo à Linschoten *part. 4. Ind. Or. cap. 2.*

Erat, Pliniô referente, Antiocho Regi Elephas, cui nomen Ajax: (ita enim hominum canumque exemplo distinguuntur:) is dux erat agminis, generosus, celsus, & velut Rex in regio reliquo grege: evenit, ut flumen transmittendum esset: renuit infelix & mala sua sorte Ajax: pronunciatum enim fuit illicò à Magistro: princi-

principatum ejus fore, qui prior transivisset: intellexit hoc statim & arripuit Patroclus, (hoc erat alteri Elephanto nomen,) fluviumque transivit: hanc ob rem insigni præmio donatus est, phaleris scilicet argenteis, quibus mirè gavisus & exornatus principem locum inter suos socios & contubernales obtinuit: At miser Ajax sic postpositus animum despondit, mortemque ignominiæ præferens inediâ se confecit: heic obiter notandum, sortitos fuisse Elephantos antiquitus sua nomina à suis dominis: sic Cato mentionem facit cujusdam Elephanti in Punica acie fortissimè præliati, & altero cornu mutilati, qui Surus vocabatur. Vid. Plin. *H. N. l. 8. cap. 5.*

Observatum fuit, quendam Elephantum hebetiorem & tardiorem, cum sæpè aliis laudatis ipse malè audiret, & multoties verberibus ob suam inertiam castigaretur, æmulatione ductum & aliorum gloriâ excitatum illa, quæ à Magistro facere jussus erat, nondum tamen peragere poterat, noctu ad lunam, cum solus esset, meditatum fuisse, seipsum quasi gloriæ stimulo excitasse, exercuisse, & omnia sibi injuncta sic addidicisse: calcar addidit hic Elephas cuilibet ignavo literarum cultori, ut perdius & pernox illis det operam.

Aucupium gloriæ in Elephantis eleganter describitur à Passeratio in encomio Elephanti:

Otia sectantur: sed si est ad prælia ventum,
Palmæ ardent studiô, flagrantque cupidine laudis:
Argentum & phaleras clarique insignia facti
Vel mediâ de morte petunt, & nomine gaudent,
Docta quod æternis includat pagina chartis:
Surus & Hannibalis fortis Patroclus, & Ajax
Antiochi, prærepta sibi qui præmia lugens
Tabuit & tristem jejunia duxit ad Orcum.

Tantopere enim gloriam & honores ambiunt, ut despicatui haberi nolint, contumeliâque affecti vitæ infami mortem anteponant, quam interdum aliâ occasione denegatâ fame sibi consciscunt. Victi aliquando ab altero in certamine tantô pudore afficiuntur, ut etiam Victoris vocem audire recusent & protinus aufugiant.

Partis II. Caput VII.

Obedientiæ Elephanti meminit.

HÆc tam clara est, ut nemo illam in hoc bruto, quô nihil est tractabilius, negare ausit: morigerum enim est, & suo Magistro decenti

centi obsequio assurgit: semel domitus Elephas omnia ab homine & pro homine perfert, & tanta hæc moles sæpè à pusione 12. annorum regitur, idque fit sine vi, (bacillo tantum καλαύροπι secundum Philostratum) aut levi ferro: etiam jugum subeunt Elephanti & currum trahunt, ut Oppianus tradit, & Romæ primus ostendit Pompejus, quem postea sæpè Principes secuti: nummi porrò & monetæ antiquæ id docent: hinc Ovidius Tristium *l. 4. eleg. 6.* canit:

> Quæque sui jussis obtemperat Inda Magistri
> Bellua, servitium tempore victa subit.

Meretur heic apponi, quod scribit D. Wolffgangus Frantzius in *præfat. histor. animal. sacræ*: tuo jussu, ô homo, Elephantus vel mediocribus collibus similis, tamen tuo Imperio & nutui subditur, & turres armatorum in aciem portat te jubente: ecce! cogita apud animum tuum, quantæ bestiæ tibi pareant & obediant, & hoc pacto simul eum, à quô tibi hoc dominium traditum est, perpetuis laudibus celebra: tu igitur, ô homo, erga DEUM tuum obedientiæ, patientiæ, pietatis & honoris studiis omnibus potius talem temet præbere gestias. Eleganter Passeratius de Elephanto in encomio canit ita:

> Sermoni auscultant patrio parentque monenti:
> Observant nutus & herilia jussa capessunt:
> Quod si fortè sui discunt præcepta Magistri
> Tardius, hæc secum noctu meditata requirunt.

Interdum tamen detrectant obsequia, præsertim in furorem acti: sic de quodam Elephanto scribit Hapelius *in relat. cur.* ad Regem Dialkan mittendo, qui recusavit abire, nisi socius ipsum comitaretur: de alio narrat ibidem, qui vi in navigium compulsus seipsum præcipitem dederit in mare: nonnunquam enim aquas intrare nolunt, cæteroquin Magistris suis obsequentes: præmissis autem fœminis mares secutos esse narrat Polybius *histor. l. 3.* proboscidibus, per quas respirant, supra aquam sublatis, per quas etiam, quicquid inciderat, efflabant, atque ita aquæ resistentes rectô quasi itinere ad ulteriorem ripam progrediebantur: horum quidam ratibus vecti præ metu in medio trajectu se dedere præcipites in flumen: quorum Indi omnes periere, reliqui verò servati sunt.

Jussi lapidem ad scopum jaciunt: armis utuntur, & ad nutum Rectoris omnia faciunt: ad omnia servitia tam in toga quam sago præstanda prompti sunt & parati: ubi progrediendum aut retrocedendum est, monet domitor, cujus vocem callet Elephas: Feri, inquit moderator belluæ, illum: ab illo tempera: sævi item in alios: abstine ab illis: animal cuncta subit imperata, eaque ad amussim explet æquè ac humanorum capax sensuum: quid est reliquum?

quum? discretis moribus fortitudine eximiâ præstat omnibus, ut scribit Ludovicus Romanus 4. Navius. *10. p. 232.* Sine duce & sessore nullis constrictus vinculis aut habenis, nudus & omninò liber per plateas præeuntem aut equô vectum in itinere Magistrum suâ sponte sequitur, parique passu cum illo ambulat.

Elephas quamvis terribilis sit & vastus corpore, adeò tamen homini obnoxius & subjectus est, ut tantam molem in ludicra verterimus & spectacula panegyrica: hinc eleganter Martialis:

> Turpes essedà quod trahunt bisontes,
> Et molles dare jussa quod choreas
> Nigro bellua nil negat Magistro:
> Quis spectacula non putet Deorum?

Inserviunt etiam ad pompam in spectaculis: Sic in Regno magni Mogolis sæpè in conspectum Regis producuntur, atrô colore cum lineâ rubrâ à capitis vertice usque ad imum ventrem tendente illiti, stragulis acupictis exornati cum tintinnabulis aut campanulis ex argentea catena utrinque pendentibus & capillamentis albis auribus affixis: sic ambulant in magna gravitate & quasi mirificè sibi placent. Elephas primarius procedit ad Regem duobus minoribus Elephantis tanquam famulis stipatus, quo cum perventum est, hamulo ferreo tactus â Sessore admonetur, ut Regem flexis genibus salutet, cujus nutui & imperio statim paret. Vid. Ol. Dappers Asiam *p. m. 222.*

Idem *pag. 246.* de prædicti Regis Archistratego scribit, quod peregrè abiturus vel exspatiaturus insideat Elephanto insigni & phaleris ornatissimo, quem plurimi Elephanti similiter compti cum copioso satellitio & Nobilium comitatu præcedunt & sequuntur. Ad Magni Mogolis servitia tenetur Chamus quotannis alere 50. Elephantos cum duodecim millibus equitum: idem proprios ad usus Elephantis semper est instructus, quorum ministerio utitur, quoties res postulat. Inter dona Leoni X. Pontifici Max. ab Emanuele Lusitaniæ Rege conspiciebatur etiam cum Indo Rectore militibusque turritus Elephas splendidè phaleratus, ad omnia imperata promptus, cum alia egregiè doctus, tum verò ad certa symbola Pontificem M. flexo poplite venerari, & lepidos edere ad tibiam motus, haustamque proboscide ingentem aquæ vim repentè in spectatores effundere.

Par-



Fol. 168. *Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.*

PARTIS II. CAPUT VIII.

Elephanti Intellectum Sermonis patrii enunciat.

NOn modo vernaculam linguam admirabili & recondita ſagacitate Indi Elephanti intelligunt, ſed etiam peregrinas, ſi eas edoceantur, ut ſcribit Garzias ab horto *hiſt. aromat. l. 1. c. 14.* Illud etiam ætati noſtræ claro innotuit experimento, illos Magiſtrorum ſuorum dicto audientes eſſe, eorumque juſſa exſequi, quâ de re in capite præcedente actum.

Chriſtophorus à Coſta rerum Indicarum peritiſſimus inter alias plurimas easque ſtupendas dotes Elephanto etiam loquelam asſignare videtur: dicit enim, ſe certum eſſe, quod hæc animalia in Regno Malabar interdum inter ſe colloquia inſtituant, ſe invicem intelligant, imò nonnunquam humanam vocem edant: ſuas etiam dialectos Elephantos habere, quas ipſi inter ſe intelligant, ſunt, qui affirmant: ubicunque naſcitur, indigenam ſermonem percipit: verbis domatur, inſtituitur, incitatur, revocatur, placatur, ad omnes uſus excolitur, ut ſcribit Alſted. *encyclop. l. 7. Phyſ. part. 6. cap. 5.*

In urbe Cochin modo dictus C. à Coſta refert fuiſſe Elephantum, ad labores in litore maris peragendos deſtinatum: huic aliquando valdè defatigato Gubernator urbis imperabat, ut Liburnicam jam dum loco motam ad mare pertraheret: diu renuit Elephas nimis delaſſatus: quid fit? accedit aliquis blanditiis ipſum demulcens, & petens, ut in gratiam Luſitaniæ Regis id negotii in ſe ſuſciperet: hujus precibus dictum factum annuit Elephas ſequenti voce prolata: Hooh, Hooh! quod Malabarico idiomate ſonat: Volo: Volo: & ſic confeſtim Liburnicam detruſit in mare: quod confirmat Oppianus ita canens:

Fama refert, voces etiam alternare Elephantos,
Et diſtincta ſuſurrare atque emittere verba
Inter ſe, & mentis barritu mutua ſigna
Prodere, tum ſocias ſylvis barrire loquelas:
Quas voces tamen haut facilè intellexerit ullus,
Ni cicuratores norint fortaſſe:

Elephas Anno 1629. Noribergæ viſus à Magiſtro ſuo interrogatus, an dominum ſuum amaret? an vinum ſit bonum? & ſim. reſpondit clara voce: Ho: Et ferè gallico idiomate: Oy. Sic pſittaci, picæ, ſturni, cornices loqui & garrire diſcunt: Sturni mentionem facit Plinius *l. 10. c. 21.* græcè atque latinè loqui docti. Vid. Ant. Deuſingius *de brutor.*

loquela p. 200. Sic de equo Hiobi *cap. 39.* dicitur, quod in aciem progrediens clangente buccinâ dicat: Euge, & eminus odoretur bellum, commotionem Principum & clamorem.

Nemini hoc mirum videatur: nam & Aristoteles *l. 4. hist. an. cap. 9.* animalibus loquelam non denegat, ubi hæc habet: at verò vox explanata, quam esse quasi locutionem brutorum dixeris: ibidem scribit, iis præcipuè animalibus formandæ locutionis facultatem datam, quibus lingua mediocriter lata vel tenuis est: quin imò paulò post lusciniæ locutionem assignat, quando eam modulos suos pullos docere ait, & versus, quos imitetur. Idem statuit Porphyrius *lib. 3. de abstinentia ab usu carn.* Plutarchus aliique.

Etenim animalia per varias articulatas voces varias quoque exserunt, promuntque animi affectiones: nam ut Porphyrius ait, alio modo cum timent, alio cum vocant, alio cum ad edendum invitant, alio cum benignè se mutuò excipiunt, alio cnm ad pugnam provocant, clamare & vocem emittere audiuntur.

Sic Venator ex latratus diversitate canem modò quærere vel capere leporem, modo illum invenisse, modo temere vagari animadvertit: item bubulcus bovem esurire, sitire, defatigatum esse, in Venerem ruere, vitulum quærere ex mugitu intelligit: Leo quoque rugitu minas profert, sicut lupus ululatu se fame affligi indicat; quâ re indigeant oves, opilionibus ex balatu perspectum est: neque bruta latet hominum vox, sive irascantur, sive blandiantur, sive vocent, ludant, sivè petere aut dare quicquam velint: sed omnibus ejusmodi vocibus accommodatè obtemperare conspiciuntur: quod fieri nullo modo posset, nisi simile intelligentia ad simile responderet. Similes enim articuli in unaquaque specie similes animi affectus indicant ac manifestant. Vid. Hieron. Fabricii *ab Aqua pendente Tractat. de loquela brutorum cap. 1.*

Miranda loquelæ brutorum exempla si quis desiderat, ea non solum in sacro codice, sed & in profanis inveniet historiis: de Bileami asina *Num. 22. cap.* legimus, quod Dominus ei aperuerit os, quo subjugale mutum animal hominis voce loquens prohibere Prophetæ insipientiam potuerit, *2. Petr. 2.* Referunt insuper historiæ, annô quô Tarquinius superbus Regno pulsus, canem & serpentem locutum esse: aliquoties etiam bovem in hominis verba prorupisse in Latio, eædem testantur: imprimis in agro Romano ante Cæsaris Dictatoris mortem bos arator ad Rusticum conversus hæc verba protulit: frustra stimulis se agi, prius enim homines quam frumenta defutura esse, bellorum Civilium certo præsagio: Gallnm in Ariminensi agro locutum esse, meminit Suetonius: sed & tempore belli Germanici, quod Imperator Carolus V. Principibus quibusdam Imperii movit, canem quendam in

Has-

Haſſia verba quædam diſtincta ac clara voce pronunciaſſe Melanchthon author eſt: de quibus & aliis videatur Fulgoſus *memorabil. lib. 1. c. 4. & ſeq.*

Inter prodigia refert Titus Livius, quod bos Cneo Domitio Conſule fuerit locutus, protuleritque hæc verca: Roma cave tibi *lib. 35.*

Nos his authoribus fidem ſuam vindicandam, & rem ipſam in medio relinquimus: admiratione tamen putamus eſſe dignum, quod Elephanti ſermonem patrium intelligant, Indorum ſcilicet Æthiopum atque Afrorum, & ubicunque naſcuntur. Præter Plinium *lib. 4. cap. 24.* Ælianus *lib. 48.* hæc habet: συνιῦσι γὰρ ἐλέφαντες καί γλώττης ἀνθρωπίνης τῆς ἐπιχωρίυ, i. e. capiunt & humanum ſermonem Elephanti, ſed indigenam: & Dio ſcribit: etiam hoc ajunt, eos patriam vocem audire atque intelligere. Nec alia res certior, inquit J. Lipſius *cent. 1. epiſt. 50.* Inſtitutionem eorum vides? linguâ fit: domituram? linguâ: incitationem, revocationem? linguâ: denique ut clavus navem, ſic animal hoc impellit dirigitque quô libitum humanus ſermo. De inſtitutione audi Ælianum *l. 13. c. 22.* Docentur, inquit, atque inſtituuntur ad varia ſermone vernaculô, cujus mirô quodam & ineffabili modô ac velit peculiari naturâ ſunt capaces.

De domitura Strabo *lib. 15.* ait: primum captos vinculis ac fame domant: deinde cicures eos reddunt manſuetosque, hos ſermone, alios cantu aliquo aut tympani ſonitu delinientes: de regimine toto: quotidiana olim exempla in bellis, in pace: atque item hodie: furere etiam cum incipiunt, & à ſe abire: ad mentem reducuntur oratione: credere id ſeriò nos monet Chriſtophorus Acoſta, cui fidem derogare nefas eſſet: Is gente Hiſpanus, profeſſione Medicus, ad novum illum orbis tractum abiit, quem Orientalem Indiam vocamus: diu illuc egit, luſtravit, ſcripſit, & inter alia de Elephantis non pauca viſa ſibi aut à viſoribus accepta: crebrum enim valdè & quotidiani uſus animal in iis locis: is inter alia in libro de aromatibus refert: aliquo morbi genere tentari quotannis Elephantos, quod haut diſtet à furore: cauſam amorem eſſe, & venire, cum ad eos venit Venus: tum bacchari eos, furere, obvios lædere, niſi vinculis coerceantur, quod fit ab incolis ſtudioſè: ſed hunc morbum non aliter tolli, quam verborum lénociniis: aſſiſtere belluæ Magiſtrum, increpare acriter, ac oſtendere fœditatem: tantamne belluam & Reginam aliarum ita dementire per inſanum amorem: vilitatem hanc eſſe & degenerationem à natura ſuâque ſtirpe: rediret ad ſe, & conculcaret hunc affectum, qui turpiter nimis ipſum: & his talibus, quæ etiam homini utiliter adhibentur, fieri medicinam; quomodo autem hæc fieri poſſent, niſi hæc omnia non ſolum audiret, ſed & caperet?

In Regno Pegu Elephantos, præsertim fœmellas intelligere sermonem patrium, author est Gotthardus Arthusius *part. 7. Ind. Or. cap. 38.*

De Elephanto, cui nomen Hannonis inditum fuerat, ab Emanuele Lusitaniæ Rege ad summum Pontificem Leonem X. misso refert Pierius, quod nulla ratione aut vi adduci potuerit, ut navem conscenderet: Regem verò non latebat, dolo Magistri id fieri, qui suasisset bestiæ, in longinquas Regiones sibi esse abeundum, ubi malè haberetur: neque enim ipse Magister libens discedebat, ne amasiam suam quam deperibat, in Patria relinquere cogeretur: quo audito dura quæque Rex Magistro minatur, nisi belluam induceret, ut intra triduum navem conscenderet, & destinatum iter capesseret: paret territus Regis comminatione Magister, ac discipulum Hannonem aggreditur, eique proponit Regis voluntatem, & quod ad primnm orbis Dominum ac magnum Principem destinaretur: benè illi ac lauta omnia futura, multaque his similia: his auditis in aliam sententiam perductus Hanno navem conscendit, nec amplius directoris sui jussa capessere recusavit.

In Insula Indiæ Zeilana Elephanti, qui alios staturâ superant, etiam peregrinas linguas addiscunt: quas illos intelligere Metellus author est: cui subscribit Helmontius *in demonstrat. thes. p. m. 674.* inquiens: imò & Elephantos pudet, si quid minus generosè improperetur à se factum: quod sanè fieri non posset, si non caperent illa, quæ illis dicuntur. Linguas & idiomata illos intelligere patet ex hoc, quod Plinius *libro 8. cap. 1.* tradit de Elephanto quodam, qui maria transiturus non antea navem voluit conscendere, quam sibi jurejurando à Rectore promitteretur reditus: cui Ælianus *l. 4. cap. 23.* adstipulatur, ubi scribit: cum Indi capiunt Elephantos ætate infirmos ac teneros, illos ciborum illecebris ac blandiloquentiâ mansuefaciunt: nam indigenarum hominum linguam Elephanti intelligunt, & ut summatim dicam, perinde eos quasi infantes pueros, tum eis cibaria largientes, tum disciplinas tradentes alunt.

Dissentit verò P. à S. T. *in Itinerar. Indico pag. 388.* negans, illos humanam vocem intelligere, sed saltem ex gestibus Rectorum amorem vel odium exprimentibus diversimodè affici.



fol. 173.

Jacob Petrus Sculpsit Erffurti

PARTIS II. CAPUT IX.

Elephanti Docilitatem atque ad Exercitia Habilitatem ostendit.

VErè Ælianus de Elephanto testatur, quod natura illum non modò insigni præ aliis animalibus magnitudine ornaverit, sed & disciplinâ mansuetum & tractabilem fecerit: hinc illum aliô in locô vocat animal φιλόσοφον καὶ θυμόσοφον: mira enim, inquit, Elephanto est ingenii facilitas, tantumque in discendo obsequium & promptitudo ad eas disciplinas assequendas, quæ ad discendum difficiles sunt homini ipsi, nedum tam ingenti bruto.

Elephantus omnium ferarum mitissimus & placidissimus est: quippe qui ad multa officia eruditur & intelligit: quandoque enim Regem adorare condiscit: valet sensu, & ingenii sagacitate excellit, ut scribit Aristoteles *H. A. l. 9. cap. 46.* In theatris partes suas optimè agit, seque ad omnia exercitia accommodat: conformat corpus ad omnes ex arte motus & gestus: discit ea, quæ ægre capit homo: proinde non audiendum esse Digbæum existimo, qui Elephanti docilitatem in dubium vocat.

Augerius Gislenius Busbequius in sua primâ Epistolâ narrat, se Constantinopoli Elephantum vidisse pilâ ludentem & tripudiantem: pilam proboscide terræ allisam, iterumque in se conjectam eâdem excipiebat: tripudia verò exercebat, unum pedem post alterum ad musicos numeros artificiosè tollendo, atque sic concinnè saltando: omnia enim discit, hinc ab alaph Hebraico, quod discere significat, Elephas dictus, siquidem corpus ad omnem artificiosum gestum pulchrè conformat.

Ælianus *lib. 11.* tradit, eos ad numerum saltare, tibiæ sonorum differentiam intelligere, cursum tardare ad soni tarditatem, seque remittere, ad remissionem rursus cum acutus sonus impellit festinare.

Germanicus Cæsaris Tiberii nepos cum Romæ spectaculum gladiatorum ederet: in theatro populo Romano inter alia exhibuit XII. Elephantos stolis indutos in orbem saltantes, modestè pedibus terram pulsantes, & flores in pavimentum spargentes: vulgare in iis fuit, arma in altum jacere, gladiatorios congressus exercere, per funes incedere, plenisque hominum tricliniis ita libratis vestigiis per lectos ire, ne quis potantium attingeretur, Nic. Perottus in *Corn. Cop. p. 691.*

Sin-

Singulis plenam fidem adhibet Thomas Bartholinus *Histor. anatomic. Centur. 5. histor. 31.* qui oberrantem per Europam Elephantum vidit gladio pugnantem, bombardam minorem explodentem, nummos ex astantium crumenis proboscide venantem, pileô Spectatores salutantem, eundemque capiti possessoris ope proboscidis rursus imponentem, genua submittentem, procumbentem, subitòque iterum resurgentem, proboscidem ad nutum ascendentis custodis flectentem, & reconditos in faucibus nummos educentem, ut adeo credibile sit illud Ciceronis & Plinii *l. 8.* scribentis, illum proximum esse humanis sensibus.

Obeunt plura exercitia militaria: jussi sclopetum humi positum attollere, illud militum more dextrè proboscide prehensum elevant, præsentant & erigunt, & humerorum locô fronti mediæ imponunt, tandem jussi illud explodunt & exonerant. Pileū mandatô Magistri detrahunt de capite, eundemque iterum aptè proboscide reponunt, eademque vexillum arreptum dextrè vibrant, etiam ad numerum à Rectore præscriptum: jacentem in terrâ nummum beneficiô parvæ prominentiæ in proboscide sublatum offerunt spectatoribus, quos in sublime sublatos circumgestant: in dorso collocatos plures pueros aliquandiu per circum portant, tandem posticâ parte subsidentes eosdem innoxiè delabi faciunt: Dominis suis reverentiam debitam exhibent incurvantes genua, & coronas porrigunt: jugo colla submittunt, Magistrorum suorum nutus observando: præterea calceis ferratis solum fodicant, nec inutiliter alimenta sua consumunt: multa insuper commoda hominibus præstant, quos etiam valdòperè, præsertim autem mulieres amant. Ubicunque nascuntur, indigenam sermonem percipiunt: habent ingenium belli pacisque artibus idoneum: pro defendendis suis pugnant usque ad extremum spiritum: si contra hostes & belluas certamen ineundum, ratione certâ aciem disponunt, tela & spicula vulneratis tanquam Chirurgi leniter educunt: infirmos, fessos & vulneratos in medium agmen recipiunt, & ad omnia se promptos & paratos esse re ipsâ demonstrant.

Elephas à Clarissimo Sturmio visus à Magistrô interrogatus, an Imperatorem Romanum & quâ parte corporis amaret, proboscide intra pedes anteriores reflexâ pectus & cordis locum aliquoties percussit: similem honorem amoremque Turcarum Imperatori exhibere monitus constanter renuit, increpitus cum indignatione, capitis succussione & fremitu id facere recusavit, odium contra communem Christianorum hostem abundè sic contestatus. Vide ejus exercitationem de Elephanto *cap. 3.*

Elephantum se vidisse Arrianus *in lib. de rebus Indicis*: ubi τὸ θυμόσοφον



Fol.175. *Jacob Petrus Sculpsit Coffurti.*

& docilitatem commendat, refert, qui, cum in auribus haberet bina appensa cymbala, promuscide alternatim ea tangebat ad rhythmum, saltabatque pro rhythmi ratione, cæteris eum imitantibus choreamque ducentibus. Vid. Hieron. Cardan. *l. 10. de animal. perfect. p. m. 548.* quod admiratus Gassendus *Phys. sect. 3. l. 11. cap. 1.* ita scribit: Ecquis facile capiat, tenue illud, quodcunque est intra Elephanti corpus, quod si animam seu spiritum, seu aliud quodvis principium motûs concipimus, posse illam tantam molem agitare, ac ad tripudium etiam velox concinnumque componere? ac tantô magis, quantô ubi tenue illud intra id corpus non amplius vi get, tantâ externâ vi opus sit, ut vel minimum locô moveatur: sed nempe ad hoc quoque primum facit eadem natura animæ ignea, quæ tametsi sit flammula pertenuis, sui tamen mobilitate idem proportione præstare intra corpus valebat, quod flammula ex pulvere pyriô intra tormentum bellicum: dum scilicet non modò globum tantô propellit impetu, sed tantâ etiam vi depellit totam machinam: ex quibus Gassendi verbis Th. Willisius *tractat. 1.* de morbis convulsiv. *cap. 1.* suam elasticam seu de explosione assertionem stabilit, quem vide sis.

Athanasius Kircherus in *Chin. illustrat. p. 79.* refert: Magnum Mogolem sæpe delectari Elephantorum inter se congressibus & pugnis: illi in arenam producti in genua procumbunt, quâ reverentiâ Regem salutant: deinde signô datô inter se tam acriter pro victoriæ gloriâ dimicant, ut vix ac ne vix quidem à se divelli possint: finitâ tandem pugnâ proboscide se invicem complectentes pacem rursus cum spectatorum admiratione ineunt.

Ælianus refert, Indorum Regem olim aluisse locô stipatorum viginti quatuor Elephantos custodes corporis, alternis vicibus & vigiliis aliis in priorum stationem succedentibus: apud Indos enim ad vigiliarum disciplinam erudiuntur, ne inter custodiam somnum capiant: siquidem vigilantissimi sunt excubitores, à somnô invicti, & hominibus fideles: illorum unus ex præcipuis flexis genibus salutavit Regem toties, quoties id ipsi fuit injunctum: quam reverentiam Imperatori Domitiano alium Elephantum suâ sponte exhibuisse, author est Martialis in subsequente epigrammate ita canens:

Quod pius & supplex Elephas Te Cæsar adorat,
Hic modò, qui Tauro tam metuendus erat:
Non facit hoc jussus nullôque docente Magistrô:
Crede mihi: Numen sentit & ille tuum.

quô ipsô Poëta blanditur Domitiano, quod ab Elephantô adorari visus sit, tribuens hoc divinitati Principis, eô quod Elephas nullô docente Magistrô illum DEUM esse intellexerit. Vid. Nic. Perott. *Corn. Cop. p. 691.*

Josephus Barbarus in suô itinerariô in Persiam describens quoddam convivium Persarum, cui ipse interfuit, tradit, inter spectacula aliorum animalium duos etiam productos fuisse Elephantos, qui, cum in conspectum Assambei Regis Persarum venissent, ad certa quædam ductoris verba devotè ipsum intuebantur, & quidem gravitate non indecente caput inclinabant, eique reverentiam exhibebant.

Docilitas in illis est magna, inquit Plinius, siquidem Regem adorant, genua submittunt & coronas porrigunt: Hinc pulchre Passeratius in encomio Elephanti canit:

> Submissis genibus, porrectisque arte corollis,
> Purpureos Reges, augustaque sceptra salutant.

præterea lapides ad scopum jaciunt, tympana proboscide artificiosè celeriterque pulsant, &, quod admirationem meretur, omnemque ferè fidem superat, legere & scribere discunt.

Romæ aliquando indociliorem fuisse Elephantum proditum est, qui à suo Magistro increpitus & castigatus noctu visus est ad umbram lunæ institutionis documenta attendere, meditari & exercere; verùm hæc non tam videntur admiranda, quæ utplurimum fame Magistrâ discere coguntur; magis admiremur illa, quæ sæpè faciunt, nullâ unquam ferè disciplinâ instituti.

Annô 1600. Vice-Rex Indiæ Hispaniarum Regi Elephantum misit, qui linguam Italicam & Lusitanicam accuratè intellexit: nam omnia, quæcunque illi in una ex his linguis mandabantur, promptè expediebat: videbatur amare Musicam, nam eâ auditâ proboscide tactum seu mensuram denotabat: Er führete den Tackt mit dem Rüssel. Satis evidenter quoque apparebat, animal hoc Magistri sui iram & indignationem percipere potuisse: nam quoties Magister illi succensebat, toties tristitiam suam ejulatu prodere studebat, nec prius cessabat, quam Magister illum blanditiis iterum demulceret. Vid. Histor. Æthiop. Or. P. Johannis dos Santos Dominicani Parisiis Annô 1684. impressam *pag. 172.* Sunt, qui statuunt, Elephantos non intelligere verba, sed sonô verborum auribus haustô spirituum motus ob diuturnam assuefactionem consequi, qui utplurimum plagis & verberibus prius affectis obtingunt. Sic videmus equos, boves & alia animalia stupida pro lubitu in utrumque latus deflecti à solô sæpius auditô verborum sonô, cui postea spirituum motus succedit.

Robertus Coverte Anglus, qui annô præteriti seculi octavô Indias perlustravit, refert, coram prædicto Magno Mogole quotidie dimicare 50. Elephantos auro & argento exornatos buccinarum clamore illos ad certamen accendente, in quo certamine sæpè lethalia sibi infligunt vulnera, nec alio modo hæc dimi-

catio, quam objectis pyrobolis dirimi potest: idem recenset, se vidisse unum Elephantum duos equos sylvestres atque feros sic occidisse, proboscide nimirum collo injectâ & cervice cornibus fractâ: ubi pugna desiit, brabeum accipiunt arundines saccharatas, ut & vinum saccharo dulcoratum, quibus cupediis impensè delectantur: lautè enim communiter in Indiis hoc animal tractatur.

Author rerum Asiaticarum & Africanar. memorabil. *pag. 178.* mentionem facit alterius pugnæ Elephantinæ ibidem celebrari solitæ: construuntur scilicet ex terra duo aggeres 5. vel 6. pedes alti: in utroque spectare licet Elephantum cum duobus sessoribus bestiam ad certamen incitantibus, qui tanta cum ferocia congrediuntur, ut capitibus cornibusque inter se collisis magnus fragor audiatur, parumque absit, quin ad internecionem usque sic dimicent: igne superinjecto postmodum dirimitur pugna, quæ post interpositam modicam quietem rursus incipit tantò cum fervore, ut dirutis aggeribus alter debilior victori cedere & aufugere cogatur: horrendum est visu, quando interdum sessores proboscide detracti miserè pedibus proteruntur: hinc in arenam descendentes domesticis suis ultimum vale dicere consueverunt: superstites Rex donat 50. argenti cusi libris, eorumque salaria auget: interemptis verò succedunt filii pari fatô fortè aliquando immolandi: nec spectatoribus semper hisce spectaculis impunè licet interesse, siquidem nonnunquam usu venire solet, ut unus vel alter ab irruentibus bestiis vel incumbente turbâ pedibus conculcetur, atque sic miserè pereat.

Ingenium iis docile & facile, aptum ad omnes artes sive belli sive pacis: ac in bello quis non ingenium eorum admiretur? sive cum belluis sive cum hominibus jussu hominum pugnandum sit: dirigunt enim velut consilio aciem, defessos ac infirmos in medium agmen recipiunt, in fuga ipsa suos non deserunt, sed gregatim abeuntes circumdant & propugnant: instituuntur veluti milites ad prælia: bellatores non solum dorsô ferunt, sed & ipsi bellant: propugnant suos: impugnant hostes: denique eô veniunt, ut munia etiam omnia militaria usurpent. Ælianus *lib. 12. cap. 22.* author est, Elephantos decorè actus bellicos edere: ex iis viginti quatuor Indorum Regi assistere, & excubias agere, ut fidissimos quosdam corporis custodes: atque ita agere, ut alternatim in stationem succedant sine somnô quidem aut conniventiâ oculorum: à peritissimo milite, dic, sodes, quid aliud exspectes?

Ad omnem ex arte motum aut gestum corpus conformant: ingeniculari, submittere se & adorare Reges docentur, ut legimus apud Aristotelem *H. A. l. 9. cap. 46.* Saltant etiam & choreas ducunt: hinc

Plutarchus scribit: ὀρχήσεις τε μανθάνει καὶ χορείας, καὶ προσκυνήσεις: tantum autem abest, ut indecorè saltent, quin potius ad numerum & sonum tibiæ vel tubæ corpus impellant satis concinnè, modò lentô, modo velociore gressu. Tempore Tiberii Romæ XII. Elephanti in Theatrum producti pulchrè phalerati & instructi cum stupore spectatorum artificiosè saltarunt referente Æliano *l.2. c.11.* hic non immeritò miratur, quòd animal rationis expers numerum & cantum percipiat, formam & ornatum teneat, â saltando non abhorreat, atque in omnibus suo directori pareat & adsurgat.

Tibiæ cantu demulcentur, cursum tardant ad soni tarditatem, seque remittunt ad remissionem tibiæ, rursum cum acutè sonans impellit, festinat, discendo assequi omnia Elephantus solet: feritate expulsâ secundum Ælianum Musicâ delectantur: tympanorum sonò non terrentur, pedum ingredientium strepitum cantumque miscellaneum ferunt, & sic exercentur ad hominum multitudinem non formidandam: ad gravem plagæ ictum non excandescunt, coacti ad saltandum membra decenter flectunt: in spectaculis edunt egregia specimina, ostendantque, se rectè institutos esse, suosque Magistros in ipsis erudiendis oleum vel operam non perdidisse.

Gesnerus *l. c.* vidit Elephantum cymbalô ludentem, aliosque saltantes: cymbala autem singula utrique cruri anteriori appensa erant, & aliud proboscidi: ille alternis in cruribus utrumque cymbalum proboscide feriebat numerosè: cæteri circumsaltantes tripudiabant, & anteriora crura alternatim tollentes & flectentes ingrediebantur cymbalorum sonitu admoniti. Vid. Arrianus in Ind. Idem tradit, Elephantos, cum præ dolore aut vulnere à pabulo abstinent, ab Indis circumstantibus tympanorum ac cymbalorum pulsu cantuque exhilarari & demulceri: imò verò ajunt, Indicos, omnium ferocissimos, adeò, ut difficulter cicurari possint, ad instrumenti Musici pulsationem cantilenarumque modulationes animum intendere, auresque ad audiendum arrigere, atque hinc ita mitigari, ut ferè nullo alio commento deponant feritatem.

Norunt sua nomina: coronas porrigunt: ad scopum jacula projiciunt, bombardas explodunt & mox terga vertunt, armis utuntur more gladiatorum ea in sublime jaciendo & inter se digladiando: quin & in præliis gladio proboscidi alligatò strenuè olim pugnarunt, obvium quemque prosternentes: in spectaculis sæpè eas gestuum figuras & varietates effinxerunt, quarum elegantiam difficile sit humanæ industriæ exprimere, ut Plutarchus scribit libro de industria animalium. Pulchrè de hâc re canit Passeratius in encomio Elephanti:

In numerum ludunt, & flectunt mollia certis

Membra

Membra modis, unctæque cient simulacra palæstræ:
Treicios memorem, veluti moderante lanistâ,
Congressus? aut ut celeres jactata per auras
Martia tela cadant, clypeique rotentur in orbem.

Secundum Strabonem etiam natare discunt, quod tamen à naturâ Elephanti videtur esse alienum, siquidem aquas profundiores horret.

Vulgare erat arma per auras jacere, non auferentibus ventis, (ut scilicet iterum jacta reciperent) Germanici Cæsaris munere gladiatorio congressus, & saltantium modo inconditos motus edere, aut lasciviente Pyrrhiche colludere: (πυῤῥίχη est genus saltationis enopliæ, quæ olim ab armatis peragebatur,) denique in theatris eos gestus effingere, quos vix Pylades aliquis aut Bathyllus: in spectaculis Elephas ostendit eas gestuum figuras, quas homini exprimere foret difficile. Vid. Plin. *H. N. l. 8. c. 1.* & Plutarchum supra *loco citato.*

Romæ quidam Elephas gyros difficiles facere doctus, propter tarditatem à Magistro suo aliquoties increpitus noctu ad Lunam sua sponte se exercere deprehensus est. Ille, quem Emanuel Rex Lusitaniæ Leoni X. Pontifici dono miserat, eundem de fenestra prospectantem ter genibus flexis & demisso corpore venerabundus salutavit, Osorio prodente.

Elephas Anno 1563. Maximiliano, tum temporis Romanorum, Bohemiæ ac recens coronato Regi Hungariæ, postea Romanorum Imperatori muneris locò ex Hispania transmissus, in Belgio conspectus est, cujus statura octo pedes excedebat, quanquam annum nonum nondum attigisset: hunc adeò perdomitum & mansuetum fuisse ferunt, ut viris pariter ac mulieribus eleganti genuum inflexione debitum honorem deferre potuerit. Vid. Mich. Casp. Lundorpii *Continuationem Sleidani l. 4. p. 381. in fine.*

Mensis accumbunt humanum in modum satis urbanè & modestè, ut prodit Ælianus *lib. 2. cap. 11.* scribens: Romæ olim in theatro aliquot mensas stratas, apposita pocula aurea & argentea, cum aqua, vino, pane, carne, fructibus aliisque cibis, & postmodum deductos fuisse XII. Elephantos, sex mares, totidem fœmellas, illos togatos, has stolatas: qui signo dato mensas accedebant miro ordine, cibum non avidè, sed modestè capientes, & pro siti levanda aliquot aquæ & vini pocula lepidè promuscide exhaurientes: deinde circumstantes leniter & festivè sine contumelia aspergentes & cottabum facientes. Mimi Magistrique officium exhibere, & aliis saltantibus choreasque ducentibus præire Elephantum se vidisse refert Arrianus.

Primarium quendam Mercatorem Batavum apud Ceilonenses Elephantum habuisse variis artibus

& exercitiis instructissimum memorat Christophorus Frick in der Ost-Indianischen Reise *de anno 1692. p. 122. & seqq.* Hic sæpè in gratiam advenarum illum jubebat ad se adduci, ut coram ipsis sua exercitia exhiberet, inter quæ potissimum fuit sequens admiratione dignum: pons erat exstructus super alveum profundissimum, in quem se conferebat Elephas, cui Magister grande panis frustum offerebat, quod assumens Elephas sonante signo ex percussâ pelvi orichalceâ datô se supinum præcipitem dedit in alveum, adeò ut prorsus aquis mergeretur, & sat diu sub undis lateret, ex quibus tandem emergens ad Dominum suum se contulit genibus flexis, devoratumque panem cum magna aquæ copiâ evomuit.

Ad ludos & spectacula olim adhibitos fuisse Elephantos constat: M. Julius Philippus Arabs seculares ludos celebravit, qui inter alias bestias XXXII. Elephantos, totidem Alces, X. Tigrides, totidem Leones, LX. Leopardos, XXX. Hyænas, X. Camelopardos Spectatoribus exhibuisse memoratur.

Funambulos Elephantos repertos esse, omnem ferè fidem superat: cujus tamen rei testis est Plinius, qui *l. c.* scribit, fuisse visos, qui per funes incesserint, repertumque fuisse unum tardioris ingenii sæpius ob id verberibus castigatum, noctu ambulationem in fune tentantem, id quod confirmat Suetonius de Claudio Cæsare, qui inter alios ludos aliquando Romæ Elephantos funambulos exhibuit: Elephantum mimus Æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem, verba sunt Senecæ *Epist. 85.* Hinc Passeratius in encomio Elephanti eleganter scribit Elephantos

> Per extentum solitos conscendere funem,
> Sublimesque gradus librare per aëra, vulgò
> Attonitô frustraque graves metuente ruinas.

Confirmant hanc rem etiam alii Authores fide-digni: in tanta enim corporis mole admiranda est agilitas: mirum maximè, & adversis quidem funibus subire, sed regredi magis, utique pronis: quorum verborum Plinii hæc mens est secundum J. Lipsium *l. c.* quod & ascendant per extentos funes adversi, & regrediantur etiam per eosdem proni. Suetonius in Nerone & Galbâ hæc habet: notissimus Eques Romanus Elephanto insidens per catadromum decurrit per funem in theatro extentum: interpretatur id Dio. Cassius: Elephas schœnobates ad superius theatri fastigium conscendit, per funes decurrit sessorem ferens: nam Nerone in honorem matris ludos faciente introductus est Elephas in theatrum, isque conscendit in summum fornicem, atque inde etiam, cum Sessorem Rectoremque suum humeris ferret, paratum ibi funem omni spectante populo inambulavit, uti fuerat edoctus, non

non aliter atque inambulant homines, quos funambulos appellamus: illud autem dum funem inambulat, illi est difficilè, quando pronus è fune descendit: facilius enim ascendit memorante Plinio *l. 8. cap 3.* Hoc genus spectaculi exhibuisse Sergium Galbam, qui postea Imperator factus, Suetonius meminit, inquiens: Præter commissionem Ludorum Floralium novum spectaculi genus, Elephantos funambulos, dedit: cum tamen vastissimum hoc animal propter vastitatem & altitudinem per Romanas portas vix ingredi potuerit, de quibus videsis Plutarchum & Xiphilinum.

Notum est de Porò Indiarum Rege, quem Alexander Magnus Regnô exuit, quod habuerit Elephantum, qui, jussus â Rectore se demittere, statim procubuit in genua: qui etiam Rege in præliô graviter vulneratô leniter corpus inclinavit, ut Rex facilius descendere posset, sagittasque ex vulnere proboscide extraxit. Hinc Chirurgiam callere Elephantos atque ex vulneratorum corporibus tela, spicula & hastas citra læsionem extrahere posse Ælianus tradit *l. c.*

Hier. Cardanus *subtil. l. 10. de animal. perfect.* scribit, se vidisse Reginæ Bohemorum Mariæ filiæ Caroli V. Cæsaris Elephantum juvenculum tam docilem, ut sessorem suum planè non secus quam homo alium intelligeret: imperabat, admonebat, unô verbô tantum opus erat: inter reliqua cum ascendere vellet Rector, dextrum crus flectebat, utque sensim ascenderet, illud elevabat: baculum quo regebatur, ubi excidisset, promuscide arreptum porrexit sessori, quem adeò diligebat, ut ab illo admonitus, quod abscondíturus esset se in cœnaculo majore, cum aliquis diceret: Sessorem tuum quærito: ad illum rectâ iverit, inveneritque, invento mirum in modum blanditus. Hos præfectos & Magistros Elephantorum Aristoteles vocat ἐλεφαντιστὰς καὶ ἐλεφανταγώγους, item ἐλεφαντάρχους. Strabo *lib. 18.* χορτοφόρους καὶ διδασκάλους vocat.

Elephantos ob memoratas dotes in ludis à populo Romano honoratos & collatione stipis & assibus donatos legimus apud Alexandrum ab Alexandro genialium dierum *lib. cap. 24.*

Partis II. Caput X.

Elephanti humanitatem, φιλανθρωπίαν, lenitatem & mansuetudinem prodit.

Quo quis nobilior est, eô clementior, mansuetior, placabilior in victos, imbelles, prostratos, profligatos & inimicos: ut non

aliunde

aliunde magis quam ex eâ virtute nobilitatem cognoſcas, aut ex contrariâ naturâ ignobilitatem: nec quidem generoſarum ferarum eſt, inquit Seneca *lib. 1.* de clementiâ, mordere & urgere projectos: Elephantes Leoneſque tranſeunt, quem impulerunt: ignobilis beſtiæ pertinacia eſt, ſcribit A. Tiraquellus *de Nobil. cap. 37.* Cum itaque Elephas moderatum animal ſit, meritò Regis nomine gaudet, tum ob alias virtutes, tum ob clementiam & manſuetudinem, inquit Pierius Val. *hyeroglyph. l. 2.* Non ergò ſecundum Poetam:

> Sæva decet Regem, nec inexorabilis ira.

Strabo *lib. 15.* de Elephantis Indicis agens hoc illis tribuit encomium, quod facilè manſueſcant & ſint naturâ mites, atque ſic ad animal ratione præditum propius accedant: & quemadmodum ſecundum Homerum:

> - - - ἀκεςαὶ δὲ φρένες ἐσθλῶν,

placabiles ſunt animi bonorum: ita & Elephas totus placidus & placabilis eſt: nam ſecundum Ovidium:

> Quò quisque eſt major, magis eſt placabilis iræ,
> Et faciles motus mens generoſa capit.

Non ſolum vaſta corporis mole Elephantum natura ornavit, ſed & diſciplinâ manſuetum & tractabilem edidit: hinc Elephantô ad morum manſuetudinem & facilitatem erudito nihil mitius, nihil ad id, quod volumus, obtemperantius eſt: ſiquidem eſt animal admodum mite ac placidum, ita ut â puerulô regi poſſit.

Robertus Coverte *in Itinerar. c. 16.* ſcribit: ſe in Indiis Elephantum non unum vidiſſe, qui Regis ephebum proboſcide leniter apprehenſum capiti impoſuerit, & poſt brevem moram ſine omni noxâ detractum in pedes iterum ſtatuerit atque repoſuerit ſalvum & incolumem: amicum eſſe homini eumque ſingulari amore complecti Cicero innuit, dum *lib. 3. de Nat. Deorum* ſcribit, quandam huic belluæ cum genere humanô ſocietatem eſſe: id quod confirmat Philoſtratus *de vita Apollonii l. 2.* ſcribens: ubi ſemel cum homine conſueſcit, ab eo omnia pati, ex eoque morum ſimilitudinem in ſe transferre, neque aliter quam parvum canem ex hominis manu gaudere cibum ſumere, atque ad ſe accedentem promuſcide complecti, eumque caput intra fauces immittere facilè & tamdiu pati, quoad homini libitum fuerit. Vid. Jonſton, *hiſt. nat. de quadruped. lib. 1. cap. 5.*

Læſis hominibus illos Medicinam facere, & quaſi miſericordiâ erga illos tangi conſtat: ſpicula enim aut infixa tela proboſcide ſuâ extrahunt, & ut Plutarchus ait ἄνευ παραγμοῦ ῥαδίως καὶ ἀβλαβῶς, ſine avulſione facilè ac ſine noxa, prorſus ut peritiſſimi Chirurgi: quin & aloes lachrymas vulneribus inſtillari ab iis Philoſtratus aſſeverat.

Quanta



Fol.183. Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.

Quanta fides eorum in Dominos, quam usque ad extremum Spiritum pro iis pugnent, ſatis claret vel ex unô illô Elephantô Pori Indiarum Regis, de quo Plutarchus librô *de ſolert. animal.* ita ſcribit: Porô Indorum Rege vulneribus confectô, Elephantum ſenſim ac leniter multa ſpicula promuſcide extraxiſſe, & ipſum jam malè affectum non prius tamen procubuiſſe, quam ſentiret Regem exſanguem delabi: tum demum, ne corrueret, paulatim ſe demiſiſſe, ut Rex commodius ſe ad terram inclinare poſſet.

Trita & nota hiſtoria eſt illius, qui Ariſtophani Grammatico præbuit ſe corrivalem, narrata à Plinio & Plutarchô in libellô πότερα τῶν ζώων &c. Mulieris enim formâ hoc animal capitur, & quaſi hebeſcens ad ejus pulchritudinem remittit furorem ſecundum Ælianum: libidinoſo amore ardet in ſexum humanum fœmininum, ut ſcribit Alſtedius *encyclopæd. l. 7. c. 5.* modo dictus Ariſtophanes Alexandriæ in Ægypto deperibat quandam Corollariam, quam pariter amabat Elephas: uterque ſtudebat placere ſuæ amaſiæ omnibus modis: nec minus ſtudii aut ingenii fuit Elephanto ad declarandam & mitigandam amoris flammam, quam illi literato viro: forum, in quo ea deſidebat, non deſiſtebat Elephas crebrò adire, mulieri aſſiſtere, ſuſpirare, poma aut flores afferre, proboſcidem in ſinum ingerere eâque mammillas blandè palpare & contrectare, & nihil omittere, quod fortè faceret Venereus aliquis nepos.

Similem hiſtoriam Ælianus refert *lib. 7. cap. 43.* atque ex eo J. Lipſius *l. c.* In Antiochia Syriæ urbe Elephas inter cicures more ſuo ad paſtum vadens vidit fortè mulierem haut inſcitam, pariter Corollariam: vidit: periit: aſſiduus ille apud eam, promuſcide faciem & manus lambere, tergere, & quomodocunque poterat blandiri, ſeque inſinuare: quin & illa redamavit, corollas & flores aliasque amoris illecebras ſæpè offerens: cum perſeveraſſet diu mutuus hic amor, mulier, ecce! morbô ſublata abiit ad plures: Elephas hujus deſiderium non tulit, nec ultra mentis ſuæ compos ob amaſiam amiſſam verſus eſt in furorem, perinde ac homines mœrore laborantes ex poteſtate animi exeunt. Ab alio unguentariam quandam forma præſtantem fuiſſe dilectam Juba tradit: conſtantis amoris fuerunt argumenta gaudium à conſpectu, blanditiæque inconditæ, ſtipesque, quas populus dediſſet, ſervatæ & in ſinum effuſæ. V. Plin. *l. 8. c. 5.*

De Rhinocerote idem narratur, quod eleganter exprimit Poëta hujus ſeculi famigeratiſſimus J. Rempenius, Profeſſor Helmſtadienſis in deliciis Parnaſſi ſequenti metrô:

> Aut velut torpens rabies reſidit,
> Virginis vultus ubi forte vidit,
> Et cadit robur furiis remotis
> Rhinocerotis.

Formoſos homines utriusque ſexus depereunt, quibus orbati

maximâ triſtitiâ afficiuntur: Menandrum Syracuſanum quendam tantopere amavit Elephas, ut ejus deſiderium, quoties ipſum non videret, inediâ conteſtaretur: id quod de quodam juvene in exercitu Ptolomæi militante etiam Plinius refert *l. 8. c. 5.* Infantes etiam & pueros efflictim amant: cujus honeſti ac fidi amoris exemplum legimus apud Athenæum *l. 13. cap. 30.* Ælianum *libro 10. cap. 14.* Antigono Regi Elephas fæmina fuit, evenit autem, ut in obſidione oppidi Megarenſis puerum pareret uxor Indi Elephantiſtæ: is ſuâ linguâ commendat infantem inter bellicas turbas Elephanto, cui nomen fuit Niceæ: capit is hæc feriò in fidem, & omnia officia exhibet, quæ piiſſima aliqua mater ſive nutrix: infans ante pedes ejus deponi debebat, niſi id fieret, cibum non capere, iram & dolorem omnibus ſignis oſtendere: gaudere contra eô adjacente, & tum cunas movere ad oblectandum aut ſomnum conciliandum: tum ventilare & pellere muſcas, quod faciebat ſanè ſcitè, arundinis ramum promuſcide ſuâ motitans: atque eadem officia interdum etiam deferebat infanti Elephas maritus. Athenæus *l. c.* de aliô quôdam narrat, quod infantem tenerum cibo ſaturatum juxta crura ſua poſitum blandè tractaverit, muſcas dormienti abegerit, & plorantis cunas proboſcide agitaverit.

Elephantos quoſdam ſuos ſeſſores in prælio excuſſos contra vim hoſtium tutatos eſſe, ſeque pro illis morti objeciſſe compertum eſt: nonnulli ſublatos ex prælio extulerunt ad ſepulturam, ut ſcribit Arrianus: quidam aurigas ſuos in conflictu vulneratos & ſanguine exhauſtos ex pugna ſublatos eripuerunt ac ſervarunt: fuêre, qui defenderint eos, qui in pugna anteriores pedes Elephanti pro refugio & aſylo petierant.

Cum Pyrrhus Epirotarum Rex ad Argos occubuiſſet, fuit in eo conflictu Elephantus, qui ſeſſorem ſuum tantoperè amabat, ut non prius, licet Auriga ſeu Elephantagogus jam cecidiſſet, currere omiſerit, quam ſuum nutritium ex hoſtibus ereptum ſervaſſet, & in loca tuta aſportaſſet.

Memorabile exemplum de fero Elephanto inſignis magnitudinis refert Juſtinus *lib. 15. cap. 4.* quod Sandrocotto bellum adverſus Alexandri Magni præfectos molienti ultrò ſe obtulerit, eumque tergo exceperit repentè manſuefactus & poſtea ſtrenuus bellator & præliator.

Sæpè conſpectô homine ſecedit ad latus, quaſi ipſum fugeret, ne homo conſpectâ tam vaſtâ beſtiâ nimium ſibi metuat: mox redit, & conveniente quodam nutu quaſi eum ſalutat: modò præcedit eum, modò ſequitur, & ſic homini obvio erranti clemens & placidus monſtrat veram viam. Vid. Ælian. *H. A. cap. 8. l. 17.* & W. Franz. *H. A.*

pag.

pag. 1 *cap.* 4. qua de re pulchrè Passeratius in encomio Elephanti:

> Errantem solis hominem deducere sylvis
> Et monstrare vias, pueris & parcere norunt,
> Justa lacessitos licet exstimulaverit ira.

Errantes in solitudine homines non trucidant vel aliâ afficiunt injuriâ, sed placidè & clementer sese duces præbent obviis; hominem non lædit, nisi lacessitus: si fortè obviam venerit, modò restites, & baculo mineris, proboscidem sub ventrem occulit, & barriens abit: facilè enim proboscidem amputari posse novit, ut notat Illustris Jobus Ludolphus *in histor. Æthiop. lib.* 1. *cap.* 10. Johannes Leo Africanus de Elephanto etiam confirmat, quod obviantibus hominibus cedat, nec nisi valdè irritatus illos invadat: interdum hominem fortè sibi obvium proboscide blandè apprehensum in altum elevat, eumque iterum demittit illæsum: ad vicos & domos accedit sine noxâ, ut scribit Aug. Cassiodorus de Regno Congo *cap.* 10. Familiaritatem enim amat, & consortiô humanô gaudet, nec recusat longinqua cum homine conficere itinera.

Clemens est erga homines in sylvis errantes & in speluncis fortè repertos: imò etiam erga facinorosos, qui Elephantis objiciuntur conculcandi: quod triste ministerium non facilè exsequuntur, nisi coacti & prius vinô inebriati. Ita Bochus Rex sæviturus in triginta viros, eos stipitibus alligatos triginta Elephantis proposuit, sed Elephanti noluerunt se adjungere illis, à quibus exagitabantur, ut fierent Regiæ crudelitatis exsecutores.

Qualis sit iste brutorum erga homines amor, docet Amandus de bello visu *tract.* 2. *cap.* 84. scribens: amorem bifariam discriminari: alium nimirum esse benevolentiæ, qui nihil aliud est, quam velle bonum, sive id jam præsens sit in re amata, ac tum istud bonum velle vocatur amor complacentiæ, sive id ipsum sit absens, & sic amans vult rei amatæ bonum per velle desiderii: alium concupiscentiæ, quo res aliqua diligitur ratione diligentis, quantum scilicet res illa sibi utilis est & delectabilis: talis amor est reflexivus, quia non diligitur res propter se, sed propter amantem: sic diligo vinum, non propter se, sed quia mihi utile, pariter ac equum vel hominem benefactorem: atque iste amor est in brutis animalibus: cujusmodi amor fuit inter Augerii Busbequii servum & Lyncem: inter anserem & canem, qui anserem à vulpe abreptum liberaverat: inter gruem Balearicam & servum: quorum historias fusius enarratas, vide sis apud D. Caspar Hornium in *descript. Eleph. cap.* 5.

Malè ab hominibus habiti Elephanti clementer admodum injuriam vindicant; cum alioquin vindictæ sint studiosissimi: contra feras minores & imbecilliores non pu-

pugnant: contra majores validioresque non nisi lacessiti: minus valida animalia fortè sibi occurrentia proboscide dimovent, ne illa obterant imprudentes: imò cum ovibus innoxiè ambulant: & sic Elephas hieroglyphicè adumbrat Principem, adeò ut de eo dici possit illud Poëtæ:

Præterit, haut Elephas animalcula parvula lædit:
Nempe quod heîc clemens Rex imitetur habet:

ut & illud Passeratii in encom. Eleph.

Lanigeros angusta greges cum semita tantos
Egit in occursus, pecori clementia prudens
Consulit infirmo, teneros & dimovet agnos.

& illud J. C. Rhumelii:

Sit grandis quamvis Elephas, animalia parva
Non tamen incautô proterit illa pede:
Hoc bruti exemplum mansueti imitare superbe,
Qui præ-Te parvos despicis usque Viros.

Elegantissimè id expressit Lipsius *l. c.* scribens; Vis ei, ut omnibus noceat, ut nemini, voluntas: quâ de re supra pluribus actum.

Catulos suos nunquam deserunt, sed insigni στοργῆς simulacrô constantissimè tuentur, prius animam quam ipsos relicturi: cujus rei exemplum recenset sæpè citatus Ælianus, scribens; aliquando catulum Elephanti in foveam incidisse, quod advertens Elephas tanti doloris impatiens etiam in foveam se dedit præcipitem: & hàc suâ ruinâ se ipsum cum catulo perditum ivit: alii cespites, terræ glebas, fasces, ligna & lapides injecere, donec foveâ oppletâ pateret egressus, qua de re Passeratius *l. c.*

Si quis in occultam fraudem delapsus, & altis
Inciderit foveis: tum sedula turba profundam
Congestis properat ramis æquare lacunam,
Incolumem ut sociis tandem solertia reddat.

Eximium exemplum ferocientis matris ob vulneratum catulum videsis apud Florum *lib. 1. cap. 18.*

Semper gregatim incedunt præcedente natu maximo: transituri aquas parvulos proboscide complectuntur, cornibus portant, & præmittunt reliquos majores: adultiores autem & seniores sequuntur: ætate confectos Parentes, fessos & vulneratos diligenter curant, permittentes ipsis suam de cibis portionem, quibus adulantur, instantibus periculis concursu factô succurrunt, & contra persequentes venatores opem ferunt: infirmos & vulneratos in medium agmen recipiunt, & per vices subeunt: nunquam ex senectute infirmum aut morbo correptum sui gregales deserunt, sed fideles permanentes semper ipsius incolumitatem procurant: mortuos sui

ſui generis nunquam prætereunt, niſi vel terram vel ramum ex arbore proboſcide decerptum in illos injiciant: quâ de re ſupra pluribus actum.

Salutant ſuos Dominos non ſolum flexione genuum, ſed & inclinatione capitis, ut ſcribit P. à S.T. in itinerario Ind. *pag. 387.* Politicam erga Optimates obſervantiam norunt, inquit Simon Majolus *dier. canicular. tom.* 7. nam Regem adorant, genua in illorum conſpectu ſubmittunt, & coronas illis porrigunt, authore Plinio *l. 8. cap. 1.* & Ariſtot. *H. A. l. 9. cap. 46.* Albert. Magn. *de animal. l. 8. tract. 5. cap. 2.* quin etiam ut demonſtrent, ſe Regum Imperio ſubeſſe, vigilias & excubias tanquam corporis cuſtodes per vices ſervant, ut ſcribit Ælianus *hiſtor. an. l. 13. cap. 22.*

Memoratu dignum eſt, quod ſcribit M. Zeilerus *in epiſtol. p. m. 481. epiſt. 411.* de Elephanto à Rege Perſarum Schach Thomâ Johanni Baſilidi Magno Moſcoviæ Duci donato, qui cum genua coram illo flectere detrectaret, (quem honorem fortè aliis exhibuerat,) ipſo jubente ſtatim in fruſta à ſatellitibus conciſus eſt.

Valdoperè amat Elephas natale ſolum, quod illos magnâ dulcedine ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui: in terram peregrinam abductos, quamvis cicuratos, nimiis angoribus confici, ſuamque miſeriam effuſo etiam usque ad excæcationem oculorum largisſimô lachymarum imbre acerbè deplorare ſcribit Plinius *lib. 8.* Abſtracti à ſedibus patriis, quamvis vinculis prius & fame, deinde variis exhibitis eſculentis manſuefacti ſint, tantâ tamen natalis ſoli illecebrâ tenentur, ut ejus memoria apud illos evaneſcere nequeat: igitur eorum plerique graviſſimo mœrore non rarò cum ſanitatis diſpendio afficiuntur.

Partis II. Caput XI.

Tenacem rerum memoriam in Elephanto contemplatur.

QVam bona ſint memoriâ Elephanti, quamque accuratè ſemel ſibi inculcata teneant præcepta, ſuorumque Magiſtrorum exſpectationem non fallant, perpendere operæ pretium eſt: Egregiè Paſſeratius in encomiô Elephanti;

Non obtuſa gerunt doctisque aliena Camœnis
Pectora: ſed memori retinent ſibi tradita mente.

Læſi dicuntur offenſam longo tempore meminiſſe, illatasque injurias tandem occaſione ſibi datâ vindicare,

dicare, quas vix tradunt oblivioni. Senum, qui olim juvenes illos erudierunt, post multos annos non obliviscuntur. Elephas memoriâ pollet, & reminiscitur officiorum, quæ didicit, ut loquitur J. R. Textor *in Officin. p. m. 149.* Juxta sensum humanum intellectum habent, memoriâ non parum valent, siderum servant disciplinam, inquit Solinus locô supra citatô.

* Insigni in discendo pollent εὐπειθείᾳ καὶ εὐκολίᾳ, ut scribit Ælianus *l. 11. c. 11.* id est obedientia & facilitate, ut ad illa, quæ addiscere debent, satis promptos & faciles se exhibeant: brutis enim non deesse memoriam *l. 7. c. 14. & libro 6. cap. 10.* scribit: animalia eorum, quæ agunt aut patiuntur, memoriam tenere, nec ad memoriam comparandam Simonidis arte, nec Hippiæ, nec Theodectis, nec alterius cujuspiam de memoriâ præceptionibus egere.

Valent Elephanti sensu, & sagacitate ingenii excellunt, scribit Aristoteles *l. c.* Nomina sua exactè norunt: disciplinas artesque hauriunt, quas ægrè homo ipse, ut legitur apud Lipsium *l. c.* qui tam magnam memoriam huic animanti adscribit, ut hominis memoriæ non tantum nihil cedat, verum etiam interdum eam ferè superet.

Acosta refert, in urbe Goâ fuisse Elephantum, qui annuo furore correptus catenas abruperit & vincula: fugientibus omnibus servulum quempiam, qui ulnis filium herilem gestabat, in ædes properè irrupisse, oblitum sarcinæ, quam deposuerat; in illa trepidatione ante ædes Elephas adest: mortem omnes & obtritum pueri exspectant: ille contra proboscide suâ leviter illum attollit, in humile tectum è regione ædium collocat, respectans curiosè, satisne puer illic sit sine damno, dein furibundus cursum suum exsequitur: id datum omnes interpretabantur veteri beneficio, quia mulier earum ædium domina & infantis mater Elephanto transeunti sæpius panem aut fructus obtulerat; cujus historiæ etiam supra, ubi de gratitudine Elephanti egimus, facta est mentio.

Certum est, inquit Plinius *H. N. l. 8. cap. 3.* unum tardioris ingenii in percipiendis, quæ tradebantur, sæpius castigatum verberibus, eadem illa noctu meditantem & memoriâ recolentem repertum: idem ex Juba refert *l. 8. c. 5.* agnitum quendam in senectâ post multos annos, qui Rector in juventa fuisset.

Viam quam semel inambulavit Elephas tam exactè observat, ut, quando denuo illic ei est eundum, nullô monitore vel duce indigeat. Plura tenacis memoriæ in Elephantis argumenta benevolus Lector ex capite præcedente & supra memoratis historiis, si lubet, petere potest.

PAR-

PARTIS II. CAPUT XII.

Elephanti verecundiam & pudorem, temperantiam, caſtitatem & fidelitatem recenſet.

PEtrus Gillius refert ex Philoſtratô, Elephantum fuiſſe viſum qui noctu ſuam in ſerviendo miſeriam acerbè deploraverit,non contentum barritu, quem alias ſæpè edere ſolebat, verum etiam luctuosâ vocis ſuppreſſione miſerabiliter immurmurantem; ſi quis autem ita ad occultè gementem & lamentantem acceſſiſſet, verecundiâ motum â querelis & gemitu ſtatim abſtinuiſſe: quâ de re Janus Cunradus Rhumelius *in Philoſoph. animal.* hæc habet:

> Venantum inſidiis Elephas ſi captus iniquis,
> Mox gemitu deflet fata dolenda gravi,
> Servitii impatiens: luctu deprenſus in ipſo
> Angitur, à queſtu deſinit atque ſuo.

Nunquam cum fœmina coit in apricô, ſed in abditis ſylvarum: tantus enim pudor eſt in Elephantis,ut aliis ſpectantibus nunquam coëant, ſed latibula quærant: quod ſi ab aliquo fortè deprehendantur, quaſi furibundi in illum irruunt: mas quinquennis ſecundum nonnullos, fœmina decennis coit: illicio tamen fœminarum, quarum voci barritu ſuo reſpondent, capiuntur.

Adulteria non norunt: nulla propter fœminas inter ſe movent prælia, cæteris nonnullis animalibus, ex. gr. equis propter equas, tauris propter vaccas, cervis propter cervas pernicioſa: ab omni immoderatâ libidine alieni & caſtisſimi ſunt: nunquam enim ut ſtupratores & valdè laſcivi ſocietatem Veneris cum fœminâ faciunt, ſed tanquam generis ſui propagationi intenti ſoboli procreandæ dant operam. Secedentes ſeſe in denſa fruticeta & arbores frequentes abſcondunt, aut in concavum aut profundum locum, ut ſe latebris occultent, ſe abdunt & ſolitudines quærunt coituri: quâ de re Paſſeratius in encomio Elephanti:

> Educunt ſimiles natos connubia turpis
> Neſcia adulterii, & Veneris cum fœdera jungunt,
> Nulla niſi in tenebris quamvis conceſſa voluptas.

caſtisſimi ſunt, unam ſaltem ineuntes fœminam: à matribus abſtinent. Nicolaus Lyrenſis *in Matth. cap. 19. & 1. Epiſt. Paul. ad Corinth.* ſcribit: Elephantum nunquam inire matrem ſuam,quod etiam citat Tiraquell. *de leg. connub.* 747. Eſtque in ipſo coitu verecundia & inſignis in libidine moderatio.

Mirus

Mirus illis pudor est: victi præ verecundiâ fugiunt vocem Victoris, cui Pliniô teste, terram & verbenas porrigunt: herbam enim antiquitus Victori à Victo traditam fuisse, ex proverbio constat: præterea pudet illos in cœno volutari, siquidem impense amant puritatem.

De temperantia Elephanti J.C.Rhumelius in horto suo Poetico ita scribit:

Vix Elephas sese plus, justis obruit escis.
Repletus nimium se minuitque fame:
Aptus ut ad subiti semper discrimina belli
Esse queat; celerem, si quâ opus, adque fugam:
Discite, qui grave Martis opus tolerare soletis,
A nimiâ Bacchi vos revocare siti.

In cibô, potu & venere temperatissimum est hoc animal præter morem aliorum brutorum, quæ Natura ventri obedientia finxit: nunquam se nimiâ satietate obruit, & si quando plus justô tuburcinatum est, inediâ & fame se macerat, ut semper sit aptum ad fugam aut pugnam repentinam. Assuetus certæ pabuli mensuræ Elephas, si quid largius apponatur, tantum assumit, quantum ante comedere solitus est: quâ de re supra dictum.

In Venere temperatissimus Elephas propriâ contentus conjuge nunquam aliam concupiscit: neque palam & in aprico, sed in densis saltibus & speluncis remotis arbitris coit, secus ac barbari Massagetæ, de quibus Ælianus *l. 6. c. 66.* refert, quod in apertô cum mulieribus concumbant posthabitâ verecundiâ: nunquam neque vi aut protervius, neque nimis lascivè Venerem appetit, sed soboli procreandæ dat operam, ne sua stirps deficiat: simulac concepit fœmina, mas non amplius ipsam attingit. Scite hâc de J. C. Rhumelius ita canit:

Nunquam Elephas fervens aliena cubilia quærit,
Unâ contentus conjuge castus amat:
Nec nisi in occultô sociis absentibus ipsam
Exercet Venerem prolis amore merô:
Discite Vos, queis sunt stuprata cubilia curæ;
Non vitium esse atrô pejus adulteriô.

Elephas Zelotypus nullos patitur corrivales, quorum aliquem si fortè deprehendat, statim cornibus suis ipsum aggreditur, & injuriam sibi illatam ulciscitur: quâ de re legi potest Ælianus *l. 10. c. 1.* Cum enim Indi Elephantos venarentur, fortè accidit, quod in illa venatione fuerit Elephas junior cum Elephantâ ejusdem ætatis in actu Venereô deprehensus: quid fit? supervenit Elephas natu major, Elephantæ amasius prior & jure potior: qui statim mœchum adortus cum illo tamdiu pugnavit, donec amborum cornua frangerentur: quæ pugna procul omni dubio cum internecione alterius desiisset, nisi Venatores jaculis eam diremissent.

Exi-

Eximium videmus in Elephanto virginitatis & castitatis exemplum: hic quemadmodum muscas sibi molestas contractâ suâ cancellatâ pelle comprimit & exstinguit, ut supra dictum, ita Venereos stimulos fortiter refringit: hinc olim Sisnando Hermigildis filius pro emblemate & symbolo sibi elegit Elephantum à muscis circumdatum, easque modô dictô enecantem cum epigraphe: El mejor que puedo: id est: pro virili me à culicibus defendo, hominesque impudicos arceo: cui emblemati sequentes rhythmos subscribit Illustris Carpophorus G. P. Harsdörffer im Schau-Platz jämmerlicher Mord-Geschichte *p. m. 286.*

Keuscher Sinn ist wohl verwahrt/
Gleicht der Elephanten Art:
Wer die Tugend will beflecken/
Wird sich wie die Mück erstecken.

Quemadmodum autem Elephas in Venere, sic etiam in aliis suis actionibus, ut & in somnô moderatus est, quem utplurimum erectô corpore capit: siquidem ipsi operosum est humi decumbere, & deinde post decubitum non adeò facilè resurgere: dormituri ergò rarò decumbunt.

Mirô amore atque fide Elephas prosequitur suos Dominos, ætate confectos socios, soboles & patriam: in Magistros & Rectores suos memorabili sunt fidelitate & pietate: quos adorare, coram illis se demittere, & dorsum quasi incurvare consueverunt: itemque in suos catulos, quos urgentibus venatoribus adeò non deserunt, ut millies cædi atque capi malint ipsi, quam illos: grandioribus de locô, de cibo & potu cedunt juniores.

Nierenbergius *lib. 9. hist. natural. cap. 92.* ex Gotthardô refert: Regem in Pegu in commisso prælio interfecisse alium Regem, qua in pugna occubuit simul Elephas Victoris, qui statim conscendit in belluam sui hostis occisi, quæ verò sui Domini mortem ægerrimé ferens totum diem ejulando & lachrymando consumebat, & vix persuaderi poterat, ut vel parum cibi gustaret: viderunt mercatores nostri istum lachrymantem: (forte ut Pallantis equum, de quo Virgilius *lib. 11. Æneidos*:

It lachrymans guttisque humectat grandibus ora:)

Et licet in locum Elephanti Regii, qui in acie occubuerat, constitutus duos sibi astantes haberet ministros, qui eum consolabantur & monebant, ut depulso tandem luctu cibum caperet & lætaretur, quod longè potentiorem Dominum jam nactus sit, parum tamen apud eum proficere poterant: finem enim lachrymandi facere nolebat, & in signum luctus sui promuscidem semper in terram propendentem habebat: tandem tamen, cum quindecim dies in luctu fuisset, appositô iterum cibô vesci cepit cum magno Regis gaudio, quod refert hujus rei testis Caspar Balbus apud Johannem Alberti de Mandelsloh Morgenländischer Reise-Beschreibung *p. m. 185.*

Non solus autem Elephas, sed & alia bruta fundunt lachrymas: ita Achillis Equi dicuntur flevisse in funere apud Calabr. *l. 3.* Equos revera in humanum affectum migrare & flere docet verissimus & classicus Author Suetonius: quod notat Turnebus *l. 3 c. 27.* Vid. Frideric. Taubmanni *commentar. in Virgil. lib. XI. Æneid. p. m. 964.* Ob anxium Patriæ desiderium, cujus memoria apud Elephantos, utut cicuratos & in exteris Regionibus lautè tractatos non evanescit, illos plorasse & gravi mœrore confectos esse, testatur Tzerzes: uberrimè enim flere, tantamque lachrymarum copiam profundere creduntur, ut non rarò oculis capiantur & visum perdant. Strabo *l. 4.* tradit, aliquando fuisse mœrore ac inediâ enecatos Elephantos, quod in furorem acti Magistros suos interfecissent.

Quâ fidelitate & amore Regis Indiarum Pori Elephas suum sit prosecutus Dominum supra diximus: id quod in encomiô Elephanti eleganti metro expressit Passeratius:

Notior in Dominos amor est, & rebus egenis
Inconcussa fides, indo perspecta Tyranno,
Jactatum adversæ per mille pericula pugnæ
Quem letho eripuit quadrupes, facilique refellit
Tela manu, (ceu Dardanius vellebat Japis,)
Vulneribus fessum labi cum denique ser
Leniter ac flexus posuit, texitque jacentem,
Æmathiique Ducis victricia reppulit arma,
Innumeri donec per fossus cuspide ferri
Procubuit, fidamque animam cum sanguine fudit.

Ælianus mentionem facit cujusdam Elephanti, qui pro Domino suo multum diuque pugnavit, eumque tandem sagittis interfectum promuscide sublatum ad suum præsepe asportavit.

Cum Pyrrhus in urbem Argos irrupisset, Elephas inter alios unus Victoris cognomento, in urbis portâ Magistrum, à quo regebatur, mortuum præsensit: hujus rei dolore percitus sine discrimine amicos hostesque urgendo inter medios hostes progressus prius non destitit, quam Magistri corpus invenit: inventum autem proboscide apprehensum retro in tutum ab hoste locum tulit. Baptist. Fulgosus *l. 5. p. m. 164.*

De amore, quo Elephas suam prosequitur sobolem, supra fusius â nobis actum est: hanc ut foveat, nutriat & defendat, nihil intentatum relinquit propriæ salutis & vitæ immemor. Elephanto in lutum delapso & clamante, alter aliquis præsens, & id, quod accidit, videns, abscedit, & paulò post secum adducit Elephantorum armentum, conservatque & liberat eum, qui ceciderat. Vide Ælianum & Oppianum *l. c.*

Ele-

Elephanti solô naturæ ductu sine Lycurgi aut Solonis aut Zaleuci, Charondæque perceptione sanctissimè colunt & tenerrimè amant suos progenitores, quibus ætate confectis juniores de legitimo cibo cedunt, eosdem summâ observantiâ reverentur, & à periculis servant: in fossam fortè delapsos injectis fruticum fascibus extrahunt, quibus tanquam scalis ascendunt. Vid. A. Tiraquell. *in præfatione de jure primogenitorum.* Colunt se invicem omnibus officiis: ad pascua quando progressi, radices effodiunt, gramina evellunt, arborumque ramos decerpunt: simulac aliquid invenerunt, inter socios illud dividunt & conviventur: in periculo versantibus & ægrotis opem ferunt, ex vulneratis sagittas extrahunt sine notabili dolore: pro lapsis in Venatorum casses fortiter pugnant, nec facilè eos deserunt & fugam capiunt, etiamsi vulnerentur.

Cum hæc fera emineat tot & tantis virtutibus hactenus enumeratis, quibus multos homines ratione præditos longè superat, ignominiosum sanè his foret & turpe à bestiâ hâc in parte vinci. Notandum autem est in Elephantis, quod non tantum virtutes, verum etiam vitia hominum imitentur, vanitatem scilicet, ambitionem & superbiam: nam phaleris imprimis argenteis ornati mirum in modum sibi placent: qui Magnum Mogolem Indorum Regem in dorso suo gestat, tapetibus aurô gemmisque inæstimabilis pretii constratus, nullum ex sociis ante se ire patitur; ita præcedendi certamina etiam inter has belluas observare licet.

Partis III. Caput I.

Elephantorum in Expeditionibus bellicis usum exhibet.

De Elephantorum in bellô utilitate eleganter scribit D. Ambrosius: hæc in illis probare debemus, quia magnum in rebus bellicis usum ministrant: inde gens Persarum ferox bellis, valida sagittis omniumque telorum jactu, quia de superioribus ad inferiora validiore nisu tela torquentur, eos præcipuè ad militiam adhibet: acies eorum velut gradientibus curribus septa procedit: in mediis campis tanquam de muro dimicant, & velut in arce quâdam vel speculâ collocati spectant magis bella quam subeunt: ita alieni à periculô videntur tuti molibus bestiarum: quis enim eos adire audeat, cum desuper jaculis facilè figatur? inferius Elephantorum conteratur incursu? denique cedunt

illis acies & armatorum cunei & castra illa quadrata solvuntur: intolerabili nempe impetu in hostes ruunt, ut nullo agmine bellatorum, nulla constipatione militum, nullô clypeorum retardentur objectu: velut quidam mobiles montes versantur in præliis, & ut colles altô eminent vertice, barritus fragore omnium perturbant confidentiam: quid hic faciat pedes quamvis lacertis validis & manu promptus, cum sibi septus armatorum populis gradienti murus occurrit? quid faciat Eques, cum equus ejus perterrefactus tantæ bestiæ immanitate aufugiet? Quid faciat Sagittarius, cum desuper ferrata Virorum corpora jaculi ictum sentire non possint? bestia quoque nec nuda facilè penetrabilis ferro sit, & munita loricis obvias sine suo periculo acies secet & conterat turmas? itaque ut ingentia ædificia, ita Elephanti fundamentis validioribus sustinentur, alioquin imparibus fulti pedibus intra brevem laberentur ætatem: & quid miraris, si vestiti armis rimentur, quandoquidem cornibus (vulgò dentibus,) suis tanquam naturalibus spiculis semper armati sunt: promuscide suâ quicquid involverint, frangunt: pede quicquid compresserint, velut quodam lapsu ruinæ ingentis exanimant. Hactenus Ambrosius.

Non sufficiebat, Elephantum variis artibus imbutum esse, ut libro secundo dictum. Militiæ etiam debebat assuefieri, ut omnium rerum capax esse ipsius ingenium appareret: nam domiti militant, & turres armatorum in hostes ferunt: hinc Curtius *l. 8.* scribit, ipsos etiam Elephantos inter armatos speciem turrium procul fecisse: & alibi de Omphis agmine, quod Alexandro M. occurrit, refert, quod Elephanti per modica intervalla agmini immixti procul castellorum speciem fecerint: quâ de re Ammianus Marcellinus *lib. 24. rerum gestarum p.m. 300.* ita scribit: Elephanti gradientium collium specie motuque immanium corporum propinquantibus exitium intentabant documentis præteritis formidati: maximus itaque terror barbaris Elephanti fuere immanitati gentium pares secundum Florum *lib. 3. cap. 2.*

Appianus in Syriacis de Antiochi copiis inquit: erat muro similis phalangis forma, erantque Elephanti instar turrium: neque id sufficiebat, siquidem dorso impositas gestabant turres armatis plenas cum suo Elephantagogô, qui communiter Indus erat, & humeris vel collo insidens belluam nutu, verbô & hamulô dirigebat: hamulus hic græcè dicitur ἄρπη: Hesychius legit ὄρπη seu ferrum, quo Rector Elephantum verberat & officii sui admonet: apud Philostratum vocatur καλάυροψ seu incurvus baculus, quô Elephas regitur. Hæc obiter.

Tales turrigeros Elephantos CLX. Æmilius Romam misit, teste Plutarcho *parallel.* Hinc Silius *libro 4.* scribit;

Vis

Vis Elephantorum turrito concita dorso.

Et Juvenal. *Satyr.12.* canit, illos

- - - dorso ferre cohortes
Partem aliquam belli, & euntem in prælia turrim.

Pugnant instructi turribus Indorum decem aut quindecim capacibus, ex quibus sagittas & jacula Indi mittunt. Philostratus *in Apollon. lib. 2. cap. 6.* inquit: interdum militarunt in ejusmodi castellis seu caveis ligneis pauciores; triginta duos autem in una turri potuisse dimicare, quod in libro Macchabæorum legitur, hyperbolicè dici videtur: dantur interdum, qui de magnis majora loquuntur: numerum hunc de mendô suspectum esse putat Sam. Bochartus *in Hierozoico in præfatione*: plerique in hoc consentiunt, Elephantum præter Rectorem tres, quatuor aut sex ferre bellatores.

Vartomannus *Navigat. l. 4. cap. 10.* scribit: Indos bella dituros Elephantis imponere clitellas, quas subter alvum cingunt geminæ ex ferrô catenæ: super clitellas hinc & hinc cavea, turricula vel parvum castellum ponitur: singulas caveas terni homines ingrediuntur: inter utramque dorso belluæ insidet Indus Rector: septem itaque sunt, qui Elephantum conscendunt bellum dituri, loricati, scilicet ferentes arcus, sagittas, lanceas, enses ac peltas.

Elephantorum fulgentium formidandam speciem, ut scribit A. Marcellinus *l. c. p. 307.* & truculentos hiatus vix mentes pavidæ perferebant: ad quorum stridorem odoremque & insuetum aspectum magis equi terrebantur: quibus insidentes Magistri manubriatos cultros dexteris manibus alligatos gestabant, acceptæ apud Nisibin memores cladis: & si ferociens animal vires exsuperasset Regentis, ne reversum per suos, ut tunc acciderat, collisam sterneret plebem, vertebram, quæ caput à cervice disterminat, ictu maximô terebrabant: idem *pag. 311.* scribit: Persas sagittarum volantium crebritate conspectum Solis rapuisse, oppositis Elephantis, qui tardius gradientes magnitudine corporum cristarumque horrore pavorem jumentis incutiebant & viris: & *p. 319.* inquit: ad horum fremitum accessumque terribilem Equi inter initia turbabantur & Viri.

Valerius Lævinus Consul Romanus parum prosperè adversus Pyrrhum pugnavit, Elephantorum maximè inusitatâ facie territis militibus. Vid. Tit. Livium *lib. 13.* in quâ pugnâ Romanos jam vincentes inusitata ante Elephantorum forma stupere primò, mox cedere prælio coegit, victoresque jam nova monstra repentè vicerunt, secundum Justinum *lib. 18. cap. 1.* Sic Rex Antigonus, ut hostibus incuteret terrorem, Elephantos suos illis ostendi jussit, velut inusitatas barbaris formas, authore eôdem *lib. 25. cap. 1.*

Asiatici & Afri olim Elephantis domitis in dorso turres, & in iis jaculatores & sagittarios, veluti ex castellis pugnantes & tela in hostes ex altô mittentes, gestantibus

in prælüs uſi ſunt, in iisque ad propellendam & diſſipandam aciem ac proterendos hoſtes maximam partem victoriæ ob immane robur & impetum hujus belluæ irritatæ collocare ſolebant: Romani tamen tanquam egregii & circumſpecti Imperatores rarò in acie & prælüs Elephantos adhibere conſueverunt: non ignorabant enim, anceps in his belluis eſſe auxilium, easque plerumque plus damnô quam uſui eſſe.

Quo pacto hoc terribile animal in uſu & terrore eſſe deſierit, Petrarcha docet *dialog. 60.* Fuerunt, inquit, olim in Italia Elephanti, non venatu quæſiti, ſed ab hoſtibus capti, & in triumpho ducti, qui primâ fronte terruerant Equos Italos, Victores in Capitolium ſecuti: erepti autem Pyrrho, Carthaginenſibus verò non erepti tantum, ſed etiam interdicti: ſic enim in conditionibus pacis, quam victi petierant, nominatim cautum, ut & quos haberent domitos, traderent, & alios non domarent: ita ſenſim obſolevit uſus Elephantorum non ſolum in Italiâ, quò longè advecti erant, verum etiam in Africâ & Ægyptô, quæ illorum origini ſunt viciniores: itaque & in Italiâ, avorum memoriâ unicum Federico fuiſſe, & nunc Ægypti Tyranno non niſi unicum eſſe fama eſt: utrumque verò ad ſpectaculum potius, quam ad uſum. Sic in India & Æthiopia quoque exterarum gentium tædio liberati ſylvas patrias iterum incolunt Elephanti.

De Indiæ gentibus refert Plinius *H. N. lib. 6. cap. 19.* quod illis militent dimicentque pro finibus: & quod delectum in bellua vires & ætas & magnitudo faciant. Elephantorum in bello uſus apud Indos, quibus debetur inventi gloria, perpetuus & ab omni ævo receptus eſt, unde ad alios populos propagatus per pauca ſecula duravit: apud Indos verò adhûc viget, qui non ſolum maribus, ſed & fœminis Elephantis, ubi cum hoſte dimicandum eſt, utuntur, militantque pro finibus: in prælüs enim magnitudine corporum, barritus horrore, ferocia & ſævitia obvios quosque turbant & proterunt.

In Indiæ inſula Zanzibar Viri fortes & bellicoſi ſunt: & quamvis non habeant equos, tamen cum Elephantis & Camelis ad bella procedunt, exſtruentes caſtella lignea ſuper Elephantos, quæ tanta ſunt, ut quindecim vel viginti viri muniti ex uno pugnent portatili caſtrô: pugnant autem cum lanceis, gladiis & lapidibus, & ſunt hujusmodi caſtra aſſeribus cooperta: quando ad bellum procedere volunt, exhibent potum Elephantis, quem ipſi pro vino bibunt, quo audaciores ſint in bellô, ut refert Marcus Paulus Venetus *l. 3. cap. 41.* Idem memorat *cap. 44.* Regem Abaſiæ, An. Chr. 1277. contra Regem Aden cum Elephantis caſtella geſtantibus moviſſe expeditionem bellicam ob injuriam ſuo Legato illatam, qui devotione motus terram ſanctam atque Hieroſolymam

mam visitaverat, ibidemque à Saracenis violenter circumcisus fuerat.

Post Alexandrum Magnum usus Elephantorum bellicus duravit pauca secula: siquidem experientia docuit, illos communi periculo produci, & in bellis sæpius obesse, quam prodesse: proinde bellicis Elephantis bellum inexpiabile Romani indixerunt: quin imò Alexander M. ipsos plane contempsit. Vid. Sam. Bochart. *Hierozoic. in præfat.* Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania Rex Pyrrhus eduxit: postea Hannibal in Africa; Rex Antiochus in Oriente; Jugurtha in Numidia copiosos ad usus bellicos aluerunt, adversus quos varia excogitata sunt armorum genera.

Ex Europæis Elephantos secundum Pausaniam in Atticis primus Alexander habuit, cùm subegisset Porum, Indorumque potentiam fregisset: Antequam Macedones in Asiam transirent, nulli mortalium præter Indos & Afros eorumque vicinos viderunt Elephantos: cujus rei testis vel Homerus esse potest, qui cum Regum lectos aliorumque locupletiorum ædes ebore ornatas referat, hujus belluæ tamen nullam facit mentionem: quam si vidisset, aut saltem de ea audivisset, multò prius eam commemoraturus fuisse mihi videtur, quam Pygmæorum & gruum pugnam. Hucusque Pausanias. Post mortem Alexandri M. præter alios Reges Antigonus plurimos Elephantos habuit, cum Demetrium prælio vicisset: hos cum Pyrrhus adversus Romanos dimicaturus haberet, non parum eos terruit, aliud quidpiam illos esse, quam animalia ratos.

Usum bellicum antiquitus & à multis retrò seculis præstiterunt Elephanti, quorum etiam simulacra ad militiam adhibuisse creditur Semiramis Assyriorum Regina, quæ tertiô post universale diluvium seculo vixit: de hâc narrat Diodorus Siculus *l. 2. c. 5.* atque ex hoc Münsterus *Cosmograph. lib. 5.* quod cum Staurobate, Indorum Rege cum numeroso exercitu bella gerens hostiles extimescens Elephantos, quibus illa carebat, excogitaverit hoc stratagema: nimirum camelos plurimos tegi jussit corio bubulô ad hunc finem præparatô cum substrato fœno, ut cameli ferè ad altitudinem Elephantorum accederent: eminus videntes hæc spectra Indi stupebant primum non ignari Reginam carere Elephantis: tandem detectô fucô Rex hostili exercitui immisit veros Elephantos, & ordinibus hostium sic turbatis Victor evasit cum magna cæde Assyriorum, qui partim Elephantorum pedibus conterebantur, partim lacerati cornibus aut proboscide absumpti interibant: parum abfuit, quin Semiramis ab ipso Rege jaculo sauciata in hoc prælio fuerit capta.

Fidem vix meretur, quod Ælianus ex Ctesia refert, Regem Indorum aliquot myriades Elephantorum alere, quorum majores in obsidio-

nibus ad diruendos muros inservirent: magis credibile est, quod Garzias narrat, quosdam Indorum Reges millenos ad militiam assuefactos habere. Regem Tunquinensem quingentos prægrandes Elephantos ad militares usus alere, author est J. B. Tavernier *in relat. de Regno Tunquin. cap. 3.* In Calignarum Regno Indiæ Partali dicta Regi Elephanti septingenti in procinctu bellorum excubant secundum Plinium & Solinum: qui posterior Regem Palybotræ octo Elephantorum millibus in bello uti scribit. Indiæ Reges omnes non sine maximô Elephantorum numero in militiam proficisci refert idem. Molindæ Rex secundum Plinium quadringentos in armis habet: Prasiorum autem Regi 9000. excubasse feruntur: fidem vindicet Plinius author *l. c.*

Sunt apud Indos in usu rei bellicæ non solum Elephanti mares, sed etiam fœminæ: magis tamen mares, cum fœminæ sint longè timidiores, ut scribit Aristoteles *H. A. lib. 9. cap. 1.*

Ex *lib. 1. Macchabæorum c. 6.* constat, Antiochum juniorem adversus Judam ingenti comparato exercitu Elephantos etiam induxisse in aciem, eosque cum turribus viris armatis repletis & desuper pugnantibus: ubi notandum memorabile factum cujusdam militis nomine Eleazari, qui videns unam de bestiis armatam loricis Regiis & eminentem supra reliquas bestias, putabat, in eâ Regem esse, & incurrebat in eam audacter in medio Legionis, inter obvios hostes à dextris & sinistris, & supponens se Elephanto occidit eum, à cujus corporis mole oppressus gloriose mortuus est victor à victô in ipso triumpho sepultus: quam ruinam tam subitam fuisse credibile, ut non licuerit illi, se subducere: merebatur hic secundum Libycum institutum, de quo Cœlius *l. 18. c. 18.* magnificam sepulturam cum additô elogio: Vir bonus fuit, qui tam horribili bestiæ ex adverso stetit. Quod autem in uno Elephanto milites triginta duo pugnaverint, ferè fidem superat, quamvis Albertus Magnus *l. 22.* de anima non vereatur scribere, unum Elephantum sæpè quadraginta Viros portasse.

Egregié hac de re differit S. Basilius *hexem. homil. 9.* Nonne vides, inquit, in bellis, quod velut turres quædam animatæ aciem præcedunt: aut colles quidam carnei intolerabilem impetum habentes hostium constipatum agmen discindunt? Terribilis est eorum stridor in pugna; in Persarum exercitu adversus Julianum Elephantorum fulgentium formidandam speciem vix mentes pavidæ perferebant; ad quorum stridorem odoremque & insuetum aspectum maximè equi terrebantur: quô stridore & corporum immanitate nihil humanæ mentes terribilius cernunt secundum Ammianum Marcellinum: ita etiam referente Curtio *l. 8. c. 14.* Alexandri M. militibus in prælio cum Poro commisso magnum injecere

ter

terrorem, insolitusque stridor non equos modò, tam pavidum ad omnia animal, sed Viros quoque ordinesque turbaverat; belluæ enim inter armatos dispositæ speciem turrium procul fecerant.

Ut audaciores ad præliandum & alacriores fierent Elephanti, exhibitum illis fuit vinum olim, item succus mororum, & secundum Ælianum decoctum ex oryza; in arenam descendunt cataphracti, loricis & ferro armati, interdum cum gladio proboscidi alligato, quo magnam stragem edere possunt; nullus autem eorum usus est in repentinâ & tumultuariâ pugna, ut scribit Livius *Hist. l. 27.*

Victoriæ Regis Antiochi ope Elephantorum contra hostes reportatæ mentionem facit Leodegarius à Quercu *in flor. epigramm. p. m. 185.* hoc epigrammate:

> Ingentes Galatum semiermi milite turmas
> Præter spem trepidus fuderat Antiochus,
> Lucarum cum sæva boum vis, ira, proboscis,
> Tum primum hostiles corripuisset equos:
> Ergô trophæa locans Elephantis imagine pinxit:
> Insuper & sociis, occideramus, ait:
> Bellua servasset nisi nos fœdissima barrus:
> At superesse juvat: sic superasse pudet.

Romani olim non facilè passi sunt, ut Reges imperio suo subjecti Elephantos alerent. Sic testatur Cicero *in oratione Philippica p.* Octavium à Senatu legatum fuisse ad animos Regum perspiciendos liberorumque populorum, maximè ut nepotem Regis Antiochi, qui cum majoribus bellum gesserat, classes habere & Elephantos alere prohiberet. Appianus author est, cum Antiochus definitum Elephantorum numerum excederet, Legatos Româ fuisse missos, qui illos interficerent.

Elephantos Romanis in bellô contra Persas multum cladis intulisse memorat Agathius *lib. 3.* Cum enim lævum Persarum cornu apertè jam ad fugam inclinaret, solutumque esset & profligatum, in dextro ordine suô instructi Persæ fortissimè repugnabant: siquidem præsidii loco Elephanti opponebantur: qui ubi in medium prorupissent, Romanorum sicubi fortè constiterat, aciem obturbabant, & Sagittarii, qui his vehebantur, magno detrimentô afficiebant, qui in se impetum facerent, nimirum qui elati in latitudinem essent, & ex eminenti (loco) tela consideratius jacerent: ad hoc accedebat, quod equitum turmas decurrendo facilè invadebant, & peditibus ipsis armis insignibus communitis essent infestiores: jam enim eâ ex parte Romani in fugam inclinantes per eas belluas agebantur: Martini (Ducis) verò Satelles quidam, Onagris illi erat nomen, in angustissimô sic coarctatus, ut inde evadere haut liberè posset, ut jam sui desperans, perinde fortunam periclitatus Ele-

phantorum quendam intrepidè se impetentem in supercilium magnâ vi lanceâ ferit, spiculumque illi ita impegit defixitque, ut hastæ reliquum, quod jam extitisset, à fronte penderet: tum ille vulnere ipso accepto, tremuloque & vibrante circa oculum telô turbatus in suos conversus deferebatur, resiliensque & circumactus, nunc promuscidem veluti stimulum agitando Persarum multos percutiebat, & in altum jaculabatur, in longumque hanc porrigendo asperum ferumque stridorem & strepitum edebat, & protinus superstantes Persas excussos sternebat & obtritos occidebat: quô factum est, ut Persarum agmen prorsus is fuderit: equos præterea, ad quos proximè accessisset, terrebat, dentibusque (cornibus) præcidebat, vel lacerabat, quot prehensasset: itaque ejulatu & tumultu omnia complebantur: equi siquidem ex tetrô belluæ insolitôque clamore pavefacti habenis contineri non poterant, sed ungulis altè elatis, cum in pedes se erexissent, insidentes decutiebant, moxque per medium agmen soluti passim saltuque delati frementesque vagabantur: sed multi mortales mutuâ concussione & alternô compulsu allisi invicem, singulis singulos fugâ præcedere contendentibus fatô defungebantur. Hactenus Agathius.

Alexander Severus Imperator post reportatam à Persis victoriam ... Senatus confes- tos Elephantos lignea castella Sagittariis repleta gestantes, ex quibus ceperit trecentos, interfecerit ducentos, octodecim numerô Romam ductis.

Elephantos Lucretius commune malum nominat: hâc de re Stewechius *in Veget. 3. 24.* illud, inquit, certè silentio prætereundum non est, sæpè communi partis utriusque periculô productos in campum Elephantos: testis mihi Hirtius *de bello Africano cap. 27.* Plutarchus in Pyrrho *cap. 55.* & Q. Curtius testatur, quod hæ bestiæ frequenter in suos se convertant: affirmat id Appianus *de bellis Punicis:* unus, inquit Elephantorum gravi de muro in capite percussus saxô furere cepit, inque amicos horribili clamore furens se conjecit, quemvis obvium trudens ac proterens: similiter & reliqui Elephanti illius clamoribus exterriti fecerunt: quod quidem facere sæpenumero solent, cum insaniunt, quemvis ut inimicum accipientes, ob quam illorum perfidiam quibusdam communes hostes sunt appellati.

Annô ante Christum natum 279. Galli numerosô exercitu Illyricum & Pannoniam, tandem etiam Macedoniam invadebant, contra quos Antiochus Soter dimicabat stipatus XVI. Elephantis, quos studiô occultatos subito hostili immisit equitatui, qui horribili aspectu & barritu bestiarum territus è vestigio se conjecit in fugam,



fol. 201. Jacob Petrus Sculpsit Erffurti

Carthaginenses, in quorum viciniâ nascebantur Elephanti, non semper illis ad bellum usi sunt, siquidem Timoleonti & Agathocli, quibuscum bella gerebant, nullos Elephantos opposuerunt: tempore Hieronis autem, qui Agathoclis successor fuit; ortum est in Siciliâ primum bellum Punicum 24 annos durans, quô in bellô in præliis grave momentum addiderunt. Traditur ab Appiano Alexandrino, trecenta apud Carthaginenses fuisse Elephantorum stabula.

Anno U. C. 502. Carthaginensium Dux Asdrubal eductis in aciem CXXX. Elephantis militavit contra Romanum Consulem Lucium Metellum, â quô victus est cæsis XXXVI. Elephantis, CIV. captis, qui per Italiam ducti insigne spectaculum præbuerunt: successit Asdrubali Hannibal in bellô contra Romanos, ductis per Alpes plurimis Elephantis, quorum ope ad fluvium Trebiam Romanos fudit: sed cum frigoris & nivis impatientes essent brevi post omnes amisit, exceptô unô, quôcum per edita montium, avia sylvarum & profunda paludium in Regionem Tuscanam se proripuit, unô privatus hôc in itinere oculô.

Annô U. C. 562. Antiochus Magnus contra Romanos bellum movit, â quibus duobus in præliis superatus omnes perdidit, quos secum duxerat, Elephantos N. CXX. quibus deinde Romani in bello contra Perseum ultimum Macedoniæ Regem usi sunt, eumque vicerunt.

Idem Antiochus in bellô Ægyptiaco instructus fuit Elephantis duobus supra centum, teste Polybio *l. 5.* Hujus filius Antiochus Epiphanes pariter primam expeditionem in Ægyptum suscepit cum Elephantis, curribus, equitibus & classe magnâ. Vid. *lib. Maccabæor. 1. cap. 1.* Pulchrum spectaculum præbebant in bello Antiochi contra Ptolomæum Elephanti, quorum ille LXXIII. Libycos, hic verò LXX. Indos in aciem eduxerat in prælium summâ vi atque impetu se invicem aggredientes: milites in turribus collocati acre prælium ciebant sarissis, quas manibus tenebant, è proximo rem gerentes, seque cædentes. Appianus Syriacus *p. m. 107.* de Antiochi acie hæc habet: ἡ δ' ὄψις ἦν τῆς μὲν φάλαγγος, οἷα τείχους τε δ' ἐλεφάντων οἷον πύργων. Hæ belluæ totis viribus inter se decertabant, fortiter aliæ in alias irruentes: pugnant autem inter se modo sequenti: complexi invicem cornibus, (vulgò dentibus) commissis, quantâ maximâ vi pollent, in eodem vestigio connituntur de statione dimicantes, donec Victor tandem alter evadat, & alterius proboscidem impulsu suo dimoveat: ubi verò semel inclinatæ bestiæ latus patet, tunc cornibus Victor infert vulnera: cæterum Ptolomæi belluarum pleræque certamen detrectarunt, quod Libycis Elephantis accidere solet, ut neque odorem, neque barritum ferant Indicorum, sed cum magnitudine, tum robore illorum perterriti properè

antequam appropinquent, aufugiant. Vid. Polyb. *hist. lib. 9.* Hinc factum, ut cedentes in suos ordines conversi cladis magnæ authores fuerint.

In expeditione contra Judæos susceptâ Regis Antiochi Eupatoris Polemarchus Lysias LXXX. Elephantos habuit: Vid. *l. 2. Macchab. cap. 11.* cuilibet autem peditum agmini Elephas, & huic sufficiens equitatus fuit additus: distribuebant enim antiquitus belluas per phalanges, & assignarunt singulis Elephantis mille viros thorace indutos cum loricis hamatis, quorum in capitibus galeæ æreæ erant, delectique equites quingenti ordinati ad unamquamque belluam: hi maturè, ubicunque erat bellum, aderant, & quocunque ibat, simul ibant, nec ab ea discedebant: sed & turres ligneæ super eas munitæ protegentes singulas belluas. Vid. *lib. Macchab. cap. 6.* Sed hos Elephantos non multò post Romani Victores jusserunt interfici: siquidem pacem eâ lege cum Antiocho Magno sanciverant, ut non liceret illi ullos habere Elephantos: cum autem Rex non pareret, Româ missi sunt, qui belluas necarent: miserandum erat spectaculum interitus bestiarum, quæ apud omnes erant raræ & charæ: quô spectaculo commotus quidam Leptines Legationis Principem Cneum Octavium in Laodicensi Gymnasio deprehensum occidit: sed Lysias, ut sceleris suspicionem à se amoliretur, hunc magnificè sepeliendum curavit. Ita Appianus in Syriacis, Julius obsequens & alii.

Apud Indos adhuc aluntur Elephanti militiæ assueti, grandique pecuniâ sæpè millenis ducatis venduntur: in arenam progrediuntur phalerati cristis & frontalibus armatique loricis cum vel sine turribus: interdum lintres ferunt cum tribus militibus. Livius tergo fuisse impositam turrim cum quatuor armatis refert: ephippio duabus catenis alligato imponitur affabrè turris vel linter: in collô sedet Elephanti Rector. Nudô dorsô scribit Ælianus *lib. 13. cap. 9.* tres bellatores fert Elephas, alterum dextrâ, alterum sinistrâ pugnantem, tertium retrò bellantem, ac simul quartum moderamina manibus tenentem, sicque illis belluam dirigentem, tanquam clavô navem Nauclerus aut rei nauticæ peritus: ille, qui in bellô Elephantum regit, dicitur Elephantistes: hic differt ab Elephantarcho, qui omnibus Elephantis in bello præficitur, ut supremus moderator.

In primâ acie Elephantos, & post hos equitatum stetisse refert Polybius *l. 3. & 5.* præliabantur itaque primi cum sibi insidentibus militibus, qui spiculis atque sagittis certabant: nonnunquam proboscidi alligabantur gladii, quibus obvios hostes impetebant.

Frequens itaque apud diversos, præcipuè autem Orientis populos fuit in bellis Elephantorum usus, qui tamen postmodum, si Indos excipias,

cipias, apud plerosque est abolitus. Post Jugurthinum bellum, qui Elephantos 34. ad pugnam instruxerat, secundum Vegetium *lib. 3. cap. 24.* vix alius eos in bellis adhibuit: siquidem Romani bellicis Elephantis inexpiabile bellum indixerant: & quoties cum hoste transactum, in pacis conditionibus hoc fuit, ne posthâc ullus aleret Elephantos. Sic Livius *lib. 30.* tradit, post secundum bellum Punicum pacem Carthaginensibus fuisse concessam, eâ lege, ut traderent Elephantos, quos haberent domitos, neque domarent alios: idem contigit Antiocho Regi aliisque: de quô supra.

Ad certamen ut incendantur, promuscide se verberant: antequam prælium ineunt, aspectu & aspergine vini rubri, ut & ejusdem potu, pariter succo mororum redduntur ferociores & quasi irritantur, non aliter ac si sanguinem conspicerent: & hoc ipso quando αἷμα βοτρύων, sanguinem uvarum & mororum vident, bibunt, & eodem asperguntur, fieri nequit, quin sanguis in corpore illorum commoveatur, & eapropter sævire incipiant, quod probat Franciscus Vallesius sacræ Philosophiæ *cap. 82.* Ostenderunt ipsis sanguinem uvæ & mori, legitur *1. Macchab. cap. 6.* fortassis fuerunt, ut nonnulli putant, velamina aut lintea mororum atque uvarum rubentium succo perfusa. Sic in Hispania in taurorum certamine (Stier Gefechte/) Viri rubris tunicis induti prosiliunt in arenam, ut feri illi tauri magis irritentur: quâ de re pulchrè Ovidius *lib. 12.* fabulâ de Cygno ita canit:

> Haut secus exarsit, quam Circô Taurus apertô
> Cum sua terribili petit irritamina cornu
> Phœniceas vestes: - - -

id quod etiam observare licet in aliis pugnacibus brutis, quæ intuitu rerum rubrarum efferantur. Ælianus *loc. cit.* scribit, Elephantis pugnaturis præberi vinum ex vitibus & factitium ex oryzâ, ut audaciores evadant.

Si fortè contingat illos in acie vulnerari, non amplius regi possunt, sed conversi, quâ data porta, ruunt, ordines proprios turbant, & obvios quosque prosternunt: & sic experientia teste interdum communi periculo producuntur in aciem, atque in bellis plus obsunt, quam prosunt: ita narrat Plutarchus *l. c.* cum Pyrrhus cum Romanis tertia vice congressus esset, belluas per suos fuga delatas ordines turbasse & dissipasse, quæ res victoriam dederit Romanis: similiter cum Flavius tribunus militum signo arrepto occurreret belluis, & primum obvium Elephantum hastili percussum in fugam verteret, ille in proximum versus & eum & sequentes avertit, & sic cæsæ ruentesque belluæ maximam stragem hostium ediderunt.

Idem contigit teste Polybio *lib. 15.* & Livio *libr. 30.* in illustri pugna inter Scipionem & Hannibalem, inter Antiochum Magnum & Ptolo-

mæum Philopatorem. Polyb. *lib.5.* ut & in bello Africano, ubi bestiæ 64. stridore fundarum lapidumque perterritæ se converterunt, & suos post se frequentes & constipatos protriverunt.

Cum Nisibis à Sapore Rege obsideretur Sergio & Nigriniano Consulibus, Elephanti repulsi atque in suos conversi decem hominum millia obtrivere, ut ex Volagesi Episcopi Nisibeni epistola refert Author Chronici Alexandrini. Vid. Samuel Bocharti *Hierozoic. lib. 2. cap. 25.* Eapropter Alexander Magnus hæc animalia contemsit, & quamvis plurimos haberet, (siquidem â solo Omphide eorum LVI. dono acceperat secundum Q. Curtium *lib. 8. cap. 12.*) eos tamen hostibus non opposuit, satis gnarus, illos plus periculi suis, quam hostibus inferre. Vid. Curt. *l. 4.* Et sic tandem eviluit in bello usus hujus animalis, & quod olim maximum in præliis terrorem militibus incutiebat, jam postponitur & negligitur: nonnunquam enim in suos sæviunt concitati, & omnes pro hostibus habent: propter hanc perfidiam nonnulli illos communes hostes vocant. Vid. Appian. Alex. *de bello Hispan.*

Sic legimus apud Orosium *l.4. c.1.* quod Romanus Minutius vir fortis uni ex præcipuis Regis Pyrrhi Elephantis proboscidem gladio amputaverit cum hostium, in quos conversus sæviebat, magno malo: tantum enim abest, quod hoc animal invictum sit, quin potius facilè superari & occidi possit: Sic refert Q. Curtius *loc. cit.* Elephantum Regis Indorum Pori vectorem pluribus emissis sagittis interemptum fuisse in acie: & Solinus scribit *lib. 25.* molossum Alexandro Magno â Rege Albaniæ donatum prostravisse Elephantum cum stupore Regis & Spectatorum.

Contra bellantes Elephantos varia olim excogitata sunt: cataphracti equi jungebantur ad currum: cui insidentes clibanarii sarissas aut contos longissimos in Elephantos dirigebant: nam muniti ferrô nec à sagittariis, quos vehebant belluæ, lædebantur, & earum impetum equorum celeritate vitabant: alii contra Elephantos milites cataphractos immiserunt, ita ut in brachiis eorum & in cassidibus, ut & humeris aculei ingentes ponerentur ex ferrô, ne proboscide sua Elephas bellatorem contra se venientem posset apprehendere: præcipuè tamen antiqui Velites adversus Elephantos ordinarunt: hi juvenes levis armaturæ alacri animô ex equis missilia quam optimè dirigebant, eosque occidebant; crescente postea audaciâ plures collecti milites pariter spicula & pila in Elephantos congerebant, eosque vulneribus elidebant: funditores etiam adhibebantur, qui suis fundis Rectorem cum turri insidentibus affligebant: præterea venientibus belluis, quasi irrupissent aciem, spatium milites dabant, quæ cum in agmen medium penetrassent, circum-

cumfusis undique armatorum globis cum Magistris suis sæpè capiebantur illæsæ.

Fuerunt olim, Diodorô Siculô referente, qui magnos asseres clavis confixerunt, eosque contectis exstantibus cuspidibus in viam per quamElephantis erat transeundum, posuerunt, hinc factum, ut Elephanti in infixos stimulos incidentes graviter læderentur, & ad incessum inutiles redderentur. Carroballistas etiam majores carrucis impositas post aciem statuebant, & cum ad jactum teli ventum esset, sagittis ballistariorum Elephantos transfigebant.

In præliô cum Alexandrô Magnô commissô Porus Indorum Rex, quâ equitem invehi senserat, belluas agi jussit: sed tardum & penè immobile animal equorum velocitatem æquare non poterat. Vid. Curt. *l. 8. cap. 14.* in quâ pugnâ post multa congesta tela Porus tandem gravatus labi ex bellua cepit: Indus qui Elephantum regebat, descendere eum ratus more solito Elephantum procumbere jussit in genua; qui ut se submisit, cæteri quoque, ita enim instituti erant, demisere corpora in terram: ea res & Porum & cæteros victoribus tradidit *l. c.*

Adhibentur ad usus bellicos non sine Rectore, qui Græcè ἐλεφαντιστὴς dicitur pro arbitrio suo bestiam regens, & quacunque lubet, impellens: capistrô, inquit Gillius, non regitur, neque frænô, sed clavâ ferreâ: Gubernator enim sedens in ejus dorso clavam uncinatam præ se gerit, cujus mucrone frontem leviter ferit, cujus metu etiam levissimè tangentis omnia Rectoris jussa obire solet: neque semper moderator clavam manu tenere necesse habet, sed duntaxat ex Elephanti fronte appendere: is autem cum ad diversorium venit, jamque videt Rectorem descendisse, clavam ex fronte pendentem promuscide corripit, & in terram leviter abjicit: id quod in itinere, etiamsi Rector descendat & abscedat, facere non solet.

Maurorum pedites Elephantorum pellibus pro clypeis utuntur in bello, teste Strabone. Antæus ille Libycus, qui cum Hercule luctatus est, creditur habuisse clypeum ex coriô Elephantino. Mela *lib. 1. c. 5.* de hoc habet sequentia: Tinge est oppidum vetustissimum ab Antæo, ut ferunt, conditum: exstat hujus rei signum parma ex Elephantinô tergore exsecta, ingens, & ob magnitudinem nulli nunc habilis, quam loci incolæ ab illo gestatam pro verâ habent & colunt.

Quamvis Elephantis durissimum sit in dorso tergus, nec facilè penetrabile, tamen ad majorem cautionem loricis ferreis in bello olim muniebantur: hinc Hirtius in bellô Africano inquit: Bellua ferro munita est, cum ad prælium accedit: sic loricatus Elephas non facilè vulnerari poterat, nisi fortè in ventre, qui mollior: Sic Rhinoceros

cum

cum ipso pugnans alvum maximè petit, quam scit esse molliorem.

Apud Seres fuisse Aristocraticum quendam gubernationis Ordinem constantem ex multis Senatoribus, quorum singuli Elephantum pro communi usu in bellô conferebant, Strabo *lib. 15.* author est: ut & Alexander ab Alexandro genialium dierum *lib. 4. cap. 11.*

PARTIS III. CAPUT II.

Elephantorum in bello usum enarrare pergit.

ANtiquissimo Indorum Regi Stabrobati fuere multi terribiles Elephanti ad militiam valdè instructi. Si Ctesiæ credimus apud Ælianum *lib. 17. cap. 29.* Cum Rex Indorum bellum movet, myriades bellatorum Elephantorum præcedunt: neque hi sufficiunt, sed adhuc ter mille alii maximi & validissimi sequuntur, qui ad muros hostium ipsô incursu evertendos instituti sunt, quotiescunque Rex jusserit: hinc Photius illos τειχοκαταλύτας, mœnium subversores vocat: hæc verò nimis hyperbolica esse, benè monet S. Bochart. *hieroz. lib. 2. cap. 25.* Jubæ Regis horribilem adventum cum decem Legionibus, equitibus XXX. militibus levis armaturæ C. millibus, Elephantis CCC. convocatis in concionem suis militibus exponit Julius Cæsar apud Sueton. in Jul. Cæs. Reges in Ceylon. Arracan, Pegu multis abhinc seculis Elephantis in bello sunt usi. Vid. Walther Schultzens Ost-Indische Reise-Beschreibung *l. 2. pag. 199.*

Arrianus refert; Porum Regem Indorum Alexandro Magno opposuisse ducentos Elephantos, quorum maximo Rex ipse insederit; hic eminebat supra reliquas belluas, armaque ejus aurô & argentô distincta corpus raræ magnitudinis impensè honestabant: par erat animus robori corporis; nec Rex procerâ corporis staturâ impar: siquidem secundum Plutarchum in vitâ Alexandri M. *p. m. 307.* Rex Porus quatuor cubitos & palmum proceritate corporis æquans, Elephanti quem equitabat, magnitudini quam optimè respondebat: in hôc præliô satis superque perspecta fuit admirabilis hujus belluæ animositas & sagacitas: Rege namque adhûc incolumi hostes furens vastabat proterebatque, ut verò compluribus jaculis saucium sensit, ne his difflueret, veritus, sensim humi se genibus submisit: inde paulatim ex corpore tela proboscide exemit: hâc in acie Elephantos CXXX. Diodorus; Curtius verò LXXXV. eorum numerat *lib. 8. cap. 13.* quorum octo-

octoginta capti, reliqui verò cæsi sunt.

Trans Gangem Rex Xandrames aluit Elephantos ad bellum instructos quatuor mille: Sandrocottus Indiarum Rex, qui regnavit non diu post Alexandrum M. Regi Seleuco πεντακοσίους ἐλέφαντας ἐδωρήσατο, quingentos Elephantos dono dedit: hic cum conjuratis Regibus contra Antigonum bellaturus in castris suis habebat quadringentos Elephantos, hinc ἐλεφαντάρχων dictus: Antigono non erant supra quinque & septuaginta: siquidem ab Alexandri M. successoribus vix ullum prælium sine Elephantis commissum est, quâ de re supra etiam de Pyrrho plura dicta sunt: Ptolomæo Philadelpho fuerunt ἐλέφαντες πολεμισταὶ τριακόσιοι, i. e. Elephantorum bellatorum CCC.

Quantum Elephanti in bellô & faciundis operibus valeant, cum res manu geritur, tam notum est, quam quod notissimum: immixti agmini formidabiles sunt oculis, qui in acie primi vincuntur: interdum capite & pectore armati descendunt in arenam: qui his in præliis utuntur, id solum emolumenti referunt, quod adversariorum ordines turbent & obvios prosternant: non rarò contingit, ut irritati retrocedant non sine suorum pernicie. Has feras, antequam Macedones in Asiam transirent, præter Indos & Afros populosque his vicinos nemo prorsus viderat, ut scribit Pausanias *lib. 1. Attic. p. m. 14.*

In Asiæ & Africæ nonnullis locis, præsertim in iis, quibus fulminatrices machinæ desunt, eorum frequens adhûc in bello & ad pompam usus est: tradunt peregrinatores, reperiri Indos Reges in mediterraneis locis, qui aliquot millia Elephantorum domitorum alant: ferunt quoque Imperatorem Abyssinorum semper ultra quingentos Elephantos ad bellum domitos alere: ii autem, qui in Ceylon degunt, cæteris generosiores & fortiores esse perhibentur, ita ut reliqui aliunde advecti hos tanquam nobiliores venerentur, & iis loco cedant. Vid. Philipp. Camerar. *Oper. subcisiv. centur. 2. p. 374.*

Fuit Lusitanis cum Elephantis inter hostiles turbas commixtis sæpenumerò magna contentio, ita ut aliquoties clades non leves ab illis acciperent: imprimis autem infeliciter evenit Lusitanis in pugnâ cum Rege Dachensi Insulæ Zamatræ, in quâ multi generosi viri una cum Duce eorum Georgio Brittio occubuêre, quorum nomina ab Osoriô recensentur *lib. 12.* Caspar Fernandus vir fortissimus, cum in Elephantum, ut eum hastâ transfigeret, impetum faceret, ab Elephantô proboscide in altum sublatus atque ad terram allisus, pedibus Elephanti conculcatus interiit.

Heraclius Imperator etiam olim Elephantos ad bellum adhibuit, de quo refert B. Platina de vitis Pontific. *p. 79.* quod devicto Rege Persarum Chosroë prædâ onustus cum septem

Elephantis Hierosolymam rediens, & crucem DOMINI à Persis antehâc ablatam secum deferens eum in locum reposuerit, in quo antea fuerat.

In bello duplex obeunt officium: etenim vel turres ligneas gestant repletas pluribus armatis cominus & eminus pugnantibus, ut supra dictum: vel stricti gladii aut falces ferreis catenis alligantur ad proboscidem, quibus instructi in aciem immittuntur, magnam procul dubio stragem edituri, nisi ignivomis lanceis ad hunc finem artificiosè factis arceantur: valdè enim timent ignem: Orientis bella magnâ ex parte conficiunt: prosternunt acies: proterunt armatos: sed minimô suis stridore terrentur, sicque territi vel etiam vulnerati retrogradiuntur cum haut exiguo suarum partium dispendio: semel terga vertere compulsi propriis cohortibus infesti sunt: & tunc secundum illud Poëtæ:

Tros Rutilusve fuat, simili discrimine habentur.

Anceps auxilii genus in Elephantis ponit Q. Curtius: & Lucretius illos commune malum nominat: quâ de re Stewechius in *Veget. 3. 24.* illud, inquit, certè silentio prætereundum non est, sæpè communi utriusque partis periculo productos in campum Elephantos: testis Hirtius de bello Africano *cap.* 27. Plutarchus in Pyrrho *c. 55.* quod hæ bestiæ in suos frequenter se converterent, ut scribit Appianus de bellis Punic. Luculentum hujus rei testimonium patet ex lib. de bello Hispan. ubi sequens legitur historia: unus Elephantorum gravi de muro in caput percussus saxò furere & effrænatè ferri cepit, inque amicos horrendo edito clamore furens se conjecit, quemvis obvium trudens & proterens: similiter & reliqui Elephanti illius vociferatione exterriti fecerunt, quod quidem sæpenumero facere solent, cum insaniunt, quemvis ut inimicum accipientes, ob quam perfidiam quibusdam communes hostes appellati sunt: Vid. Plin. *l. 8. cap. 9. Flor. l. 18. 12.*

Terribile fuit spectaculum in prælio Alexandri M. cum Poro commisso: cum Elephanti arma virosque corriperent, & super se Regentibus traderent: anceps ergò pugna nunc sequentium, nunc fugientium in multum diei varium certamen extraxit: donec securibus, (id namque genus auxilii præparatum erat,) pedes amputare ceperunt: copidas vocant gladios leviter curvatos falcibus similes, quibus petebant belluarum manus i. e. proboscides: ergò Elephanti vulneribus tandem fatigati suos cum impetu sternebant: & qui rexerant eos præcipitati in terram ab ipsis obterebantur: itaque pecorum modo magis pavidi, quam infesti ultra aciem exigebantur. Vid. Q. Curtius *l. 8. cap. 14.* in suos vehementius, quam in hostes incurrerunt *l. 9. c. 2.* & unô aut alterô vulneratô cæteri in fugam vertuntur: anceps igitur horum est

auxi-

auxilium, cum in ſuos acrius ſæviant: in hoſtem enim imperiô, in ſuos pavore aguntur.

In India Orientali, referente Oſoriô, ſimilia accidêre, cum Albuquercius juſſu Regis Luſitani Malacenſium Regem oppugnaret: Rex caſtello, quod Elephantus ingens tergo ſuſtinebat, cum quibusdam ex ſuis domeſticis vehebatur: hunc alii Elephanti ſimiliter inſtrati & armati ſequebantur: tela è caſtellis frequentia decidebant: Elephanti enſes cornibus alligatos geſtabant, tantâque ferociâ in noſtros irruebant, ut anteſignani pellerentur: Ferdinandus tamen Gomecius Lemius, & Vaſcus Fernandus Contignus minimè eâ re perturbati reſiſtebant, cum uterque eorum in oppoſita viæ latera, quâ Elephantus gradum violenter inferebat, conceſſiſſet, aditum ei liberum reliquerunt: utrinque deinde latera illius haſtis perfodiunt: bellua quamvis in principio certaminis fuerit immanis & efferata, erat nunc doloris impatiens, & facilè in ſuos quovis vulnere ſauciata convertebatur: itaque cum Elephantus transfixus utroque latere fuiſſet, Rectorem, qui illi inſidebat, proboſcide deturbatum proculcabat: exanimari deinde, (ſanguis enim utrinque profluebat,) cæpit: Rex ex metu conféſtim deſiliit: Elephantus in ſuos converſus reliquorum Elephantorum aciem perturbavit: omnes exterriti in fugam verſi ſunt, neque rurſus ullis Rectorum monitis ac minis in prælium compelli potuerunt.

Idem Author *lib. 12.* deſcribit aliud prælium, quod cum Ceylandenſibus à Brittio Luſitanorum Duce geſtum eſt: in agmine primo præter magnum peditum numerum erant Equites centum & quinquaginta, & Elephanti cum turribus quinque & viginti: aliqui eorum cornibus alligatos enſes geſtabant, quibus admirabili dexteritate obvios cædebant: quidam ex Luſitanis & multitudine territi & Elephantorum metu perturbati cedere volebant: ſed Brittius jam munitionibus poſt tergum relictis in urbem gradum intulerat: iis autem, qui ferreis fiſtulis (ſclopetis) armati erant, imperavit, ut omnes ſimul glandes plumbeas in Elephantos emitterent: quid fit? Elephanti non ſolum ſtrepitu, ſed multò magis etiam vulneribus territi aufugiunt, in ſuos irruunt, Equites immani impetu proterunt, peditum aciem proculcant, & in effuſam fugam conjiciunt.

Cum Rex Indorum Polyſperchon dictus Urbis Megalopolis, quam obſidione cingebat, magnam muri partem ope Elephantorum diruiſſet, obſeſſus illius civitatis Princeps Damis nomine, eum in locum, ubi hoſtes per dirutos muros irrumpere conabantur, aſſeres acutis clavis ferreis pertuſos poni, ſuoſque præter Sagittarios utrinque diſpoſitos parum recedere juſſit: quô factô Polyſperchon per muri ruinas cum Elephantis urbem ingredi tentabat:

Elephanti autem in clavos asseribus infixos incidentes, & jaculis â Sagittariis vulnerati ulterius progredi non poterant, sed præ furore in suos conversi magnam illis cladem inferebant. Vid. Diodor. Sicul. *l. c.*

I. I. Strauss. *in Itiner. c. 9. p. 30.* scribit: Regem Regni Siam alere quam plurimos Elephantos ad bellicos usus destinatos, cataphractos, munitos armis cupreis ab omni telorum ictu immunibus cum cornibus, (vulgò dentibus) chalybe obductis. J. Schoutenius *in descriptione Regni Siam p. 748.* scribit, Regem alere ultra ter mille cicuratos Elephantos, quorum singuli à duobus vel tribus famulis pascuntur, lavantur & exornantur: uterque sexus idoneus est ad tormenta bellica, tentoria, impedimenta & commeatum in castra transportanda: Magnitudine, animô, sagacitate hujus Regni Elephanti alios antecellere creduntur.

Regem Peguensem & Aruensem in acie manus conserentes in conspectu utriusque exercitus depingit Theodorus de Bry *figur. 18.* Ambo grandibus Elephantis insidentes primò eminus sclopetis, deinde cominus jaculis & ensibus pugnabant: victor autem Peguensis hostem cum toto exercitu fudit, profligavit & Regno exuit.

In oppugnatione Bataviæ, urbis Javæ majoris à Bantamensibus obsessæ Elephantos palis munimenti causa terræ infixis, ut illos evellerent, alligatos memorat Joh. Jacob. Saar in suo discursu de rebus Indicis *cap. 2. p. 13.* Idem *cap. 4. p. 68.* scribit, Elephantos Ceilonenses multos in Persiam ad usus bellicos transportari: ubi Persæ exstruunt in illorum tergis, turriculas ligneas duobus minoribus tormentis bellicis & aliquot militibus munitas: alii armantur catenâ ferreâ ponderosissimâ tres & plures orgyias longa, qua proboscide apprehensa hostes obvios feriunt in aciem producti: alii commeatum aliamque supellectilem portant, & trahunt quævis onera: non autem patiuntur se aptari curribus ut caballi, sed funibus collo injectis illud trahendi munus expediunt, ut eò facilius ad onus, quod vehunt, retrospicere possint. Vid. Herport. *p. 187. & seq.*

De Elephanto incensum castellum tergo ferente hæc canit Silius Italicus *l. 9.*


> Uritur impatiens & magni corporis æstu
> Hûc illuc jactas accendit bellua flammas,
> Donec vicini tandem se fluminis undis
> Præcipitem dedit: - - -

Et paulo post:

> - - - collectis fumantia lucent
> Terga Elephantorum flammis, pastusque sonoro
> Ignis edax ventô per propugnacula fertur:

In præliis obvios vel conculcant, vel proboscide elevatos ad terram allidunt: quod infelici Mincio accidit, de quo modo dictus Poeta *l. c.*

Au-



Fol. 210. Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.

Ausus digna virô, fortunâ digna secundâ
Extulerat dextram atque adversus cominus ensem
Mincius infelix auso, sed stridula anhelum
Fervorem effundens Monstri manus, abstulit acri
Implicitum nexu, dirôque ligamine torsit,
Et superas altè miserum jaculata per auras
Telluri elisis afflixit (flebile) membris.

siquidem magnitudine corporum, vi, fremitu, fœtore, stridore, barritus horrore, formæque novitate tam homines, quam equos conturbant & in fugam vertunt. Vid. Ammian. Marcellin. *l. 25*. Proboscis tamen eorum facillimè cæditnr: quam ob causam illa cum capite ferro munitur ab Indis.

Tympana pulsata non timent, nec strepitu eorum moventur, olim ad notum sonum auribus mitigatis, ut scribit Curtius *l. 8. c. 14*. Bellorum verò rudes & nuper ex sylva egressi consternantur tubarum clangore & tympanorum sono. Excubias nocturnas illos agere in Ceylonensis Regis urbe Candi refert Herportus *pag.* 177. Sie gehen des Nachts patrolliren/ inquit, per omnes civitatis plateas, & ab omnibus incolis timentur: si forte aliquem deprehenderint per vicos discurrentem, miserè illum tractant: ad vigilias agendas, inquit Ælianus *lib. 13. cap. 12.* præstantissimi sunt excubitores, â somno invicti, & post hominem fidissimi: hinc olim Indorum Reges illos ad custodiam corporis adhibuerunt: illorum fuere duodecim corporis custodibus adjuncti singulis horis sibi succedentes.

In Regno Magni Mogolis Elephantos cum bobus junctos impedimenta & tormenta bellica majora trahere author est Christophorus Acosta & Olaus Dapper *in Asia p. 140.* Numerus Elephantorum Regiorum ad bellicos aliosque varios usus inservientium se extendit usque ad 5000. *ib. p. 141.* Regis Elephanti majoris in splendido domicilio stabulantis, quem triginta alii Elephanti tympanotribis tubicinibus & tibicinibus onusti fuerint comitati, meminit ibidem *p. 143.* Tentoria Regia portarunt trecenti Elephanti: Duellum Elephantorum describitur ibidem *p. 144.* item Turriti Elephanti, quorum singulis insident 7. vel 8. bombardarii vel sagittarii cum Rectore cervici bestiæ incumbente, eamque uncô ferreô juxta aures impactô impellente & gubernante.

Atrô colore illos tingi jubet Magnus Mogol exceptô capite, in quo linea rubra â capite ad pectus desinens ducta est: acupictis aulæis phaleratos & duobus tintinnabulis ornatos singulos comitantur duo minores Elephanti, ad illorum servitia quasi ordinati: ubi ad Regem perventum est, genibus flexis Regem reverentur, eumque elevatâ proboscide barritum edentes salutant. *ibid. p. 222.* Peregrè abeuntem comitantur multi Elephanti pictis compti tapetibus *p. 247.* Vix autem credibile

dibile est, & omnem fidem superat, quod idem author *p. 269.* de Chano de Kanowa refert, quod in exercitu suo 150000. Elephantos duxerit Anno 1609.

In repentina ac tumultuaria pugnâ nullus Elephantorum usus secundum Livium *lib. 27.* In bello Punicô Elephantos ab Hannibale per Rhodanum ratibus trajectos memorat idem *l. 21.* hôc modo: Ratem unam ducentos pedes longam quinquaginta latam â terra in amnem porrexerunt; quam ne secunda aqua deferretur, pluribus retinaculis validis parte superiore ripæ religatam pontis in modum humô injectâ constraverunt, ut belluæ audacter velut per solum ingrederentur: altera ratis æquè lata, longa pedes centum, ad trajiciendum flumen apta huic copulata est: & cum Elephanti per stabilem ratem, tanquam viam, prægredientibus fœminis acti, in minorem applicatam transgressi sunt: ea extemplo resolutis, quibus leviter annexa erat, vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur: ita primis expositis alii deinde repetiti ac trajecti sunt: nihil sanè trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur: primis erat pavor, cum solutâ â cæteris rate in altum raperentur: ubi urgentes inter se, cedentibus extremis ab aqua trepidationem aliquantum edebant, donec quietem ipse timor circumspicientibus aquam fecisset: excidêre etiam sævientes quidam in flumen, sed pondere ipso stabiles, dejectis Rectoribus, quæsitis pedetentim vadis in terram evasere.

Trajectionem Elephantorum per flumina sequenti modo describit Polybius *histor. l. 3.* Cum plures rates compegissent, duas harum invicem probè ac firmiter junctas, quæ latitudinem ambæ quinquaginta pedum habebant, magnâ vi terræ affigunt, quâ parte in amnem ibatur: hisce alias ab exteriore parte copulant connectuntque: & cum hujus quasi pontis fabricam in trajiciendum amnem porrigerent, latus, quod impetum fluminis excipiebat, rudentibus ê terrâ firmant ad arbores alligatis, quibus superior fluminis ripa erat consita: ut staret opus totum immotum, neque secunda aquâ deferretur: ubi perfecta fuisset pontis longitudo ad jugera duo, ratibus postremis duas maximas singularique arte compactas adjiciunt, ipsas quidem inter se firmissimè alligatas: ad cæteras verò sic, ut præcidi vincula facilè possent; his funes ductarios plures alligaverunt, quorum ope lembi remulcô trahentes impedituri erant, quô minus secundus fluvius eas deferret, ac contra fluminis impetum vi suâ rates sustinendo, ad ripam bestias perducturi, & super his erant trajecturi: terram deinde multam afferunt inspergunt-que, donec ejus injectu similem pariter planam & coloris ejusdem superficiem redderent viæ, quæ per ripam ferebat, ad amnis transitum.

Con-

Consueverant Elephanti Magistris suis morigeros se præbere, donec aliqua occurreret aqua: intrare verò aquas non audebant: propterea in hunc aggerem illos duxere duabus præmissis fœminis: atque ita reliqui sunt obsecuti: qui postquam in ultimas rates sunt perducti, incisis vinculis, quibus cæteris istæ erant adnexæ, lembis ductarios funes attrahentibus, extemplò & bestias & rates, quæ illas sustinebant, â reliquis divulserunt: tum verò trepidantes belluæ initiô quidem convertere se, & in omnes partes impetum dare, sed quod aqua undique cingerentur, subeunte pavore quietæ manere cogebantur: atque hôc modô binas subinde rates ad cæteras admovendo, plerique Elephanti super illis sunt transmissi: quidam præ metu in medio trajectu se dedêre præcipites in flumen: quorum Indi periêre omnes, cæteri servati sunt: nam quia prævalidas longasque habent proboscides, his super aquam sublatis simul respirabant, & quicquid incideret, efflabant: atque ita diu aquæ resistentes rectô itinere in ulteriora progrediebantur.

Hannibal, ut per altissimum fluvium deduceret Elephantos, jussit eorum ferocissimum sub aure vulnerari, & vulneris authorem flumen tranare: Elephas dolore ad ulciscendum adductus amnem pariter tranavit, & reliquis idem audendi dedit exemplum. Vid. Frontin. *l. 1. c. 7.* Ordinem in trajiciendis fluminibus servare creduntur, quem in encomio Elephanti Passeratius ita describit:

> Maximus agmen agit: cogit, qui proximus ævô:
> Ignotoque acies nunquam committitur amni,
> Quin rapidi explorant vada gurgitis ante minores.

C. I. Cæsar in Britanniâ ingentem fluvium trajicere conabatur: Rex Britannorum Cassonellaunus cum multis equitibus & essedis eum transitu arcebat: Cæsarem maximus Elephas sequebatur, animal Britannis invisum: eum ferreis squamis muniit, & altam in eo turrim exstruxit, in qua sagittarios & funditores constitutos jussit flumen ingredi: Britanni perterrebantur, invisum & supra modum grande animal conspicati: nam de equis quid attinet referre, cum etiam apud Græcos equi viso nudo Elephanto fugiant: turrigerum autem & armatum, tela fundasque conjicientem aspicere non potuerunt: itaque Britanni cum equis & curribus in fugam se conjecerunt: Romani verò sine periculo flumen trajecerunt per unam bestiam metu hostibus facto. Vid. Polyæn. *l. 8.*

Confecto bello Punico Romani etiam ante prima signa locarunt Elephantos primâ vice hoc auxilio usi, captos enim aliquot â bello Punico habebant, ut scribit T. Livius *l. 31.* Perseus Romanis Elephantos ducentibus partim ex Libya, partim Indos ab Antiocho Syriæ Rege, ne nova

nova ac formidabilis equis bellua primo aspectu exsisteret, præcepit opificibus, ut lignea simulacra fabricarent Elephantorum figurâ & colore prædita: quoniam verò fremitus bestiæ terribilis supra modum esset, jussit ligneum simulacrum Virum cum tuba conscendere, qui per os tubam dirigens acutum & terribilem sonum emitteret: ad hunc modum Equi Macedonum assuefacti sunt ad Elephantorum fremitum & aspectum contemnendum. Polyæn, *l. 4.*

Ad terrorem hostibus incutiendum olim adhibitos fuisse Elephantos ex historiis liquet: Sic Pyrrhus, qui primus Elephantos duxit in Italiam, referente Plutarcho, Cajum Fabricium Romanum, qui nunquam antea Elephantum viderat, terrere volens, jussit, dum simul loquerentur, maximum Elephantum post aulæum juxta se constitui, ac deinde subitò aulæo sublato Elephas ex improviso conspectus proboscidem super caput Fabricii extulit, ac vocem terribilem asperamque emisit: at Fabricius tranquillè conversus leniterque arridens inquit: nec heri aurum, nec me hodie bestia permovit.

Formidarunt tamen Elephantos aliquando Romani: præsertim post Lybicam cladem illorum metus Romanorum animos tantoperè incesserat, ut biennio neque in Africa neque in Sicilia ausi fint cum Pœnis æquo Marte dimicare. Hasdrubal Carthaginensium Dux cum Elephantis centum triginta tribus & Equitum peditumque amplius viginti millibus Lilybæum veniens ex Africa cum Consule Metello apud Panormum pugnam conseruit: sed Metellus vim magnam bestiarum timens prius eas magno usus consilio vel in fugam vel in mortem egit, & sic facilè magnam vim hostium superavit: viginti millia Carthaginensium in eo prælio cæsa sunt: Elephanti viginti sex interfecti, centum & quatuor capti, & per Italiam ducti rarum Italis gentibus spectaculum præbuerunt. Vid. Joh. Cuspinian. *commentar. in Consul p. m. 165.*

Apud Asculum autem gravissima pugna Rege Pyrrho cum Romanis congresso Elephantorum terror exoleverat; nam à Minutio quartæ Legionis hastato Elephanti proboscide abscissa belluas has mori posse ostendebatur: Idem *p. 153. l. c.* ante hæc enim tempora Romani Elephantos timebant valdoperè in bello Africano per Elephantos profligati, quod illi sua vi atque impetu ordines perturbassent, & sic magnam in suo exercitu stragem fecissent: territi enim equi sessores dejiciebant, unde Romani cum maximâ clade in fugam versi, eorumque castra capta sunt: hanc ob causam veriti sunt congredi cum Carthaginensibus in locis æquis, ob Elephantorum metum ad colles & montes se potius recipientes: postmodum autem Romani assueti pugnare cum belluis cum malleolos stupà involutos ac pice oblitos uncis insuper

atque

atque aculeis tenaces præparavissent, eosque inflammatos in terga belluarum turresque vibrassent, non difficulter furentes ardentesque belluas in eorum excidia, quorum fuerant subsidia, retorserunt. Vid. Flor. *lib. 1. tit. 18.*

In bello Punico capti sunt â Romanis multi Elephanti: quâ de re Florus *lib. 2. cap. 2.* ita scribit: argumentum ingentis victoriæ centum circiter Elephantorum captivitas: sic quoque magna præda, si gregem illum non bello, sed venatione cepisset: in bello cum Pyrrho Rege populus Romanus Victor nihil libentius aspexit, quam illas, quas timuerat, cum turribus suis belluas: quæ non sine sensu captivitatis submissis cervicibus Equos sequebantur. Vid. Flor. *lib. 1. c. 18.*

Scipio Africanus Elephantos hôc modo pugnare docuit: duas instruxit acies: unam funditorum contra Elephantos, quæ quasi adversariorum locum obtineret, & contra eorum frontem adversam lapillos minutos mitteret: deinde in ordinem Elephantos constituit: post illos autem aciem suam instruxit: ut cum ab adversariis lapides mitti cœpissent, & Elephanti perterriti se ad suos convertissent, rursus à sua acie lapidibus missis eos converterent adversus hostem: quod tamen ægrè tardèque fiebat. Vid. C. I. Cæs. *de bello Afr. lib. 5.* Idem 30. turritos Elephantos instructissimos ante aciem constituisse Jubam Regem scribit ibidem: & paulò post: à dextrô cornu funditores & Sagittarii concita tela in Elephantos frequentes injiciunt: quo facto bestiæ stridore fundarum lapidumque perterritæ sese convertere, & suos post se frequentes stipatosque proterere, & in portas valli semifactas ruere contendunt.

Elephantis in bello fuisse structas insidias patet ex Hirtii libro de bello Africano *cap. 35.* Speculatores â Scipione in castra hostilia missi inter alia in commissis habuerunt perspicere, num quæ fossæ aut insidiæ Elephantis ante castra portasque valli factæ essent, simulque consilia contra easdem bestias comparationemque pugnæ cognoscere atque ei renunciare. Idem *cap. 41.* testatur, primæ aciei equestri turmatim directæ Elephantos turritos fuisse interpositos ornatos & loricatos. Quamvis Elephantis durissimum sit & haut facilè penetrabile in dorso tergus, tamen ad majorem cautionem loricis ferreis in bello muniebantur: Hinc Hirtius *l. c.* inquit: Bellua ferro munita est, cum ad prælium accedit: sic loricatus Elephas non facilè vulnerari poterat, nisi forte in ventre, qui mollior: Sic Rhinoceros cum ipso pugnans alvum maximè petit, quam scit esse molliorem.

Non prætermittendum heic forte facinus militis cujusdam veterani quintæ Legionis: nam cum in sinistro cornu Elephantus vulnere ictus & dolore concitatus in lixam inermem impetum fecisset, eumque sub pede subditum deinde genu innixus

Ee pon-

pondere ſuo, proboſcide erecta vibrantique ſtridore maximô premeret atque enecaret; miles hic non potuit pati, quin ſe armatum beſtiæ offerret: quem poſtquam Elephantus ad ſe telò infeſto venire animadvertit, relicto cadavere militem proboſcide circumdat, atque in ſublime attollit armatum, qui in ejusmodi periculo cum conſtanter agendum ſibi videret, gladio quo erat cinctus, proboſcidem cædere, quantum viribus poterat, non deſtitit: quo dolore adductus Elephantus milite abjecto maximo cum ſtridore curſuque converſus ad reliquas beſtias ſe recepit.

Elephantorum pugnam ſæpè formidabilem fuiſſe patet ex Hirtio de Bello Africano *cap. 72.* Accedebat, inquit, etiam hæc cauſa, quod Elephantorum magnitudo multitudoque militum animos detinebat in terrore: cui uni rei tamen inventum remedium: namque Elephantos ex Italia adduci juſſit, quo & miles noſter ſpeciem & virtutem beſtiæ cognoſceret, & cui parti corporis ejus telum facilè adjici poſſet: ornatusque & loricatus Elephantus cum eſſet, quæ pars ejus corporis nuda ſine tegmine relinqueretur, & eo tela conjicerentur: præterea ut jumenta beſtiarum odorem, ſtridorem, ſpeciem conſuetudine captâ earum non reformidarent: quibus ex rebus, quod in votis habebat, largiter eſt conſecutus: nam & milites beſtias manibus pertractabant, earumque tarditatem cognoſcebant, equitesque in eas pila præpilata conjiciebant, atque in conſuetudinem equos patientia beſtiarum adduxerat: hoc clarius explicat Dio *lib. 43.* Quanquam nec ſolum Scipionem Cæſar aggredi auſus fuit, imprimis metu Elephantorum, quos non tam pugnæ cauſa, quam quod ab iis equitatus ejus conturbaretur, ſummoperè timebat: itaque milites, quantum fieri poterat, caſtris continens ex Italia milites Elephantosque convocabat, non quod iis magnoperè in prælio fideret, erat enim eorum non magnus numerus, ſed ut ejus equi eorum viſui atque voci aſſuefacti hoſtium quoque Elephantos timere deſinerent.

In bello Tarentino quamvis Romani magnam cladem paſſi ſint, tamen in eôdem cautiores facti obſervarunt, Elephantorum proboſcides facilimè amputari poſſe: hinc temporis progreſſu & quidem ſub Conſule Fabricio illorum terror exolevit. Vid. Flor. *lib. 1. c. 18.*

Fœdus fuit Caſſonellani Britannorum Regis pavor, qui nec ad unius quidem Elephanti aſpectum durare potuit, cum ad eum Cæſar tranſitum pararet, de quo ſupra videſis plura: â quo malo ut ſibi præcaveret Perſeus εἰδώλοις ξυλίνοις ἐλεφάντων ἰδέαν καὶ χρόαν ἐχομένοις, ſtridoreque tubarum acutiore paulatim equos ſuos verorum Elephantorum barritum & magnitudinem ferre docuit. Vid. Flor. *lib. 1. cap. 18.* Polyænus *Stratag. lib. 4. & 8.* Fr. Lindenbrog. *Obſerv. in A. Marcellinum p. m. 148.*

PAR-

PARTIS III. CAPUT III.

Elephanti usum in Triumphis & Spectaculis ostendit.

NOn in bello tantum, verum etiam in triumphis & spectaculis Elephantorum olim magnus usus fuit: sic refert Alexander ab Alexandro *l. 6. c. 6. p. 353.* quod M. Curius Dentatus post fugatum ex Italia Pyrrhum Elephantos in triumpho duxerit: quod confirmat Seneca in libro de brevitate vitæ scribens, primum omnium Curium Dentatum 4. Elephantos duxisse in triumpho: quem triumphandi ritum à Libero Patre seu Baccho, qui de devictis Indis triumphaturus quatuor Elephantos jugo submisit, originem duxisse putat Diodorus Siculus in Græcorum fabulis post expeditionem adversus Deriadem Indorum Regem susceptam, ubi Bachus introducitur

Ἠλιβάτων λοφίησιν ἐφεδρήσσων ἐλεφάντων.

id est, sublimium Elephantorum cervicibus insidens: ita Nonnus *l. 26.* & Diodor. *l. 4.* eundem Bacchum scribit post superatam Indiam primum omnium Indico Elephanto vectum triumphasse.

Nullus pulchrior aut speciosior triumphus intravit Romam, ut L. Florus scribit, quam ille, qui post superatum Pyrrhum celebratus est: ante hunc enim diem nil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma Roma viderat: nihil libentius populus Romanus itaque aspexit, quam illas, quas timuerat, cum turribus suis belluas.

Pompejus M. in Africano triumpho Elephantos primus currui junxit secundum Plinium *lib. 8. cap. 20.* Procilius refert, in hoc triumpho Elephantos junctos Romanam portam ingredi non potuisse: post illum Cajus Julius Cæsar Gallico triumpho Romæ in curru eburneo, quem XL. Elephanti traxerunt, triumphasse fertur, qui non sine sensu captivitatis submissis cervicibus victores equos sequebantur, ut scribit Julius Florus: quâ de re Suetonius in Julio Cæsare ita scribit: ascendit Capitolium ad lumina quadraginta Elephantis dextrâ atque sinistrâ lychnuchos gestantibus, posthunc Claudius secundum Suetonium *cap. 11.* ac deinde Domitius Allobrogibus Arvernisque superatis. Sueton. *in Nerone cap. 2.* Post Gordianus: Jul. Capitolinus in vita ipsius: huic quadrigæ Elephantorum â Senatu populoque Romano decretæ sunt, ut qui Persas vicisset, ab illis curru vectus triumpharet: quâ de re Alciatus hæc habet:

Turrigeris humeris, dentis quoque barrus eburni,
Qui superare ferox Martia bella solet,
Supposuit nunc colla jugo, stimulisque subactus
Cæsareos currus ad pia templa vehit:
Vel fera cognoscit concordes undique gentes,
Projectisque armis munia pacis obit.

Alexander Severus cum de Persis triumpharet, non curru triumphali, sed pedibus sequente curru quatuor Elephantorum palatium ascendit, referente Ælio Lampridio in ejus vita his verbis: posthæc cum ingenti gloria comitante Senatu atque omni populo circumfusis undique mulieribus & infantibus, maximè militum conjugibus pedes palatium conscendit, cum retro currus à quatuor Elephantis traheretur: levabatur manibus omnium Alexander, vixque illi per quatuor horas ambulare permissum est, undique acclamantibus omnibus: Salva Roma, quia salvus est Alexander. Vid. Alexandrum ab Alexandro *Genial. dier. l. 6. c. 6.*

Cæcilius Metellus rebus adversus Pœnos prosperè gestis speciosissimum egit triumphum XIII. Ducibus hostium, & CXX. Elephantis in eô ductis. Vid. Tit. Liv. *lib. 19.* Dionysius Halicarnassæus *antiquitat. Roman. cap. 67. p. m. 122.* in celebri illô triumpho CXXXVIII. Elephantos fuisse ductos scribit. Nic. Perottus *in cornu cop. p. 692.* CXLII. fuisse tradit. Sed modo citatus Dionys. Halicarnassæus *lib. 2. c. 49.* scribit, hos Elephantos non currui junctos, nec jugo subjectos, sed populo Romano saltem ad spectandum exhibitos fuisse; fallitur ergò Sidonius Apollinaris aliique, qui C. Metellum illis triumphasse existimant: quod etiam patet ex L. Senecæ *libr. de brevitate vitæ cap. 13.*

Cneus Domitius Neronis atavus in consulatu Allobrogibus Arvernisque superatis Elephanto per provinciam invectus est turba militum inter solemnia triumphi consequente. Vid. Rosin. *antiquitat. Roman. l. 10. p. m. 419.* Subjectis Sarmatis quoque Domitianum Elephantis triumphasse ex Martiali ita canente patet:

Hic gemini currus numerant Elephanta frequentes,
Sufficit immensis aureus ipse jugis.

Diodorus Siculus author est, Dionysium primum omnium triumphasse Elephanto Indico vectum, veste purpurea indutum, coronamque gestantem ex hederâ & pampinis auream: Elephas ipse ornamentum habebat aureum, coronamque auream hederaceam circa collum: & apud Athenæum legimus, Ptolomæum Philadelphum triumphum illum fuisse imitatum: meminit ejusmodi triumphi Claudianus sic canens:

Talis Erythræis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus, & Caspia flectit eburnis
Colla jugis.

Aure-

Aurelianus superatâ Zenobiâ ante currum triumphalem viginti Elephantos duci jussit.

Exolevit tandem apud posteros splendidus hic triumphandi ritus: minoris tamen alicujus triumphi exemplum legimus apud Carolum Sigonium *in histor. de Regno Ital. l. 18.* de Friderico II. Romanorum Imperatore, qui Pontovicum invasurus secum Elephantum Cremonâ adductum habuit, super quem Castellum instar carrocii constituerat, signis in angulis & vexillô exercitus in mediô positô decoratum, ipsius Elephanti Magistrô atque aliquot Saracenis ad Castelli defensionem impositis: rebus prosperè gestis paulò post Cremonam intravit, secum trahens carrocium cum Prætore Mediolanensium Petro Taupolo Jacobi Ducis Venetiarum filio aliisque captivis vinctis, atque antennâ vexilli ad terram inclinata: carrocium autem vehebat Elephas castellum & tubicines cum vexillis Imperii gestans; quacunque transibat, populo frequentissimo faustis vocibus Imperatori tantam contra Mediolanenses victoriam gratulante.

Non solum autem cum Elephantis, verum etiam cum aliis animalibus olim celebrati sunt triumphi: Sic Marcus Antonius Leonibus ad currum junctis præter aliorum instituta triumphavit: Nero Cæsar autem monstrifico invento hermaphroditas equas portenti loco ad currum duxit: Heliogabalus triumphavit Tigridibus quatuor ad currum junctis, ut Bacchum referret, Leonibus ut Martem, & tandem majore insania quaternis canibus, ut exemplo careret: Sic Aurelianus Cervis ad currum junctis triumphavit ad hostium timiditatem exprimendam: multo insolentius Sesostris Ægypti Rex captivis Regibus currui junctis triumphavit: qua de re Lucanus *lib. 10. Pharsal. v. 273.* ita:

> Venit ad occasum mundique extrema Sesostris.
> Qui Pharios Regum currus cervicibus egit.

Nec minus Romani olim Elephantis utebantur in spectaculis: Sic Claudius Cæsar Aviæ Liviæ divinos honores & in Circensi pompa currum Elephantorum Augustæo similem decernendum curavit, referente Suetonio *in Claud. cap. 11.* Cum Leonibus, Tigridibus aliisque feris, interdum cum mancipiis acriter dimicare cogebantur: memoratu & commiseratione dignum est, quod Dio cum Plinio scribit: Pompeji Magni jussu cum militibus cataphractis XVIII. Elephanti pugnantes cum partim vulneribus conficerentur, partim cæsi occumberent, sublatis ad Cœlum capitibus & proboscidibus ejulantes à populo Romano spectante lamentabili barritu misericordiam quasi efflagitabant, simul Deos quasi precati, ut perjurium vindicarent: (siquidem ex Africâ deportandis erat promissum, quod

nihil mali passuri sint: eâ lege enim atque omine naves conscendere solent: quâ de re supra pluribus actum. miserabile hoc spectaculum tantopere affecit populum Romanum, ut â lachrymis sibi non temperans averteret oculos, & relinqueret theatrum diras Pompejo imprecatus, qui etiam brevi post adversa fortuna usus & ad incitas redactus periit: interfuit huic spectaculo M. Tullius Cicero, cujus verba ex *l.7. epist.1.* excerpta heic annotari merentur: Elephantorum, inquit, extremus dies fuit, in quo admiratio magna vulgi atque turba, delectatio nulla extitit; quin etiam misericordia quædam consecuta est: & paulò ante scribit: quæ quæso, potest esse homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus â valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulo transfigitur? quâ de re Seneca in libro de brevitate vitæ ita sentit: num & Pompejum in circo Elephantorum duodeviginti pugnam edidisse, commissis more prælii noxiis hominibus ad ullam rem bonam pertinet? Princeps civitatis & inter antiquos Principes bonitatis eximiæ memorabile putavit spectaculi genus novo more perdere homines: depugnant, parum est: lancinantur, parum est: ingenti mole animalium obterantur: satius erat, ista in oblivionem ire, ne quis postea potens disceret invideretque rei minimè humanæ.

Unô ictu tum temporis Elephantum occisum fuisse, Plinius refert: pilum enim sub oculo adactum in vitalia capitis penetraverat: Pulchre describit hoc spectaculum Joh. Passeratius in encomio Elephanti:

> Spectaclo, innocuum jussi præbere cruorem
> Implorasse fidem populi, stratique feruntur
> Barritu querulô totum implevisse theatrum:
> Acceptæ voces lachrymis, & dira precati
> Muneris Authori consurrexêre Quirites;
> Pompeje hinc tu Magne scelus meritumque luebas
> Supplicium, caderes Libycâ cum truncus arenâ.

Romæ primum pugnasse Elephantos in circo compertum est Claudii Pulchri ædilitate, annô U.C.DCLV. Item post annos XX. Lucullorum ædilitate curuli adversus tauros: & Pompeji alterô consulatu in dedicatione Templi Veneris Victricis XX. numerô, Getulis ex adverso jaculantibus mirabili unius dimicatione, qui pedibus confossis genibus repsit in catervas arrepta scuta in altum jaciens, quæ spectantibus voluptati erant circumacta in orbem, quasi arte non furore belluæ jacerentur: altero uno ictu occiso, propter quod universi eruptionem tentavere non sine vexatione populi, qui claustris ferreis circumdatus erat: quâ de causa Cæsar Dictator simile postea spectaculum editurus Euripis arenam circumdedit, quos

Nero

Nero Princeps sustulit, ut loca equitibus adderet.

Pugnavere & Cæsaris Dictatoris tertio Consulatu viginti contra pedites quingentos, iterumque totidem turriti cum sexagenis propugnatoribus, eôdem quô priores numero peditum, & totidem Equitum ex adverso dimicante. Vid. Nicol. Perott. *Cornu Cop. p. m. 692.* Cuspinian. *in Aurel.* Cassiod. Coss. Verrius referente Plinio *lib. 8. cap. 6.* Elephantos pugnâsse in Circô, interfectosque jaculis tradit, penuriâ consilii, quoniam neque ali placuisset, neque donari Regibus. L. Piso inductos duntaxat in Circum, atque ut contemptus eorum incresceret, ab operariis hastas præpilatas habentibus per circum totum actos: nec quid deinde his factum sit, Authores explicant, qui non putant fuisse interfectos.

Memoratu digna est dimicatio seu duellum cujusdam Romani Militis cum Elephanto, cujus meminit Plinius *lib. 8. cap. 7.* Cum enim Hannibal captivos Romanos inter se dimicare coegisset, unus qui fuperat, Elephanto objectus est, ille dimitti pactus, si bestiam interemisset, solus in arena congressus, magnô Pœnorum cum dolore Elephantum confecit. Hannibal autem cum famam ejus dimicationis contemptum allaturam belluis intelligeret, Equites misit, qui abeuntem interficerent.

Partis III. Caput IV.

Elephantorum varium, ut & culinarium in Oeconomiâ usum exponit.

Elephas maximum animalium terrestrium jumenti operam præstat, quod patet ex primo capite Legis Aquiliæ Cajus Author *l. 2. ad Leg. Aquil.* Vid. Joh. Spiegelii *Lexicon Juris Civilis.* Aspice Elephantorum colla jugo submissa, inquit Seneca *lib. 2. de ira.*

De Simiis Guineensibus refert Gassendus in vita Peireskii, quod non solum everrant domum, vertant veru, pinsant in mortariô, aliaque ratione famulatum præstent incolis: sed, quod magis admiratione dignum, esse præterea illas barbâ procerâ canâque & pexâ propemodum venerabiles, incedere lentè, & præ cæteris illas videri sibi sapere, quarum maximæ barri dicuntur, easque præ reliquis pollere judicio, semel tantum docendas, vestibus indutas ire bipedes, scitè canere fistula, citha-

cithara, aliaque plurima moliri. Paria servitia, si non in omnibus jam enarratis, tamen in plerisque majora homini exhibet Elephas, domesticis etiam laboribus assuefactus.

Non solum ad expeditiones bellicas adhibetur, ut supra fusius dictum, sed & ad usus œconomicos utilis est: instar Veredi inservit ad vecturam onerum & sessorum: ut facilior fiat ascensio, parum & leniter se inclinat: propter proceritatem enim vix sine adminiculô sessor ascendere potest: interdum Rector Elephantum jubet in genua procumbere, quô factô facile est Sessori eniti versus dorsum: nonnulli scalarum adminiculo ad summitatem stantis animalis ascendunt, quod admonitum quandoque Rectorem proboscide inflexà excipit, eumque usque ad collum seu cervicem attollit: in incessu alacritatem ostendit, licet vastissimum sit animal.

J. B. Tavernier in relatione de Regno Tunquin scribit, Regem ibidem quingentos prægrandes alere Elephantos, non solum ad militares, sed & varios œconomicos usus: funera Regum Tunquinensium comitari Elephantos cum turribus fenestratis refert idem *part. 3. cap. 7. pag. 68.* Non autem exiguo, sed magnô pretiô hoc animal alitur: nec omnibus datum est & concessum ejusmodi sumptuosam bestiam hospitio excipere, cum secundum Petrarcham *l. 1. dialog. 60.* Regiæ potius luxuriæ, quam privatæ fortunæ habilis sit, domum impleat, & horreum exhauriat: hinc Romani olim occiderunt Elephantos, quod nec ali placuisset, nec donari Regibus: nec secundum Flavium Vopiscum apud Romanos ullus privatorum Elephanti Dominus fuit præter Aurelianum, singulari omine, siquidem postmodum ad Imperatoriam dignitatem evectus est: nec privato homini olim licuit alere Elephantum, cum Regia sit possessio alere Elephantum secundum Strabonem.

Apud Indos vehi Elephanto Regium est: tenuioris sortis & fortunæ homines ibidem vehuntur camelis, equis, asinis: feliciores Elephantis, qui præcipuus honor est apud Indos: secundus honor est vehi quadrigis equorum: tertius camelis, uno autem equo vehi teste Arriano turpe est.

Regem Cochinensem peregrè abeuntem vehi Elephanto Nobilibus bombardis & hastis armatis stipatum scribit Johannes Hugo à Linschoten *part. 2. Ind. Or. fig. 18.* Idolum Regni Narsingæ diebus festis coli solitum & à quatuor Elephantis vectum delineat idem *Fig. 22.*

Indis arant minores Elephanti, quos appellant nothos. Plin *H. N. l. 8. cap. 1.* Idem de gentibus semiferis Indiæ *H. N. lib 6. cap 19.* narrat, quod Elephantis arent, vehantur, & hæc maximè norint pecuaria: quod omnia jussa faciant Elephanti, idem docet *lib. 10 cap. 45.* Omnia servitia præstant Elephanti apud Indos: vehunt currum, ubi longior expeditio est; & tantarum belluarum corpora

tota



fol. 222.   Jacob Petrus Sculpsit Erffurti.



fol. 223.

tota conteguntur aurô, ut ſcribit Curtius *l. 8. c. 4.* Chriſtiani, qui in Calichut habitant, equitant Elephantos, ſcribit Cadamuſtus, quoniam ea Regio iis abundat: Rex cum aliquo tendit, trahit ſecum ferè innumeram hominum multitudinem: nonnulli verò Elephantis vecti Regem comitantur, Rex autem humeris nobilium hominum fertur.

Bajulant Elephanti omnis generis onera, quæ ad longè diſſita loca aſportant: Regiis aluntur ſumptibus ad publica officia deſtinati: ſi quis illis opus habet, cum eorum gubernatoribus de mercede prius paciſci debet. Vid. Johann. Hug. â Linſchoten *part. 4. Ind. Or. c. 2.* Ingentia levant pondera, etiam tormenta bellica, quæ funibus alligata trahunt, quorſum lubet: quin etiam integra navigia nullo negotio ad litus trahere valent, ad omnia juſſa parati. Idem *l. c.* pro Seſſore vehendo:

Ille jugum promptus ſubit & data juſſa capeſſit.

Oppian. *lib. 2.* quamvis nec capiſtro nec fræno, ſed ſolâ ſui Seſſoris voce & hamulo regatur: quando ad aliquod onus aſportandum compelluntur, fune proboſcide apprehenſo illud prius ligant, ut facilius ferre poſſint, ſicque cornibus in altum ſublatum portant, vel ſi fortè nimis grave ſit, poſt ſe trahunt tanta cum induſtria & cautela, ut nihil frangant: vel ſi res liquida vehenda eſt, de eâ nihil effundunt, quod admiratione dignum eſt.

Gotthardus Arthuſius *part. 7. Ind. Oriental. cap. 39.* narrat: Regem Peguenſem in ſuis annuis feſtis ſolennibus cum aliis rarioribus producere in hominum conſpectum duos rubros ſerico auro intertexto ornatos Elephantos: poſtmodum quatuor albos auro & gemmis fulgentes, in quibus cornua vulgò dentes rubinorum copia inſignes conſpiciantur, prælato illis ad avertendum Solis æſtum umbraculo: hi Regem, proboſcide in altum elevata, reverenter ſalutantes, editâ certâ voce in genua procumbunt, & tandem in ſtabula reverſi ſinguli ſeorſim ex vaſis aureis cibum capiunt bis in die, ex argenteis verò toties lavantur: hoc dum fit, ſtant ſub tecto octo contis innixo, quod a totidem famulis ſuſtinetur, ne forte ſolares radii illos moleſtent: ſemper autem eos præcedere ſolent Tubicines tuba canentes, quos magna cum gravitate ſequuntur.

Ceilonenſes Elephantos ad varios ludos adhiberi teſtis eſt idem author *l. c.* dari in hoc Regno monaſteria & Monachos, quorum ſupremus Elephanto auro & argento exornato ſceptrum manu geſtans in proceſſionibus vehatur in urbe Vintana refert idem *l. c. fig. 6.* Sigillum Regum Ceilonenſium eſt Monſtrum cum capite Elephantino, brachiis humanis & pedibus cervinis: quam figuram etiam idola eorum habere ſcribit *fig. 11. l. c.*

Ferunt in tergo tentoria, in quibus peregrè abeuntes dormire, &

cum sociis animo indulgere possunt. Vid. Walther Schultzens Ost-Indianische Reise-Beschreibung *l. 2. p. 199.* Indorum Flamines illis utuntur in processionibus. Vid. Casp. Horn *in descript. Eleph.* Solo hortatu & verbis reguntur à Rectore: ad solam vocem Drom procidunt in genua, flectunt crura, & sessorem admittunt.

Regina Patanensis exspatiatura insidet Elephanto pulchrè phalerato sine caveâ, quam stipant Virgines pariter Elephantis vectæ cum Nobilibus armatis, satellitibus & famulis pedestribus. Vid. Joh. Theodor. de Bry *fig. 4. part. 8. Indiæ Orient.*

De mulieribus Indicis scribit Arrianus, quod pro Elephanto pudicitiam prostituant, magnoque sibi ducant honori, quod loco meretriciæ mercedis Elephanto sint potitæ: est itaque apud illas, quæ alioquin satis castæ sunt, primaria prostratæ pudicitiæ merces Elephantus: splendidum enim est apud Indos vehi Elephanto; eapropter Elephantum danti copiam sui faciunt, neque hoc turpitudini vertitur, quin potius honorificum sibi ducunt, formæ suæ pulchritudinem Elephanto dignam haberi. Vid. Philipp. Camerarii Oper. *subcisiv. centur. 1. cap. 50.*

Reginam Tunquinensem ex Palatio exspatiantem comitantur ut plurimum Elephanti sex cum caveis clathratis, in quibus gynæceum & alia utensilia vehuntur: Vid. J. B. Tavernier *relatio de Regno Tunquin. c. 15.* Regem verò ex regia egressum stipant Elephanti 6. sine caveis, sed cum sessoribus armatis: id quod etiam fieri solet, quando bellaturus exit: defuncti verò Regis funus prosequuntur Elephanti duodecim phalerati: quorum quatuor priores singuli vehunt vexilliferum cum vexillô: sequentes quatuor singuli turrim ligneam cum sex militibus sclopetis & pyrobolis armatis: posteriores quatuor caveas speculis & clathris exornatas.

Apud Siamenses phalerarum sellarumque ornatus pro conditione personarum variat: Regis & Reginæ Elephanti præter sedilia magnifica aliis omnibus splendidiora aureis annulis per totam cornuum vulgò dentium longitudinem insertis superbiunt: primariis ministris & Legatis deauratæ sedes obtingunt.

Locô turrium imponunt Indi Elephantis etiam lectos cum antipendiis sericis & aulæis aurô intertextis, in quibus commodè bini cubare, septem verò & ad summum octo sedere possunt: his utuntur Indorum præcipui, qui Elephantos alunt, in itinere & cum sagittariis in bello: extra hunc lectulum cervici insidet Rector, qui ferreô uncô Elephanti aures, proboscidem aliaque loca pungit, & sic pro lubitu, quoquô vult, bestiam impellit. Vid. Petrus de la Valle *in itinerar. l. 2.*

Indorum Sacerdotes in processionibus illis utuntur: incedunt sine frænô, ad nutum hortatumque sessoris se accommodantes, qui simulac hanc vocem DROM profert, sessorem



Fol. 225.

Jacob Petrus Sculpsit Erffurtj.

rem admittunt, pedibus pro ſtapede inſervientibus: quam rem accuratè ſic deſcribit Gillius locô ſupra citatô: molliter incedit, ut ſeſſor immobilis eſſe videatur: non ſolum Rectorem aſcendere tentantem crure flexô incurvatôque in gradum excipit, ſed alios quoque aſſidere volentes à tergô Rectoris: primum aſcendentem crure priore erectô excipit: reliquos poſteriore crure ſimiliter erecto: ita enim crus inclinat, ut ipſum flectat, tibiamque in gradum diſpoſitam etiam diu ſuſpenſam teneat, ſi quis cunctetur in aſcenſu: neque modò ſi Rector juſſerit, latere inclinatô & genu flexô excipit aſcenſorem, ſed etiam totum latus inclinat; & ſimul ad terram abjicit ejuſdem lateris tibiam priorem & poſteriorem, ut facilius, quem Rector voluerit, ſuſcipiat.

Equitantes in illis antequam aſſuefiant, non aliter, quam in mari navigantes, in nauſeam incidunt, & quando deſcendunt, vix pedibus inſiſtere poſſunt: ſecus accidit in juniorum inſeſſione, qua ſeſſor molli gradu vectus tantopere oblectatur, quaſi mulâ gradariâ veheretur. Vid. Gillius *l. c.* Non itaque habenis aut aliis vinculis regitur hæc bellua, ſed inſidentis voci obſequitur, imò ſæpè à puerô regitur: ſic Apollonius juxta Indum fluvium puero occurrit annorum tredecim Elephanto inſidenti, qui illum ſtimulis acriter urgebat, Philoſtratô teſte.

Viam Regiam illos efficere, eamque ceu minus impeditam iter facientes libenter ſequi ex alio Authore refert Illuſtris Vir b. m. Job. Ludolphus *Hiſt. Æthiop. lib. 1. cap. 10.*

Præter enumerata officia domeſtica Elephanti in Regno Siam fungi debent carnificum vice: Reus ad palum terræ infixum alligatus à beſtiâ irritatâ & barriente aliquoties circumitur, & tandem proboſcide apprehenſus cum ipsô palo jactatur in ſublime, ſicque ex altô decidens acutis Elephanti cornibus vulgò dentibus excipitur: transfixus ita terræ alliditur & pedibus conculcatur horrendô ſpectaculo, inteſtinis hinc indè disjectis, ut refert J. Strauſſius *in Itinerario cap. 8. pag. 27.*

Joh. Jacob Saar in diſcurſu ſuo de rebus Indicis *cap. 2. p. 16.* memorabilem refert hiſtoriam: in Bantam erat Mercator Batavus, qui Javanâ concubinâ utebatur: hujus famulus tentatâ mulieris pudicitiâ voti ſui tandem compos reddebatur: quid fit? conſpirat hic cum illâ in Mercatoris Domini ſui necem: conducitur certo pretio Javanus ferrô illum interempturus: quod dum facere aggreditur, errans in perſonâ Anglum quendam ipſius loco occidit: defertur res ad Regem, qui mulierem cum amaſio ſervo extemplo Bataviam miſit, ubi uterque capitis ſupplicio affectus eſt: homicidam verò objecit trucidandum Elephanto, qui à Rectore Æthiope unco ferreo poſt aures adacto irritatus illum palo alligatum proboſcide corripuit, atque in ſublime jactum tandem pedibus protrivit.

Eodem modo in Tunquinensi Regno adulteras mulieres puniri scribit J. B. Tavernier *part. 3. cap. 7. pag. 69.*

Georgius Andreæ, qui apud Magnum Matran in Japara furem ita enectum vidit, rem ita narrat: Fur non procul à Palatio Regio Elephanto objiciebatur, cujus cornua, vulgò dentes chalybe hastarum instar munita & acuminata erant: adElephantum accedebat Sacerdos, eumque sui admonebat officii: quo facto Elephas furis proboscide apprehensi, ter in aera jactati & humo allisi præcordia pedibus confregit, tandemque ejus caput terræ incussum cum cerebro comminuit & confecit.

Idem Author refert, ad ejusmodi executiones etiam Crocodilos adhiberi: Rex, inquit, in horto quodam clauso Crocodilum pro carnifice alebat in piscinâ: ad hanc fur à lictore adducebatur: accedens Sacerdos arte magicâ vel quâcunque aliâ instructus Crocodilum ex aqua evocabat, qui confestim ex latebris prorumpens cum reo dentibus apprehenso in ichthyotrophium se proripuit, nec unquam cum prædâ rursus comparuit. Vid. J A, von Mandelsloh Morgenländische Reise-Beschreibung *l. 3. p. m. 197.*

Supra nominatus Joh. Jacob Saar in *discurs. Ind. cap. 4. p. m. 97.* similis carnificinæ mentionem facit in Ceylonensi Insula ab Elephanto patratæ: erat ibi inter captivos Batavos vexillifer nomine Cornelius Salvegad, qui suum Centurionem verberibus mulctaverat, cum prior ab illó cæsus fuisset: hunc palo astrictum Rex Elephanto Carnifici objici jussit: quid fit? adducitur bestia: detrectat officium clamore cœlum complens, caput hinc inde quatiens, & præter consuetudinem misero prorsus parcens: ex quo plurimi conjiciebant, reum insontem esse: cum autem mandato Regio parendum esset, Æthiops unco ferreo capiti bestiæ sæpius impacto tandem effecit, ut Elephas Vexilliferum proboscide apprehensum, & cornibus vulgò dentibus transfixum in sublime jaceret, & pedibus pectori incussis statim exstingueret & protereret: non omnes autem Elephanti Regii ad id muneris adhibentur, sed duo saltem ex omnibus justitiam dictô modô administrant.

Quâ crudelitate olim Ptolomæus Philopator Judæos simili ferè supplicio destinaverit, Elephantis prius ab Hermone Elephantistâ vinô cum thure mixto in furorem actis: ex qua calamitate tamen miseros eripuêre bini terribiles Angeli cœlitus missi, fusè legere licet *Libro 3. Macchabæor. cap. 5. & 6.* Elephanti enim in fugam versi in proprios Ductores sæviebant.

Vescas esse quibusdam populis Elephantorum carnes, olimque fuisse certum est: hinc traxerunt Elephantophagorum nomen, qui circa Drabam in montibus Asachæis & contra Meroën habitabant: Adiabaras seu Megabaras Authores vocant.

In

In obsidione urbis Martaban Regis Indiæ Orientalis Chambainha dictæ 3000. Elephantos ab incolis absumptos esse memorat Happelius *Relation. Curios. p. 2. p. 151.* Idem scribit, Regem Bramensem carnes infantum minutim concisas cum gramine & oryzâ mixtas post occupationem urbis Promensis Elephantis suis devorandas objecisse *Relation. Curios. p. 2. p. 157.*

Plinius *H. N. lib. 6. c. 30. & l. 8. c. 8.* Troglodytas solo Elephantorum venatu ali, item Nomades Elephantis vesci tradit: hi vagantur hinc inde errabundi, donec Elephantum ceperint, quo consumpto aliò se conferunt, ut simili præda potiantur: nonnulli carne Elephantina sale condita pro cibo utuntur. Æthiopes ex proceris arboribus Elephantorum introitus atque exitus observant, non autem unô eôdemque tempore totum gregem, sed singulos invadunt, quorum poplitum nervos securi incidunt, non sine præsenti vitæ periculo, siquidem Elephantus in sauciatam partem procumbens Æthiopem oppressum interficit, interdum suo pondere ad arborem vel saxum allidit, & cum hoste suo commoritur, cujus posteriores partes incolæ vicini comedunt. Troglodytæ Æthiopiæ contermini sagittas defigunt in Elephantos, vestigia sanguinis sequuntur, & tandem occisorum carnibus vescuntur, præsertim clunibus, quas in delitiis habent.

Caro illorum est ponderosa, frigida, pinguis & abominabilis secundum Rhasem: hanc rubram esse, ut bufalorum & teneram scribit P. Gillius *l. c.* hâc nonnulli in Indiâ usi carnem Elephantinam affirmarunt bubulâ meliorem. Idem. Indorum tamen non pauci Elephantinis carnibus vesci grande piaculum esse ducunt, referente Ol. Dapper. *in As. p. m. 241.* Renes habentur in delitiis: scribit enim Vartomannus, se vidisse in quibusdam Regionibus ferculum omnium pretiosissimum ex renibus Elephanti Regi apponi solitum.

Ex tanta Elephanti mole potissimum culinarium usum præbet Proboscis, quæ inter delicatissimos cibos refertur â P. â S. T. *in Itinerario Orientali 387.* Ælianus *H. A. l. 10. c. 12.* & ex illo Heresbachius præter promuscidem, labrum, epar & cornuum medullam nihil esculentum in iis esse ait. Æthiopes, teste Gillio, posteriores partes appetunt: renes tamen maximè in delitiis & Regum epulis, si Vartomanno tanquam oculato Testi credimus. Elephanti veretrum pro delicatissimo cibo Reges in Madagascar habere scribit J. C. Scaliger. *exercit. 204.*

Toto Elephanto pro cibo uti Æthiopes tradit Diodorus Siculus *l. 4. de gestis antiquorum*: maximè autem posteriorum partium carnibus delectantur: juxta locum unius Elephanti cæsi tabernacula exstruunt, ibique commorantur, donec integrum animal sit absumptum.

ptum. Vid. W. Frantz. *hist. an. p. 1. c. 4.* coguntur autem pro quolibet comesto Elephanto Regionis Domino unum cornu, vulgò dentem pendere. Vid. Happel. *Relat. Curios. part. 2. p. 737.*

Hæc caro sapidior esse bovina, & bubalinam gustu æquare creditur, quod testantur, qui in India illam comederunt: sale etiam conditur instar bubulæ, nec dubium, illam infumari posse: mactantur ab Æthiopibus Elephanti, ut eorum crudâ carne vescantur: cornua verò vulgò dentes ad nos mercimonii gratia transmittunt viminibus sive laqueis colligatos, quod facit, ut putem, majora apud eos Elephantorum armenta inveniri, quam boum in Europa, ut scribit Garzias ab Horto *hist. animal. l. 1. c. 14.*

Secus sentit B. Gomesius *l. 2. de sal. cap. 7.* statuens, animalium stupidorum saltem, v. gr. porcorum, boum, vitulorum, agnorum & simil. carnes vescas esse, non autem illorum, quæ aliquâ excellenti naturæ dote præstant, sive id fiat rapacitate, ut sunt Aquilæ & accipitres: sive sensu & docilitate, ut canes & Elephanti: sive versutia, ut Delphines & Polypi, quorum carnes insuaves sunt & coctu difficiles. Elephantini salsamenti Cratetis mentionem facit Athenæus *lib. 3.* quod olim percelebre & in magno pretio fuisse testatur Aristophanes, illud μέγα βρῶμα καὶ λαμπρὸν vocans, fortassis ab eboris colore Elephantinum dictum.

PARTIS III. CAPUT V.

Elephanti partes usuales, præsertim autem usui Medico destinatas evolvit.

INter has omnium Medicorum calculo prima occupat subsellia Ebur: medicamentum polychrestum & præcipui in Medicina usus, cujus διάσκεψιν ad singulare caput reservabimus.

Adipem contra omnes noxias feras remedium præbere, eoque inunctum etiam nudum inter ferocissimas bestias illæsum versari posse fabulatur Ælianus: Proboscidis tactu capitis dolorem levari, efficacius, si & sternuat, scribit Plinius: hæc cum lemnia rubrica alligata, impetus libidinum stimulat: quâ de re Balduinus Ronsseus *in venatione Medica p. 80.* ita scribit:

> Hoc etiam mollis poterit præstare medulla
> Pernicis Pardi, vel lumbis Lemnia terra
> Addita, juncta cui est Elephanti dextra proboscis.

Jecur

Jecur comitiali morbo medetur secundum Plinium *H. N. l. 28. c. 8.* extremitas hepatis comesta secundum Rhasem hepati dolenti medetur. Fimô, si illinatur, pediculi fugantur. Vid. Joh. Jonston. *H. N. l. 1. c. 5*: Si eô suffumigatur domus aut alius locus, cniphes sive culices fugiunt & moriuntur. Haly ait: si suffumigetur eô venter febricitantis, id prodesse: si verò supponatur mulieri, abortum sequi, quod Avicenna etiam confirmat.

Sanguis Elephanti, præcipuè maris, fluxiones omnes, quas rheumatismos vocant, sistit, & fluctibus syntecticis prodest. Plin. *l. c.* cum cinere mustelarum combustarum mixtus & illitus lepram & Elephantiasin persanat. Horn. *Tract. de Elephanto p. m. 140.* Ischiaticis prodest. Idem *l. c.* Caro cum aqua, sale & paucô acetô cocta secundum Gesnerum pectoralis est, & tussim levat: carnem cum herbis pectoralibus decoctam veteri tussi mederi Rhases & Albertus scribunt: decoctum carnis Elephantinæ ad partum facilitandum commendat D Georgius Pictorius in *Zootrophio pag. 9.* à prægnante verò sæpius sumptum nocet.

Elephanti seniô confecti pili gestati creduntur ab aeris contagio præservare, ut scribit P. à S. T. *in itinerario Ind. l. 7. c. 1.* paucos tamen habet: caudæ pili verò apud Indos maximô sunt in pretiô. Ex Elephanti membris ad Elephantiasin multa remedia inventa sunt. J. B. Porta *l. 1. Mag. Nat. c. 7.* Cute utuntur Indi ad sellas vestiendas, in bello pro clypeis: caudam Regibus donant pro abigendis muscis. Coriis Elephantorum olim inscribebantur Senatus consulta, quæ ad Principes pertinebant, teste Tholosano *in Syntax. mirabil. tom. 1. pag. 166.* Omentum Elephanti olim ad scripturam adhibitum fuisse testatur Isidorus *l. 6. c. 12.* scribens: & non solum in chartâ vel membranis (scribebatur,) sed etiam in momentis Elephanticis, ubi Theodorus Jansonius ab Almeloven legendum putat in omentis seu membranis: Ita Isidorus in Glossario: Omentum quasi mappa ventris.

Fel commendatur adversus morsus serpentum à Dioscoride *lib. 6. 39.* Naribus immissum contra morbum caducum laudat Albertus: Rhases æquale Moschi pondus adjecit: hinc D. Georgius Pictorius locô citato ita scribit:

> Naribus immissum Fel curat recte Elephanti
> Herculeos lapsus. - - - - - -

Pinguedo vel axungia contra quævis venena laudatur inuncta, ut supra dictum: prunis injecta abigit quævis animalia venenata, adeò ut licet secundum Ælianum *lib. 1. cap. 37.* aliquis nudus contra efferatissimas bestias procedat, illæsus discedat, quod tamen crediderim esse periculosæ plenum opus aleæ: adipe Cervino & Elephantino perunctos fugiunt serpentes, teste Dioscoride *l. 2. 86.* Sebum Elephanti capiti dolenti illitum prodesse Rhases &

Albertus

Albertus ſcribunt. Vid. Barthol. Carrichteri Kräuter-Buch *p. m. 85.*

Oſſa Elephanti calcinata & præparata recipit ad ſuum diaſcordium Spagyricum D. Hermannus Nicolaus Grim, quod loco vulgaris diaſcordii in uſum adhibuit in ſuo laboratoriô Ceylonicô, idque in Orientalibus Regionibus noſtrate potentius reperit. Vid. Thom. Bartholin. *act. Med. Vol. 5. p. m. 238.*

Oſſium combuſtorum pulvis cum ſanguine hirci ſiccatô hauſtus in calculo renum & veſicæ prodeſſe creditur ſecundum Geſnerum: pulverem horum oſſium vel etiam eboris cum urinâ capri ſumptum per triduum & quotidie ſemel laudat in conterendo renum & veſicæ calculo Joh. de Monte im Artzney-Büchlein. Cum ſucco plantaginis ſumptus oſſium pulvis dyſenteriam & hæmoptyſin curat, habet enim vim exſiccandi & detergendi, ut alia oſſa. Oſſa & pellis incenſa ſerpentes fugant, faciuntque, ne ullum animal venenoſum accedat, ut ſcribit Author obſcurus de natura rerum: ſed dubium eſt, an hæc potius ad Elaphum, id eſt, Cervum, quam ad Elephantum pertineant: utriusque tamen animalis partibus eadem vis contra ſerpentes ineſt, ſiquidem viva etiam ſerpentibus infeſta ſunt: illa quæ uruntur, v. gr. oſſa, pili, corium, &c. ſi fumi mordacitati accedat gravitas, ferè omnia ſerpentes fugant. Vid. Ulyſſ. Aldrovand. *lib. 1. de quadruped.* Fumô, qui fit ex ungulâ & pilis Elephanti animalia quæque venenata fugantur, ut Iſidorus refert.

Garzias ab Hortô *hiſtor. arom. lib. 1. cap. 14.* ſecus ſe rem habere, nullumque oſſium Elephanti in Medicinâ uſum eſſe ſcribit, tametſi nonnulli tradant, ex illis crematis ſpodium parari: nec ad inſtrumenta & alia opera facienda inſerviunt: dentium (cornuum) duntaxat materies expetitur.

Ungularum Elephanti ſcobem cataplasmatis modô cum albumine ovi paratam & impoſitam reduviis ſeu paronychiis remedio eſſe teſtatur Paulus Ægineta: quod modo citatus Garzias *l. c.* in dubium vocat. Suffumigata ſcobis tamen animalia venenata pellit.

Pili, qui reperiuntur in caudis Elephantorum pauci, ſeu ſetæ transparentes magni æſtimantur ab Indis, & grandi pecuniâ venduntur, creduntur valere contra ſurditatem, quando fruſtulum ex illis in aures immittitur. Verum hoc experimentum vanum eſſe deprehendit Franciſcus Redi in *experiment. natural. p. 114.*

Sudorem Elephanti præcipuè in umbra degentis ſuaviſſimum & moſchi æmulum ſpirare odorem, quem Indi conchyliorum teſtis detergunt, & in vaſcula colligunt, refert Faber *in hiſtor. Mexican. fol. 564.* ex relatione Fratris Gregorii de Bolikar, Hiſpani Ordinis St. Franciſci de obſervantiâ, qui annos 25. in Indiis vixit. Vid. *Ephemerid. Med. Curioſ. ann. I. Obſerv. 97. in Schol. p. 227.*

Scybala

Scybala Elephanti suffumigata & illita, vel siccata vestibus insperſa pulices & pediculos abigunt: quod confirmat D. Georgius Pictorius locô citato ita scribens:

> Stercus item pellit Pherecydis fata Tragœdi;
> Si caput abluitur - - - -

id est, phthiriasin.

Extra applicata scybala in febribus prodesse creduntur: his si suffumigantur conclavia, â culicibus & muscis liberantur: si febricitantis venter horum fumo suffiatur, id convenire & prodesse Haly memorat: mulieri supposita conceptionem impedire Avicenna scribit.

PARTIS III. CAPUT VI.

Eboris Usum Mechanicum recenset.

EBur, Ebor, qui nominativus antiquis in usu fuit, â quo remansit genitivus eboris, & adjectivum eboreus: Vid. Sylv. Decimator. *p. 1.* vulgo exponitur dens Elephanti, quod tamen â Jubâ, ut supra pluribus dictum, meliori jure inter cornua refertur. Ebur quasi ê barrô originem ducere scribit Servius in *1. Æneid.* Italis Avorio, Gallis yvoir, Anglis, yvorie, Belgis yvoor & avoor vocatur. Schen Hebræis dentem simpliciter significat: Chaldæis Sen, Indis Murfil aut Morfil, Arabibus Cenalfil, quod dentem Elephanti denotat: in Guzarate & Decan dicitur Ati: in Malavar Ane: in Canarâ Acete: Æthiopibus Ytembo: nullis vero Nationibus Baro, licet Simon Ganuensis id affirmet. Vid. Garz. ab Hort. *hist. aromat. l. 1. cap. 14.* Οὐδὲς ἢ μᾶλλον κέρας ἐλέφαντος. Juba κέρατα nominat, eô quod ex temporibus enascantur.

Ebur priscis fuisse notum ex antiquissimis Scriptoribus liquet: ejus tractandi artem in Lydiâ & Cariâ jam olim viguisse vetustissimi Poetæ Hesiodus & Homerus docent; hic Iliad. *vers. 141.* scribit:

> Ὡς δ' ὅτε τὶς ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνη
> Μηονὶς ἢ κάειρα. - - - i. e.

Ut cum Lyda vel Caira mulier ebur rubrô inficit, quod Virgilius librô ultimô Æneidos imitatur ita scribens;

> Indum sanguineô veluti violaverit ostrô
> Si quis ebur; - - - -

Et Ovidius *l. 2. El. 5.*

> Mœonis Assyrium fœmina tinxit ebur;

Conjicere licet, ebur esse vocabulum Punicum cum ipsa re Romam ex Africâ translatum: Syris enim & Phœnicibus, unde orti Pœni חור, havar & חיור hivar album sonat:

nat: ineſt enim ebori inſignis candor apud Poetas præcipuè celebratisſimus: ſic apud Homerum *Odyſſ.6.* Pallas Penelopen, ut procis ſuis esſet gratior,

Λευκοτέρην δ᾽ ἄρα μιν θῆκεν πριστοῦ ἐλέφαντος,

i. e. Secto ebore candidiorem fecit: & apud Heſiodum fulget Herculis clypeus

τιτάνῳ λευκῷ τ᾽ ἐλέφαντι,

id eſt, gypſo & albo ebore: Martialis *lib. 14. epigramm. 5.* niveum vocat, quando ita canit:

Nigra tibi niveum litera pingit ebur.

Errat itaque valdè Leonhardus Fuchſius *lib. 1. de compoſit. med. cap. 5.* ſcribens: vix inveniri verum ebur, & illud, quô utimur, eſſe ex genere oſſium balænarum: ſat magnam enim ejus copiam fert Africa, Æthiopia & India: hinc Ovidius ita canit:

Sectile delitiis India præbet ebur.

Æthiopes vicenos dentes (cornua) Elephantorum Perſarum Regibus quotannis pependiſſe author eſt Alexander ab Alexandro *Genial. dier. l. 4. c. 24.* Corneæ naturæ eſſe ebur ſupra ex pluribus authoribus demonſtratum eſt, ſiquidem è cranio oriuntur, quod cornuum proprium eſt: quemadmodum & facilè ſecantur, poliuntur & in quamvis formam effinguntur, quod in dentibus vix fieri poteſt: & quia ſecundum nonnullos decidunt & renaſcuntur, ut Cervorum cornua; hinc apud Æthiopes Akronot, id eſt, cornua audiunt, quorum moles interdum tanta eſt, ut æquare poſſit 220. pondo: ex his eborarius circulos, arcus, tranſtra ſeu ſedilia Remigum & omnis generis ſupellectilem conficit, quæ fragilis & indomita dentium natura ferre non poteſt: habere tamen videntur hæc cornua cum dentibus aliquid commune ſecundum Prophetam Ezechielem *cap. 27.* qui illa קרנות שן cornua dentis, quaſi mediam naturam inter dentes & cornua obtinentia vocat. Franciſcus Apollo omnia Elephanti oſſa ebur nominat, qua de re vid. Ulyſſ. Aldrovand. *lib. 1. de quadruped. cap. 10.*

In operibus, inſtrumentis monilibusque fabricandis magnus eboris uſus eſt apud Indos, inquit Garzias ab Horto *l. c.* ut ex ea Æthiopiæ parte, quæ eſt à Soſala usque ad Melinde ſingulis annis in Indiam devehantur millies ſexcenta pondo, præter eos dentes, qui ex plerisque Indiæ Regionibus convehuntur: hujus eboris pars in Chinarum Regionem defertur: maxima verò & potisſima pars Cambayâ devehitur: eſt enim certum ſuperſtitionis genus apud mulieres ejus Regionis, ut è vitâ ſublatô aliquô ex ſanguine junctis illicô omnia monilia, (quorum viginti ex ebore confecta ſingulæ mulieres brachiis ferunt) confringant, & poſitô luctu nova induant; proinde quia ad ornatum adhibetur, non parvo apud Indos ebur eſt in pretio.

Ebur

Ebur quasi ê barro dictum, quod Elephas suppeditat hominum ambitioni, secundum Helmontium *tractat. de Lithiasi cap. 1.* magnam partem ossis habet, alteramque lapidis seu dentiformem: à Græcis per synechdochen nominatur Elephas; sic βῦς pro bovina pelle sumitur, quemadmodum etiam pro flagellô ex coriô bubulo factô: hinc apud Hesychium βῦς μάστιξ: & apud Plautum legimus: ubi vivos homines mortui incursant boves, per quos intelligenda lora bubula.

Eboris nomine Plinius illam præcipuè partem dignatur, quæ extra os est, quodque alibi Elephantis & dentis Indici appellationem sortitum est, singularemque habet naturam & varium usum. Optimum est Indicum: sic secundum Virgil in Georg.

India mittit ebur, croceos & Tmolus odores.

gaudet humidô & siccitate offenditur, cariemque sentit: illud emolliri & poliri posse Democritus ostendit: emollitur autem potionis genere, quod Zythum appellatur, ut apud Plutarchum legimus: emollitum conformatur, & in varia tornatur: parabantur olim ex eô mensæ, lecti, & quos nonnulli venenô in mensâ præsente sudare nugantur, capuli cultrorum, item fistulæ perforatæ pro clysteribus, enses, vaginæ, capsulæ, pharetræ, scrinia, sceptra, sellæ curules, scutulæ, vascula, speculorum circuli, thecæ, in quibus pulveres sternutatorii asservantur, Dosen zum Nasen, Confect, auriscalpia, dentiscalpia, & similia: nimis enim longum foret, πᾶν σκεῦος Ελεφάντινον velle recensere, item januæ, portæ & alia, de quibus Ulysses Aldrovandus *histor. quadruped. l. 1. c. 10.* politur ut ligna, ac potissimum squatinâ, ut testatur Plinius: nitor verò hebetatur tributô mulierum lunari. V. J. Jonston. *H. N. de quadrupedibus l. 1. cap. 5.* Ebur ex Insula Zeylan & Achen elaboratum nunquam flavescit, ut aliæ eboris ex Occidentali Indiâ allatæ species, atque eapropter longè majore est in pretio. J. B. Tavernier *l. 1. Itin. Ind. c. 18.*

In Insula Madaigascar, ut & in alia, quæ Cuziber vocatur magna eboris nundinatio est, nec in toto Orbe major esse putatur, referente Marcô Paulo Veneto *l. 3. cap. 39.*

H. Cardanus *subtil. l. 10.* optimum ebur quidem ex dentibus Elephanti constare asserit: secundum nonnullos autem ex ossibus Elephantorum etiam fieri putat ebur: ossa enim in laminas secari cœpta ob eboris penuriam Plinius *H. N l. 8. c. 3.* scribit: statuit itaque præcipuum fieri ex dentibus, vilissimum ex ossibus, medium ex dentibus molaribus: (at vix credibile, ex ossibus & dentibus molaribus fieri posse ebur.) Omne ebur pergit Cardanus *loc. cit.* tenax est, solidum & candidum: ideòque ad pectines nihil melius: nobilitas illi tanta, ut inter gemmas & aurum sedeat, quamvis copia vilius evadat: servatur oleô vel aquâ, aliter siccatur;

ſiccatum primo nitorem amittit, inde exeditur, tandem etiam frangitur: defenditur igitur ab aëris injuriâ vapore olei & aquæ: juvenculis, inquit, candidiores & molliores, ut in omni animalium genere dentes: ſenibus grandiores, duriores, ſicciores, nigriores: optimi ad opera quæque in adultis: incertum eſt, an mutentur dentes hi: ſed ſi mutantur, ſemel omnino tantum mutari neceſſe eſt. Hactenus Cardanus, qui non in omnibus aſſenſum meretur.

Dentibus ingens pretium, & Deorum ſimulacris laudatisſima ex iis materia fuit apud varias gentes & populos: hi quam ſplendidi, magnifici ac minimè parci in colendis Diis fuerint, magno illud documento eſt, quod ex India & ab Æthiopibus ebur ad ſigna Deorum ſculpenda advehi curarunt. Vid. Pauſan. in *Eliac. l. 5.* In extremis Africæ, qua confinis Æthiopiæ eſt, poſtium vicem in domiciliis præbere, ſepesque in iis & pecorum ſtabulis pro palis Elephantorum dentibus fieri Polybius tradit, authore Gulufſa Regulô. Vid. Plin. *H. N. l. 8. c. 10.* Pro palis Nigritæ ad ſepimenta utuntur: ſæpè enim longitudinem decem pedum æquant ſecundum Gillium *l. c.*

Hinc Lybiæ incolæ Elephantos venantur non aliam ob cauſam, quam ut dentibus potiantur, teſte Æliano: & Æthiopes, prodente Herodoto, tributi loco Regibus Perſicis quolibet triennio vicenos grandes dentes Elephantinos cum auro & ebeno pendere ſolebant: Cornua verò, (vulgò dentes) fœminarum, quæ certis in Regionibus reperire licet, ſecundum Ælianum majoris ſunt pretii.

Regiam Solis ebore inſignem Ovidius ita deſcribit:

> Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
> Clara micante aurô flammasque imitante pyropô,
> Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tenebat,
> Argenti bifores radiabant limine valvæ:
> Materiam ſuperabat opus: - - -

Sceptri eburnei mentionem facit idem *1. Metamorphoſ.* & ejusmodi donorum Virgilius *l. 6. Æneidos:*

> Dona dehinc aurô gravia ſectôque Elephantô
> Imperat ad naves ferri: - - - -

Regem Iſraëlitarum Ahab ſibi integram domum ex ebore exſtruxiſſe legimus *libro 1. Reg. c. 22.* Eburneorum palatiorum meminit Regius Pſaltes *Pſ. 46. v. 9.* Privatorum quoque domicilia & lecti ex ebore memorantur à Propheta Amos *c. 3. v. 15.* & *c. 6. v. 4.* in quibus erant reconditoria eburnea, quæ varia pretioſa & aromata aſſervabant.

Rex Salomon fabricavit ſibi Thronum ſeu ſolium magnum eburneum cum ſex gradibus, quod obduxit aurô, *1. Reg. 10.* cujus emiſſa claſſis quolibet triennio cum auro, argento aliisque pretioſis etiam eboris copiam ex Indiâ afferebat: hic Salomon-

monis thronus secundum computationem nonnullorum constitit triginta talentorum millibus.

Thronum Regis Salomonis ex ebore ad thronum Christi judiciarium accommodat Rupertus *lib.* 3. *in lib. Regum c.* 31. scribens: Quis est ille thronus tam grandis, tam mirabilis, nisi altitudo Majestatis in illo novissimo die magni ac tremendi judicii? grandis thronus est, quia grande judicium exspectamus: Thronus est ex ebore, quia judicium ex puritate constabit justitiæ: auro vestiebatur, quia tunc divini judicis gloria fulgebit: Thronus hic habebat sex gradus, per quos Salomon ascendebat: sic expletis sex mundi millenariis Christus sedem judiciariam conscendet & orbem judicabit. Duæ Leænæ duas Christi naturas divinam & humanam denotant: est enim Leo de tribu Juda. *Apocal.* 5. *v.* 5. Duodecim Leunculi super sex gradus ex utroque latere stantes sunt XII. Apostoli, de quibus Christus dicit *Matth.* 19. Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.

De Tyri incolis Ezechiel Propheta *cap.* 27. *v.* 6. refert, quod habuerint transtra ex ebore Indico, & quod Insulæ Chittim magni eboris quantitatem illis advexerint. *v.* 15. conflata erant illa navium transtra ex ebore buxo incluso; cujus rei simile exemplum legimus apud Virgilium *lib.* 10, *Æneidos.*

- - - quale per artem
Inclusum buxo aut Oricia terebintho
Lucet ebur: - - - -

In sortilegiis adhibitum fuisse ebur Claudianus refert, ita canens:

Talibus invitat donis, dextrâque regendum
Diva simul porrexit ebur, solemnibus urnam
Commovet auspiciis: - - - -

Eburneorum vasorum fit mentio in Apocalypsi *cap.* 18. *v.* 12. Peribunt domus eburneæ, & finem accipient domus magnificæ, dicit Dominus apud Prophetam Amos *cap.* 4. *v.* 15. & *cap.* 6. *v.* 4. Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris. Opulentiorum lectos, lecticas & domos olim ebore ornatas fuisse, etiam ex Homero patet: Elephantorum autem nusquam hic Poëta meminit, quos si vidisset aliquando, aut ab aliis de illis aliquid audivisset, multò citius, ut conjicere licet, de illis, quam de Pygmæorum & gruum pugnâ aliquid scripsisset, ut scribit Pausanias *lib.* 1. *Attic. pag.* 14.

Equos eburneos ingentes Romæ olim sculptos fuisse, ex Livio constat.

Eburneus, splendidus, nitidus & niveus candor pulchritudinem, præcipue in fœminis arguit: sic Ovidius commendat eburneam cervicem, & *l.* 3. *metaphormos.*

impubesque genas & eburnea colla,

Q. Fabium propter candorem corporis eburneum cognominatum, &

hinc Jovis pullum appellatum fuisse scribit Petrus Laurémberg. *in Pasicompf. c. 26.* Nativa & genuina pulchritudo genarum ea est, ut candore suo nivem aut ebur provocantes leni rubore imbuantur: Poetæ graphicè suis carminibus id exprimunt, v. gr. Ovidius 4. *Metamorphos.*

Hic color apricâ pendentibus arbore pomis
Aut ebori tincto est: - - -

Et *lib. 2. Amor.* canit:

Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixtæ.

Eleganter hoc delineat Poeta hujus seculi celeberrimus Joh. Rempenius P. P. Helmstadiensis *in delitiis Parnassi p. m. 116.*

Frons verecundo rubuit pudore,
Ut solet tinctum roseô liquore
Purpurâ flammans ebur altiorem
Ferre colorem.

Præcipuè autem in collo laudatur eburneus & niveus candor: contra fusca flavedo turpis habetur. Diogenes adolescenti formoso indecora loquenti dicebat: non erubescis ex eburnea vagina plumbeum educere gladium. Vid. *Masen. l. 1. famil. argutiarum:* hinc natum proverbium: ἐν ἐλεφαντίνῳ κολεῷ τὸ μολύβδινον ξίφος: in eburneâ vaginâ gladius plumbeus: proverbialiter dicitur de re præclara, quæ adhibetur, ubi minimè decet: v. gr. si stulto opes, fatuæ forma, genus ignavo, eloquentia Viro improbo contingunt.

In dilecto suo commendat Christi Sponsa ventrem eburneum Sapphiris distinctum *Cant. 5. v. 14.* & in sua Sponsa Christus cervicem turri eburneæ similem. *Cantic. 7. v. 4.* illam Theodorus Beza in Cantico Canticorum eleganter ita describit:

Huic pyropi flammulis
Cæterisque gemmulis
Orbe clausis aureo
Candidæ fulgent manus:
Corpus huic eburneum
Cœrulis intermicans
Hinc & inde gemmulis.

Sponsæ verò candidissimos dentes pari elegantiâ ita delineat idem:

At gemellos dentium
Ordines eburneos,
Ordines junctissimos
Compararim candidô
Cum bidentum vellere,
Quæ nitentes vitreô
E lavacrô prodeunt,
Cum gemellis singulæ
Hinc & inde fœtibus, &c.

Digitorum eburneorum meminit Propertius. De Pelopis humero, quem eburneum fuisse licenter fabulantur, videri potest Pausanias & Nicol. Leonicus *de var. histor. lib. 2. c. 40.* Poetæ Elephantum pro ebore ponunt: Sic Virgilius Georgic 3.

In foribus pugnam ex aurô solidôque Elephantô,

Et Æneid. 6.

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris:

Altera

> Altera candenti perfecta nitens Elephantô:
> Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes:
> His ubi tum natum Anchise, unâque Sibyllam
> Prosequitur dictis, portâque emittit eburnâ.

Corneam portam, per quam emissus Æneas, nonnulli synecdochicè pro oculis accipiunt, quippe qui tunicam corneam obtinent: per eburneam verò os intelligunt, intra quod dentes eboris colore (ἐλεφαντοχρῶτες) sunt conspicui: hæc autem sic interpretari licet, ut quæ oculis usurpamus, fide digniora sint, quam quæ ex ore aliorum prolata audimus. V. Macrobium in somnio Scipionis *l. 1. c. 3.* Cornea porta veris, eburnea falsis somniis, authore Porphyriô, deputata est: rationem addit Macrobius *l. c.* scribens: cornu naturam esse, ut tenuatum visui sit pervium: ebur verò, quamvis ad extremam tenuitatem abrasum sit, non tamen visus acie penetrari posse.

In triumpho Cæsaris eborea, id est, ex ebore sculpta oppida fuisse prælata constat: in sepulturis præclarorum Virorum, ubi ad rostra ventum erat, propinquos in sellis Elephantinis consedisse refert Polybius: Sic Catullus:

> Candet ebur soliis - - -

Venerem Phidias ex ebore & aurô fecit secundum Pausaniam: Elephantinæ Veneris mentionem facit Gyraldus, quæ procul dubio fuit eburnea. Mivervæ Panachæidis simulacrum olim ex ebore & auro factum est. Idem. Aliorum etiam Deastrorum gentilium simulacra olim ex ebore fuisse facta scribit Arnobius in libro adversus gentes: & Plinius *l. 8. c. 10. & l. 36. c. 15.* eburnei Jovis meminit: talem fuisse in Metelli æde, quâ campus petitur, Livius *lib. 5.* tradit. Eleganter hâc de re canit Passeratius in encomio Elephanti scribens:

> Quid referam dentes (seu dicere cornua mavis)
> Phidiacæ famam artis ebur? signum inde Tonantis,
> Oraque Cecropiô fecit spirantia cœlô,

Ex ebore Indicô in Pissa Jovi erectam fuisse statuam refert Mundella in Indice in veros Galeni libros. Apollinis eborei in foro Augusti meminit Plinius *l. 7.*

Josephum Patrem suum (vitâ functum) collocasse (sepelivisse) in lecto (loculo) de sindaphin, id est, eburneo, lego apud Bochartum in *Hierozoic. l. 2. c. 23.* Non enim sindaphin est ligni pretiosi genus, ut nonnulli volunt, sed ebur ex mente citati Authoris.

Julio Cæsari â Cassio & Bruto interfecto funere indicto Romæ rogus exstructus est in campo Martio juxta Juliæ tumulum: & pro rostris aurata ædes ad simulacrum templi Veneris genitricis collocata: intraque lectus eburneus, aurô & purpurâ stratus: & ad caput trophæum cum veste,

veste, in quâ fuerat occisus. Vid. Sueton. *in Jul. Cæs.*

Ebur porrò ponitur pro vasis & aliis rebus ex ebore factis: Sic Horatius 2. Carmin.

> Non ebur, neque aureum
> Mea renidet in domo Lacunar:

Sic Cicero in Verrem mentionem facit omnis eboris ex ædibus sacris ablati. Tibiarum eburnearum Indis in bello usum esse scribit Theodoricus â Bry *f. 4.* Sic Tibullus canit:

> Primum veniens plectrô modulatus eburnô.

Elephantinas tibias primum â Phænicibus repertas Athenæus deipnosophistar. *l. 4. p. m. 181.* scribit. Tubarum ex ebore meminit Joh. Müller. *in historia de Regno Fetu pag. 104.* Monilibus ex ebore uti incolas promontorii bonæ spei refert idem *part. 3. Ind. Oriental. fig. 7.* In Cambaja varia utensilia, imprimis armillæ, quibus ibidem mulieres brachia exornare solent, ex ebore conflantur: quem in finem ex Æthiopiâ, Mozambique & aliis locis in copia advehuntur.

Idem de Claudio Nerone Cæs. refert, illum cænationes instituisse in tabulis eburneis versatilibus. Statuam ex ebore equestrem Titum Flavium Vespasianum Britannico dedicasse in Circensi pompâ præferendam author est idem in Tito Flavio Vespasiano. Ptolomæum Philadelphum Parentibus suis statuas eboreas posuisse memorat Theocritus. Cameræ eburneæ meminit Propertius *lib. 3. eleg. 2.* ubi scribit:

> Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis,
> Nec camera auratas inter eburna trabes.

Marmoreorum tectorum ebore & auro fulgentium mentionem facit Cicero *de Clar. 188. b.* In extremis Africæ, quæ confinis Æthiopiæ est, postes domorum ex ebore fiunt. Præterea variæ ex ebore fiunt Sculpturæ: Sic David Chytræus meminit, se in Cœnobii cujusdam summô altari vidisse historias tam veteris, quam novi Testamenti eburneis tabulis insculptas.

Veteres olim scripserunt in ebore, ut notat Dilherr. *in Disputat. Philol.* Pugillares eburneos nobis sistit Hieron. *Epistol. ad Lætam de instit. fil. Oper. Tom. 1.* Armaria seu loculos librorum olim ex ebore factos scribit Lipsius *de bibliothec. c. 9.* Frœni ebore ornati mentionem facit Tryphiod. *in Ilei excidio:* ex ebore circulos, arcus, variamque supellectilem ab eborariis conflari supra dictum est. Cleopatram naves ebore affabrè exornatas habuisse constat.

Pro balsamis asservandis tornantur etiam ex ebore balsamothecæ, quas tamen facilè penetrant olea destillata, id quod color horum vasculorum immutatus prodit: melius dicta balsama in argenteis & inauratis vasis conservantur: alia etiam utensilia, v. gr. manubria cultellorum & similia pinguibus manibus

tractata pariter eburneum nitorem facilè amittunt.

Clypeos militares aurô & ebore fulgentes apud Indos in usu fuisse refert Q. Curtius *l. 8. c. 5.* Eburnei pectines, quibus ad explicandos capillos utimur, præ cæteris salubres existimantur: fortassis quod plerique ex cornibus facti gravem odorem habent, ex ebore non item. Ensis eburnei mentionem facit Virgilius inquiens:

> - - - atque ensem collô suspendit eburnum:

intelligit per Synechdochen vaginam eburneam: Graduum eburneorum meminit Lucanus, scribens:

> - - - gradibusque acclivis eburnis.

De capsulâ eburnea librum de pustulis continente, quam Hippocrates morti vicinus secum sepeliri jussit, ne ulli mortalium innotesceret, videsis Thomam Bartholinum *hist. anatom. cent. 6. p. m.* 240.

Magnum Chinæ Imperatorem ex eburneis vasis cibum capere refert Erasmus Francisci. Coronarum ex bracteis eburneis olim usitatarum variorumque colorum mentionem facit Nic. Perottus *in Cornu Cop. p.m.* 748. Sceptri Jovis eburnei meminit Ovidius *1. Metamorphos.* Sic scribit Alexander ab Alexandro milites benè meritos à Romanis olim donatos fuisse Scipione eburneô, eisque concessas fuisse sellas curules eburneas. Naves aurô & ebore distinctas fuisse Neroni in Achaiam navigaturo, ut fidicinam artem ostentaret, Cornelius Tacitus refert *l. 5. 6.* Nobiles Romanos habuisse currus ebore adornatos certum est: hinc Ovidius de quodam referr, quod fuerit

> Regalique habitu curruque superbus eburno:

hic fabulatur, Pygmalionem ex ebore virginem fecisse, ejusque amore captum à Venere impetrasse, ut in veram vivamque virginem verteretur: petiti compos factus ex ea suscepit filium Paphum, à quo Insula nomen accepit. Vid. *l. 10. Metamorphos.*

Eboris lamellæ ab eborariô politæ ad picturas inserviunt: hinc ἐλεφαντοζωγράφοι a Plutarcho in Periclis vita vocantur pictores, qui in ebore pingunt: quamvis ossa etiam ob eboris penuriam ad eundem usum in laminas interdum secentur.

Ebur atramento candefacere: tritum est adagium Plautinum: cum enim puella quædam formosa à lena Plautina cerussam ad oblinendas malas postularet, responsum hoc tulit: unâ operâ ebur atramento candefacere postulas: propterea quod omne lenocinium rebus natura pulchris dehonestamentum afferat, non venustatem: veluti si quis veritatem, qua nihil est pulchrius, Rhetorum pigmentis conetur exornare. V. Erasmi *Adag. Chil. 1. cent 3. p. m. 99.*

Eboriâ carie vindicando utile esse vetus oleum existimat Plinius & Joh. Baptista Porta Villæ *lib. 6. cap 5.* Athenis in arce Palladis, quam Par-

thenium vocant, simulacrum eburneum non oleum sed aqua juvat. Plinius *l. c.* Raphani ebur poliunt, scribit idem. Ebur poliendi & emolliendi artem optimè calluit Democritus, quod testatur Seneca *epist. 90.* Raphani succo illud poliri scribit Plinius *histor. nat. l. 19. cap. 5.* Ebur aliquandiu phuscâ, id est, oxycrato, poscâ seu aceto cum vino mixto maceratum ceræ instar mollescere, obsequiosumque & flexile in quodcunque opus tractari scribit Johannes Ruellius *l. 1. de natur. stirp. cap. 43.* & Aëtius *lib. 3. cap. 80. 81.* quod Dioscorides Zytho tribuit, qui est potionis genus ex hordeo factum, quo ebur madefactum ad omne opus tractabile redditur: Zythus enim acorem & vim aceto similem, quod multa solidissima penetrat, in se continet, hinc facilè acescit aqua, in qua hordeum maceratur.

Sic acetum ex similibus, v. gr. Cerevisia fieri constat, cujus vis tanta est, ut saxa penetret, & cum cinere applicatum ossa emolliat: Elephantina ossa, inquit Simeon Sethi in Zytho aliquandiu macerata, instar Ceræ emolliuntur: si ebur synecdochicè, ut nonnullis placet, pro ipso Elephanto sumatur, verè poterit dici, quod Zythus in potu Elephanto datus ferociam ejus mitiget & tollat. Ebur cum radice mandragoræ per sex horas decoctum mollescit, lentumque ad cujuscunque imaginis obsequia redditur, ut scribit Joh. Ruell. *de natur. stirp. l. 3. cap. 11.* Dioscorid. *l. 4. c. 76.* A. P. F. B. von natürlichen und künstlichen Sachen. *cap. 33. pag. m. 612.* Sed hæc inter nugas refert M. Aurelius Severinus *p. 2.* Seilomastig. §. *1. p. 66.* Ebur emollitum in varia conformatur.

Siccitate maximè offenditur ebur, & temporis processu pallescens amittit candorem, hoc ipso inferius Hippopotami dente, qui nitorem suum retinet. Vid. Scaligerum *de subtil. exerc. 187.* immodicâ siccitate candicans ejus nitor interit, & in pallorem vertitur ingratum: quamobrem quibus id curæ est, frigidis & humidis maximè locis ebur facilè præservant, memoriæque proditum est, Palladis ex ebore simulacrum in Athenarum arce collocatum, quod altitudine sua siccius experiri cœlum dicebatur, affusa sæpius aquâ diu pristinum retinuisse candorem: quin etiam Epidauri eburnea Æsculapii statua in throno residens super defossum infernè puteum ob id ipsum collocata fuisse perhibetur. Olympici verò Jovis simulacrum à Phidiâ Atheniensi ex ebore constructum affuso oleo per multa secula illæsum integrumque conservatum refert Nicol. Leonic. *var. histor. l. 2. c. 39.*

Communiter eburneum pro candido accipitur, v. gr. Cervix eburnea, quæ eboris instar est alba: hinc à Theocrito λευκὸς ἐλέφας dicitur. Eburneorum rastrorum meminit Ovidius, undè natum proverbium: eburneis rastris solum vertere: idem

idem cum illo: ligonibus aureis terram fodere, id est, re insigni & præclara abuti, ut si quis eruditione pollens eâ in rebus vanis, inutilibus & nullius pretii abutatur. V. Prudent in Symm. ita scribentem:

Haut aliter, quam cum rastris quis tentat acutis
Cænosum versare solum: - - -

Vid. Pauli Manutii adagiâ *p. m. 1386.*

Palustrium Elephantorum cornua, (vulgò dentes) sunt lividi, rari, tractuque difficiles, habentque in plerisque partibus foramina: in nonnullis quasi grandinis grana & tumores quidam apparent, hinc Arti minimè obtemperant.

Apelles commentus est colorem ex ebore combustô facere, quem Elephantinum vocant. Plin. *H. N. l. 35. c. 6.* evadit autem hic ex candidissimâ materiâ nigerrimus: & quemadmodum

Argenti facies quamvis sit candida, nigras
Ducit lineolas: - - - - - -

ita & heic idem fit, & color valdè ater emergit: quando enim ebur retortæ committitur, spiritu expulsô nigrescit, eamque nigredinem à contentis particulis sulphureis & oleosis accipit: quod figulis etiam notum est, qui ebur oleô lini conspersum in ollâ operculô clausâ calcinationi subjiciunt, unde nigredo major acquiritur, adeò ut ebur hôc modô præparatum evadat nigerrimum. Idem præstatur simplici calcinatione, in qua ebur album ac purum in atrum carbonem redigitur, pictoribus usui futurum. Franciscus Marius Grapaldus *de part. ædium pag. 36.* Colorem ærugini æmulum ex ebore combusto fieri posse scribit.

Ut ebur rubicundum evadat, ℞. Aq. fort. urinæ, & calcis vivæ ana quantum placet: impone ebur cum æquali pondere ligni Brasiliensis, & rubrô colore splendebit ebur: si cæruleum colorem desideras, ℞. Calcis vivæ & Indigo q. v. probè mixtis adde parum aluminis, affunde acet. q. s. ad pultis consistentiam, impone ebur in frusta concisum per 14. dies. Omnia autem stent in loco calido. Viridis & smaragdinus color obtinetur, si solutioni Veneris cum s. q. aq. fort. factæ imponantur eboris lamellæ addendo parum aluminis. Vel ℞. ⊕ lactis caprin. quantum placet, indantur vasi cupreo, cui ebur imponendum: vas obturatum per 14. dies sepeliatur in fimo equino: deinde exime frusta eboris viridi colore saturatè tincta: aluminis tamen nonnihil addendum est.

Ut in ebore scribere possis: ℞. Sem. hyosciami q. v. bulliat in 🜋o vini, impone ebur, donec mollescat: sic potest aliquid in eo scribi vel imprimi: tandem ebur ad solem siccatum pristinam acquirit duritiem.

Ebori similis est lapis Chernites, in quo Darium conditum esse refert Plinius *l. 36. c. 17.* id est קרניתא, Karnita, nomine facto ex קרן, Keren, id est, cornu, quod pro

ebore usurpatum litera Koph per χ expressa, ut passim fieri solet: reperitur etiam, Plinio teste, candidum marmor ebori simillimum. Merulis anniculis rostrum in ebur transfigurari, duntaxat autem maribus, idem tradit.

De ebore loco chartæ scriptoriæ olim adhibito. Vid. Michaelis in notis ad Gaffarelli Curiositates inauditas *p. 155*. Unicornu arte ex ebore effictum Delphis in Belgio vidit Tentzelius *f. 4. Exeg. Chymiatr. p. 666.*

Ante violentam C. Julii Cæsaris mortem inter alia prodigia Ebur, (id est, imagines aut alia ornamenta ex ebore:) lachrymas profudisse, testis est Virgilius in fine *lib. 1.* Georgic. his verbis:

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens: & simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis: pecudesque loquutæ.
(Infandum) sistunt amnes, terræque dehiscunt,
Et mœstum illacrymat Templis ebur, æraque sudant.

PARTIS III. CAPUT VII.

Eboris præparationem & usum Medicum examinat.

EBur, quasi dicas, è barro, ἐλέφαντος ὀδὸν, per synechdochen Elephas dicitur: vulgò exponitur dens Elephanti ex mente Herodoti, quem tamen Juba non pro dente, sed pro cornu habet: Os & dens dicitur generali sensu, quia ebur est solidum, ut dens: hinc Germanis dicitur: Helffenbein. Danis Filsben, à fil, Elephas, & ben, os: Turcis Fulgemik, à Ful, id est, Elephas, & gemik, id est, os: non semper Ἐλέφας τὸ ζῶον, ἀλλ' ἡ ἐκ τοῦ ὀδόντος ὕλη audit.

Ebur in Medicinâ est magni usus: vis ejus secundum Dioscoridem & Serapionem est astringens, quæ tamen gustu non percipitur, ut Aldrovandus notat: refrigerat & siccat, incidit, viscera roborat, albas mulierum fluxiones sistit: præterea ictero convenit, lumbricos fugat, diuturnis obstructionibus confert, stomachi dolores abigit: frigidum & siccum est secundum Johannem Fragosum *hist. Med. Ind. tractat. 1. cap. 12.* in primo gradu: adhibetur ejus pulvis seu limatura in substantia ad drachm. sem. ut & in majore quantitate in infusionibus. In substantiâ maximè commendatur contra catarrhos tenues & salsos, tàm ustum, quàm sine igne præparatum, si misceatur cum Coralliis rubris præpa-

præparatis & osse de corde cervi, inservit pro conservatione fœtûs ad præservandum abortum in gravidis. Emplastica vis potius & absque morsu siccans observatur in illo: non autem omnia siccantia simul astringunt: vim igitur astrictoriam non adeò magnam habet.

Zacutus Lusitanus *de Med. Princip. histor. l. 1. Observ. 21.* mirabilem ebori vim attribuit in curandis plurimis morbis: inter præstantissima præsidia, inquit, quæ ad viscera roboranda ab Authoribus quotidie passimque proponi solent, nullum ebore est excellentius: licet ejus usum, ut rem parvo pretio æstimatam & contemptibilem parvi pendant Medici: fidissimo experimento mihi compertum est, ejus utilitatem ad flaccidum resolutumque ventriculum firmandum, cardiacam, mirachialem, cæterasque obstructiones esse maximam: quam mirabilem tentatis omnibus auxiliis in deploratis morbis semper inveni: ejus tenuisſimam scobem aut ramenta subtilissima in pollinem redacta cum saccharo permixta, vel in tabellas formata, diluculo ad quantitatem drachmæ assume, desuper merum generosum pota, aut naphæ vel melissæ aquam destillatam: si febris aut calida adsit partium intemperies, rosacea satis esto: experieris & miraberis effectum.

Ebur præparatur sive sine igne, vel philosophicè, sivè cum igne, ut Cornu Cervi: Helmontius *de lithiasi c. 3. thes. 29.* scribit, notabilis stupiditatis argumentum esse, ebur & cornu cervinum calcinari in morborum præsidia, quia sic mercari debemus pulverem viribus orbatum: adeoque & spei & crumenæ ægrotorum imponitur, occasio benè agendi præterit, ac Medici seipsos hôc ipsô ridiculos faciunt.

Eboris benè calcinati experimentum est, quando dentibus facilè rumpitur & masticatur, simulque in masticatione odor quidam ac sapor cordialis sentitur, qui etiam in masticatione boli, terræ Lemniæ & lapidis bezoar Orientalis observari solet secundum Thom. Bartholin. *Histor. anatom. centur. 6. pag. 200.*

Præparari potest ebur sequentem in modum: ℞. Eboris in minutissimam rasuram beneficio limæ raspati q. v. contunde in mortario lapideô & tere cum aquâ aliquâ appropriatâ ad pultis formam: quæ pasta chartæ albæ superextensa iterum exsiccatur & pulverisatur, & hoc bis, ter vel pluries repetitur, donec rasura in pulverem subtilissimum redigi queat.

Ulysses Aldrovandus *lib. 1. de quadruped.* sequentem eboris præparationem habet: Eboris in partes secti libram fictili crudo impone, & operculum lutô circumquaqne obline & agglutina: sic cremari (in fornace figulina) finito, donec fictilia percocta sint: deinde exemptum ebur in tenuissimum pulverem terito & cribrato, postea affunde aquam rosar. fragrantissim. q. s. & sicca: ubi ter contriveris hanc massam, ad-

de camphoræ unciam dimidiam, (fortè suffecerit drachma una, vel duæ,) atque iterum tere in tabula marmorea: post finge pastillos, & repone. Sed alii monent, ebur in apertò fictili cremandum esse, & sic candidum fieri, secus nigrescere.

Si uritur ebur, ut decet, Spodium ex ebore vocatur ad differentiam spodii mineralis: pro illo eboris spodio aliorum animalium ossa sæpe obtruduntur: uri autem debet in olla nova aperta, alioquin nigrescet: albisſimum enim evadit, si in aperto igne, nigerrimum verò si in vase clauso calcinaveris: dum in illa calcinatione totum exhalavit sulphur, in hac verò quasi compressum & suffocatum fuit in talem nigredinem degenerans, ad quem effectum non parum etiam præstat liberior aeris accessus. Habetur etiam sine igne præparatum. Vid. Friderici Hoffmanni *Clavem Pharmaceutic. l.5. f.1. p.660.* Egregium est absorbens: hinc adversus acidum morbosum, quibuscunque etiam in locis illud hæreat, optimum est medicamentum. Vid. D. C. I. Lange *lib. 1. de mat. Medic. p.* 441. De Spodio Græci & Arabes diversimodè sentiunt, qua de re Matthiol. *in Dioscorid. cap.* 46. Garzias ab Horto *l.* 3. & Weckerus de Antidotis legi merentur.

Spodii nomine Græci & Arabes duas inter se maximè discrepantes res per homonymiam satis periculosam insigniverunt, quod præcipuè Pharmacopæis observandum, ne cum nocumento proximi utroque indifferenter utantur: nam Græcorum Spodium nihil aliud est, quam Arsenicum seu Nil gryseum, quod instar pompholygis & Nil albi fornacibus fusoriis adhæret, & intra corpus non adhibetur. Spodium autem ustum & elotum est medicamentum mitissimum, & minimè mordax, secundum Galen. 4. *de compos. med. secund. gen. Class. 5.* destituitur tamen sale volatili & oleô, nec pluris æstimatur, quam Cornu Cervi igne aperto ustum.

Arabes describunt alia spodia: nempe Primo: Spodium fossile seu subterreneum 4. generum, nimirum nigrum, viride, gryseum & luteum: secundum vocant antispodium seu Cannarum ex arundine quadam seu Canna factum: hoc ad nos non affertur, atque â D. Casp. Hornio in *tractatu de Elephanto p.m.* 142. non tam pro factitio, quam fictitio habetur: qualis illa Canna fuerit, incertum est: hinc Fuchsius pro Canna Alkannam substituit, quo vocabulo Arabes Ligustrum denotant. Alii ex dactylorum nucleis combustis; alii ex foliis, floribus & baccis immaturis myrti; alii ex gallis, oleæ fruticibus, lentisco, terebintho, foliis rubi combustis, in pulverem redactis, aqua rosaceâ irroratis, iterumque exsiccatis Spodium pararunt: hodie ebur in frusta concisum, in ollam novam injectum, & in figuli furnô combustum in pulverem & postmodum in trochiscos redigitur: id si ad differentiam Spodii mineralis seu Spodii Græcorum voca-

vocaretur antiſpodium, utique error, qui ob nominis ſimilitudinem committi poteſt, facilè præcavebitur.

Quamvis autem in ebore uſtô vis quædam aſtringens & detergens adhûc lateat, maximam tamen ſuarum virium partem inter urendum amittit, ſiquidem præter caput mortuum & nonnihil ſalis fixi vix aliquid remanet. Ebur uſtum ſive nigrô ſive albo colore ſpectabile ſit, nihil aliud quam effœtus cinis vel terra ſterilis eſt, neque ſale quidem fixo (multorum judicio) in gremio ejus contento, ut ſcribit Zwelfferus *Pharmacop. Reg. pag. 248.* Operæ itaque pretium foret, ſi absque igne philoſophicè calcinetur, quemadmodum Cornu Cervi præparari ſolet: ſic enim retineret ſua principia hypoſtatica, & parum virtutis ipſi decederet, meliorique jure de ipſo affirmari poſſet, quod viſcera principalia confortet, vermes necet, conceptionem adjuvet, corroboret, ictericis atque epilepticis ſubveniat, aliaque ſimilia præſtet.

Melius eſſet meo aliorumque judicio, ſi pro Spodio vulgari raſura eboris ſubſtituatur, quæ longè majori virtute pollet, quam ebur uſtum.

Sæpè oſſa combuſta, ſive ſint Elephanti, bovis, arietis, canis aut alterius animalis Spodio ſubſtitui ſolent, ſed malè: uſta enim oſſa non ſunt eadem, nec facilè diſcernuntur. Spodii ex oſſibus Elephantorum uſtis olim uſus fuit in Syrupis ad refrigerandum: pulvis ejus cum ſucco plantaginis ad dyſenteriam ſanguiniſque ſputum datur, ut ex Plateario Geſnerus annotat *lib. 1. de Elephanto*: Spodium hoc ſanguinem ex naribus fluentem ſiſtere fertur. In morbo comitiali exhibetur cum mulſa ſecundum Geſnerum *l. c.* Valet in doloribus & tumoribus capitis, ut ſcribit Conſtantinus Africanus: qui poſt ægritudines, v. gr. lethargum aut peſtem in oblivionem inciderint, eos maximè juvat ſecundum Aetium hiera Ruffi, & Caſtoreum cum oleo occipiti illitum: poſt purgationem per Hieram ſcobis dentis Elephanti drachmam unam ê mulſa potam non parum juvare credunt.

Cordi ſubvenit eboris raſura, quæ frigida & ſicca eſt ſecundum nonnullos in primo gradu: in ſecundo gradu talem eſſe putat Johann von Beverwyck im Schatz der Ungeſund. *p. m. 66. cap. 15.* cum aliquâ aſtrictione, ut idem ſcribit *cap. 20.* & hinc inteſtinis eam ſubvenire arbitratur. Ingreditur ſpecies de gemmis calidas Meſuæ: In palpitatione cordis commendatur â Nicol. Agerio *Pharmacop. ref. p. 2. p. 648.*

Febriles efferveſcentias ebur philoſophicè ſine igne præparatum ſolet præcipitare in maſſa ſanguinea, & compeſcit acidum oberrans in corpore humano: dumque efferveſcentias febriles ſiſtit, valdè commendatur in febribus ardentibus, ut & malignis propinatum cum antimonio diaphoretico: Vid. Ettmülleri *Zoologiam*, Schröderi dilucidati *pag. 172.*

Alexi-

Alexipharmaca illi vis non minus quam Cornu Cervi tribui solet: convenit itaque in febribus malignis. Idem *l. c.*

In febribus putridis magni æstimatur, siquidem putredinem arcet: rationem reddit Stephanus Rodericus Castrensis *lib. 4. de meteor. Microcosm. c. 4. p. 164.* ubi inquit: Os ex corde Cervi, cornua & ebur credo putredinis remedia esse, quia putrescunt difficillimè, atque ita si quæ corpuscula corpori nostro apponunt, difficulter illa corruptibilia sunt, & juncta aliis, quæ jam in corpore adsunt, & corruptioni resistunt, numerum augent militum, quibus contra corruptionem pugnatur: sed abundet suo sensu Castrensis: magis credo verosimile, ebur febriles ex acido sylvestri promanantes effervescentias compescere & præcipitare: cum alexipharmacis mixtum pariter in malignis propinari potest ut vis ejus alioquin tardior excitetur & exaltetur.

Hæmoptoicis etiam conducit, secundum Constantinum Africanum *de animal. cap. 10.* In difficili dentitione mira præstare creditur ebur juxta Scribonium Largum. Ventriculo humido prodest ebur. Jonston. *hist. nat. l. c.* Ebur refrigerat & siccat, ventriculum, cor & epar roborat: Spodium autem seu ebur ustum refrigerat, siccat, & magis astringit, quam ebur, omnibusque partibus internis, præcipuè autem hepati, robur confert, lumbricos enecat, albasque mulierum fluxiones compescit. Vid. G. Bertini *lib. 18. de natura medicamentorum.*

Hypochondriacos quamplurimos usu eboris se sanasse Zacutus Lusitanus scribit *l. 2. prax. admir. pag.* 138. cui in flaccido resolutoque ventriculo roborando, eximendisque obstructionibus & discutiendis tetris flatibus palmam tribuit: removet stomachi dolores Amatô Lusitanô *commentar. in lib. 2.* Dioscorid. teste & Joh. Agricola plus quam alia pharmaca in hunc usum comparata.

Contra icterum in aqua plantaginis aut lupuli rasuram eboris exhibet Nicol. Augerius *Pharmacop. reform. part. 2.* Johannes Agricola scribit, Medicum quendam scobem eboris vino maceratam jejunis Ictericis propinasse non sine successu: conducit enim egregie diuturnis obstructionibus: quod confirmat Joh. Jacobus Weckerus *in antidotar. special. lib. 1. sect. 22. p. 148.* scribens: Rasura eboris morbô Regiô laborantibus ante cibum ex vinô datur: si febris adest, ex aquâ endiviæ & Chichorei: Dos. drachma una jejunô ventriculô. Christoph. Love Morley *in Collectan. Chymic. Leydens. c. 150.* commendat valdoperè contra icterum sequens remedium: ℞. Rasur. eboris ℥j. Rhabarbar. ℈j. Spir. nitri gtvj. vel viij Misce, & propina in aq. Cichor. binis vicibus, matutinô & vespertinô tempore, continuando per tres quatuorque dies; & sine dubio icterum cessaturum promittit.

Eboris

Eboris præparationem Pharmacopæa Auguſtana & Joh. Zwelfferus *in animadv. in Pharmacopæam Auguſtanam p. m.* 411. habet ſequentem, cujus ferè ſimilem ſupra dedimus: R. Eboris ſelecti in tenues lamellas ſeu fruſtula diſſecti libram unam: id fictili crudo nondum cremato indatur, vaſculi portione aliquâ in ſummitate aperta relicta, ne ebur inter urendum nigreſcat: poſtea coquatur una cum reliquis fictilibus in fornace figuli ad perfectionem: hinc exemptum teratur, ac aquâ roſacea abluatur, rurſus ſiccetur, & iterum abluatur, idque tertiâ vice fiat, lævigetur in marmore, & fiant Trochiſci de ſpodio vulgò dicti: melius autem judicio Ammanni de Mater. Med. Trochiſci de ebore dici poſſent: his Trochiſcis Geſnerus *l. 1. de Elephanto*, & Chriſtoph Wirſungius *cap. 6. p. m. 10.* addunt Camphoræ unciam dimidiam, & contra omnia venena commendant, atque ejusmodi trochiſcos ſimili modo ex Cornu Cervi fieri poſſe arbitrantur: meo autem judicio hunc in finem Cornu Cervi philoſophicè præparatum commodius adhiberi poſſet.

Modò citatus Chriſtoph. Wirſung. ebur uſtum in doloribus capitis â crapulâ oriundis commendat im Artzney-Buch *part. 1. cap. 2.* §. *8.* in epiphor. oculorum, *idem p. 1. c. 7. p. m. 62.* in fiſtula carunculæ lachrymalis, *p. 66.* ad acuendum viſum, *p. 76.* in hæmorrhag. narium, *p. 85.* in tremore artuum, *p. 116.* in aphthis, *p. 137.* in guſtu perdito, *p. 143.* in gingivi denudatis, *p. 150.* dentium vacillatione, *p. 155.* in catarrhis frigidis, *p. 170.* in aſthmate *p. 206.* in phthiſi, *p. 223.* in ſputo eruento, *pag. 213. 215.* in diarrhæa phthiſicorum, *p. 224* ad Cor confortandum, *p. 227. 228.* in animi deliquiis, *p. 229. 230.* in palpitatione cordis *p. 233. & ſeq.* in herniâ aquoſa *p. 248. & ſeq.* in imbecillitate ventriculi, *p. 293.* in lienteria exhibet drachmam unam, ut & diarrhœa & dyſenteria, *p. 311. 314. 315.*

Syrupum antidyſentericum & Syrupum de myrto ejusdem, ut & ſyrupum contra icterum, quos omnes ſpodium ingreditur, videſis apud eundem Authorem *pag.* 313. 350. in tenaſmo præſcribitur ab eôdem in electuario *pag.* 223. in obſtructis & induratis lienibus trochiſcos ex ſpodio deſcribit, *pag.* 364. idem in ſiti immodicâ, nimiô menſium fluxu, ſuffocatione uteri, abortu præcavendo, podagra, lepra, hæmorrhagiis, cauſo, ſynocho, hectica, peſte, appetitu proſtrato, hydrope aſcite &c. ebore uſto variis in formulis frequenter utitur.

Ingreditur præterea ebur uſtum varia compoſita in pharmacopoliis uſitata, ex. gr. Electuarium ê ſucco roſarum Nicolai, ſpecies diarrhod. Abbat. diatrion. ſantal. plerес archonticon Nicolai Præpoſiti, trochiſcos de berber. de camphora, de eupatorio, de ſpodio, oleum Rhabarbari compoſitum, quod apud ſupra dictum Authorem *p. m. 658.* ut & Tabernæmontanum reperire licet.

Judicii Joh. Zwelferi *in Pharmacop. Reg. p. m. 248.* lubet heic meminisse: Non est, inquit, quod de ebore usto multa edisseram, cum per omnia Cornu Cervi ustum æmuletur: in quô, peractâ ejus calcinatione, reliquum nihil est, quod destillationi inserviat: nam omnia â violentia ignis expulsa sunt, ossibus meris mortuis remanentibus: cedat igitur ebur ustum in alios usus & fortassis pictorios: ê quô calcinatô album simul ac nigrum colorem eruunt; albissimum enim evadit ebur, si in aprico, non verò conclûso vase calcinetur: nigerrimum contra colorem contrahit vase per calcinationem probè clauso: verum sive nigro sive albo colore spectabile sit, effœtus cinis veluti & terra sterilis est: neque sale quidem fixo (multorum judicio) in gremio ejus contento.

Nullius in Medicina usus esse apud Indos ebur scribit Garzias ab Horto *hist. aromat. l. 1. c. 14.* sed duntaxat ab Arabibus & Turcis usurpatur ex Avicennæ præscripto in iisdem remediis, quibus nos utimur; Ebur ustum est calx sive terra mortua, omni virtute & efficaciâ activà spoliata, ut arbitratur Ettmüllerus loco supra citato: unde etiam rarioris interni usus est. Ebur cum suis præparatis rejicit Ludovici persuasus, omnia quæ ex his sperare possûmus, in Cornu Cervi abunde posse obtineri, cum ebur ustum itemque sine igne præparatum ejusdem ferè sit cum Cornu Cervi naturæ & efficaciæ: attamen in substantia vel maximè ab Authoribus commendatur contra catarrhos tenues & salsos tum ustum, tum sine igne præparatum.

Sale volatili eboris cum aliis ex cornibus, ossibus & sim. in lue venerea utitur Blancardus in suo tractatu Germanico de morbo Gallico *pag.* 328. Idem commendatur in praxi Chymiatricâ Anonymi contra epilepsiam & affectus soporosos. Sal volatile, oleum subtile, ut & crassius ex ebore paratur. Vid. Clavem Pharmaceuticam Friderici Hoffmanni *l. 5. s. 1. p. 660.*

Spiritum, sal volatile & oleum ex ebore elicuit Excellentiss. D. D. I. L. Hannemannus, quæ omnia odore & colore cum medicamentis ex Cornu Cervi paratis convenire scribit Ephemerid. Curiosor. *Decad. 2. ann. 3. Obs. 56.* nisi quod penetrantiora & subtiliora sint: Spiritum eboris in epilepsia curanda admirandam virtutem in fœmina quadam Batava exeruisse ibidem testatur: in syncope, palpitatione cordis, catarrho suffocativo, uteri suffocatione, mensium obstructione & pleuritide eundem deprædicat Olaus Borrichius *Volum. 2. actor. Med. Hafn. Obs. 67.* In insultibus epilepticis etiam opitulatur externè adhibitus.

Moses Charras *Pharmacop. Reg. c. 6. p. 179.* fragmenta eboris per retortam destillat atque inde elicit sal volatile & oleum, facultatibus non multum absimilia â sale volatili & oleo Cornu Cervi: relictis in retorta frustis eboris intus & extra nigerrimis,

rimis, dummodo destillatio ope ignis ultimi gradus peracta fuerit: hæc eboris fragmenta pictoribus in usum veniunt ad illum colorem nigrum effingendum, quem vocant de Velours in panno holoserico.

Cum succo citri præparatum ebur valdè dicitur roborare epar, & convenire in massæ sanguineæ deficiente crasi corrigenda: unde in tali casu solet misceri cum pulvere epatico rubro Dresdensium: sic pulvis epaticus D. Michaelis fit ex ebore sine igne præparato & pulvere epatico rubro Dresdensium. Vid. Ettmüllerus *loco supra citato.*

Calculos in renibus & vesica frangit eboris usti pulvis cum sanguine hirci datus. Rasura eboris ingreditur plura composita, ex. gr. Confectionem de hyacintho, electuar. de gemm. frigidum, species lætificantes Galeni, liberant. electuarium contra pestem Ferdinandi Imperatoris, & alia multa.

Contra lumbricos cum Cornu Cervi miscetur. Vid. J. Jonston. *H. N. l. c.* Vermes necat, præsertim si simul febris adsit. Nic. Ager. *Pharmac. reform. c. 2. p. 648.* In lumbricis fugandis solet propinari infantibus, ubi ejus usus non est frustraneus secundum Ettmüllerum *loc. cit.* singulariter ad vermes in febribus valet, quia eos non ut alia calefacientia auget, ut scribit Joh. Jac. Weckerus *in antidotar. special. lib. 1. sect. 22. pag. 148.* Johann von Beverwyck Schatz der Ungesunden *cap. 20.*

Contra fluxum album mulierum commendat Nicol. Augerius *part. 2.* der Reformirten Teutschen Apothecken *p. m. 648.* ebur in porphyrite in pollinem tenuissimum tritum cum mucilagine seu cremore seminis lactucæ cum aqua chalybeata parata propinatum: quod etiam apud A. Matthiolum *in Commentar. in l. 2. Dioscor. c. 50.* & Joh. von Beverwick *l. c.* reperire licet. Id præstat ebur compescendo acidum in illis præsertim mulieribus, quæ acido abundant secundum Ettmüllerum in Schröd. *dilucidat. Zoologiæ p. 172.* In suffocatione uteri datum ebur sine igne præparatum cum aqua appropriata à ℈j. ad drachm. sem. & ad scrupulos 2. laudat idem *l. c.*

Conceptionem juvare ebur plurimi Practici affirmant. Vid. J Jonston. *H. N. l. c.* Johann von Beverwick Schatz der Ungesund. *cap. 18. p. m. 66.* Nicol. Ager. *l. c.* ad hunc finem laudat limaturam eboris ad drachm. j. & sem. in aq. melissæ calida & saccharo edulcorata propinatam, corpore prius purgato & venæsectione administrata, balneisque ex herbis uterinis postmodum adhibitis.

Ebur fœminas fœcundare scribit Zacutus Lusitanus *de Med. Princ. Histor. in Indice.* Hujus usu mulieres ad concipiendum fœtum aptissimas reddi, ex Dioscoride, Matthiolo & Andernaco notat Joh. Jac. Weckerus *loco supra citato.* Johannes Anglicus *in Rosa Anglica p. m. 562.* præscribit ad fæcunditatem mulierum sequentem pulverem, quem vocat

eburneum: Recipe limaturæ eboris, seselios, matricis leporis, coaguli ejusdem ana q. p. ex siccatis f. Pulvis, quô utatur manè & serò cum brodio cicerum, carnium, vinô albo, decoct. liquirit. & sim.

Nonnulli negant ebur in sterilibus mulieribus fœcunditatem procurare posse, cum hoc animal sit paucæ prolis, & tardè pariat: ideoque contrarium statuunt, illudque potius sterilitatem inducere, quam conceptionem promovere existimant: quæ ratio, cum infirmo stet talô, assensum non meretur.

Abortum præcavere limaturam eboris ad drachmam unam in aquâ plantaginis sumptam scribit Nic. Augerius *l. c.* quod confirmat Ettmüllerus *loc. cit.* qui ebur cum coralliis præparatis hunc in finem exhibet, Frideric. Hoffmannus *l. 5. Pharmacop. Med. Chym. p. m. 660.* cum coralliis rubris præparatis & osse de corde Cervi ad confortandum fœtum & abortum præcavendum ebur commendat: nec minus in dentitione difficili puerorum ebur laudatur.

Gelatina ex ebore per aliquot horas coctô in aqua florum acaciæ & plantaginis ana q. s. in mictione cruenta sistenda magni est momenti: hæc egregiè confortat, simulque stomachica, epatica & uterina est secundum Frideric. Hoffmannum *in clave Pharmaceutica l. c.* In stomacho debili hæc, ut & gelatina Cornu Cervi citius subigitur, quam pulveres, quemadmodum etiam acida spicula in ventriculo & sanguine viscíditate suâ promptius inhibet & infringit: præterea hæc gelatina felici cum successu in febre hectica, & fluxu mulierum albo exhibetur.

Magisterium eboris vulgò sequenti modò paratur: Recipe Rasuræ eboris, quantum placet, inde alembico & affunde spiritum vitrioli vel aliud menstruum corrosivum usque ad pulmenti consistentiam, stent in B. M. per aliquot dies in digestione, solutioni adde aquam calidam & pone iterum ad digerendum. NB. In B. M. fit clara solutio, postea colentur calida adhuc per linteum: remanentiam rursus inde alembico, procede ut ante, & hunc laborem repete, donec in linteô nihil remaneat: postea omnia conjunge, & coque in B. M. usque dum clara fiat solutio: hinc filtra calidè per chartam bibulam: inde omnia alembico, atque ex arenâ abstrahe phlegma: residuum præcipita cum s. q. spir. Vitriol. aut ol. Tartari per deliquium, quod in fundo remanet, dulcoretur affusa sæpius aquâ, & tandem l. a. exsiccetur.

Magisterium antepilepticum Prævotii est tale: Rec. Rasuræ eboris, Cornu Cervi, ungulæ Alcis, cranei humani ex homine suspenso ana q. v. injiciantur cucurbitæ, super affundatur pro imbuendo solum spir. nitri q. s. stent per dies tres, postea adde aceti destillati q. s. pro dissolutione, & denuo digestio instituatur per dies 14 & ultra: solutionem tandem prius filtratam & colatam præcipita cum spiritu Vitrioli, (melius

lius cum solutione Salis proprii cum aqua florum tiliæ factâ,) vel solutiones filtratas ad siccitatem exhalare permitte: Magisterium in fundo relictum ablue & edulcora tamdiu, donec ab omni aciditate & acrimonia sit liberum, tandem exsiccetur. Dosis â scrupulo dimidio ad drachmam sem.

Ossium Elephanti pulvis cum menthastro montano etiam pulverisatô mixtus in potu propinatus illi, quem primum infecit lepra, plurimum prodest secundum Rhasem. Ebur & Castoreum rabido equo cum lacte infunduntur teste Nemesiano.

Ad usum externum etiam cosmeticum, inservit ebur: Sic ramentis eboris præparatis & cum melle Atticô illitis maculæ in facie tolluntur secundum Joh. Jonston. *H. N. loc.cit.* scobe paronychia sanatur. Plin. *H.N. lib. 28. cap. 8.* Mulier si quotidie pulvere eboris faciem fricuerit, maculas tollet, scribit Sextus, & Constantinus Africanus *de animalibus cap. 10.*

In affectibus dolorificis præsertim humerorum Christoph. Wirsung. laudat sequens linimentum, quod inter alia etiam ebur ustum ingreditur: ℞. Ol. coct. cheirin. ℥iß. costin. ℥j. eboris usti, santal. rubr. & alb. rosar. rubrar. ana ʒj. amyli ℥iß. Croci Or. ℈j. vitell. ov. q. s. M. f. l. a. unguentum. Idem immiscet ebur ustum linimentis in gonorrhæa, item emplastro de crusta panis in dysenteriâ. Externè adhibetur Spodium seu ebur ustum in collyriis & exsiccandis vulneribus secundum Ettmüllerum *loco supra citato.* Elephantinum Emplastrum describit Celsus *lib. 5.*

Ex ebore per artem parantur dentes in locum decidentium aut ob senium attritorum inserendi non solum ad decorem, sed & meliorem loquelam: contra hernias puerorum limaturam eboris externè applicatam commendat Nic. Ager *l. c.* Ebur ad nigredinem calcinatum & subtilissimè præparatum ingreditur balsamum apoplecticum. Vid. Dispensatorium Brandenburgicum *pag. 24.*

Ebur adulteratur â nonnullis ossibus piscium aut aliorum animalium; facilè tamen fucus probè inspicienti patebit. Ossium Elephanti olim pro Giganteis habitorum mentionem facit Excellentissimus Pollux Collega noster Garmannus *b. m. l. 1. de miraculis mortuorum tit. 10. §. 18. pag. 99.*

PARTIS III. CAPUT VIII.

Ebur ſeu Unicornu foſſile rimatur.

LUbet nunc abſconditas ingredi Terræ cryptas, ibidemque rimari Ebur foſſile, quod alii ad minerale, alii ad animale Regnum pertinere, atque â tempore univerſalis diluvii in gremio terræ latuiſſe putant: ut olim ſeptem Græciæ urbes de Patriâ Homeri rixabantur: ſic etiam pro natali hujus foſſilis materiæ ſolo animale & minerale Regnum hactenus pertinaciter certarunt.

Ad Regnum animale vix pertinere videtur, cum tanta interdum ipſius reperiatur quantitas & copia, ut nihil minus, quam eboris figuram, & ſæpè grandium nimis animalium oſſa, ſtirpes & truncos arborum, ut & informem rudemque maſſam aut molem informem referat: imò ſæpius tam craſſum & magnum reperitur, ut vel hoc ſolo manifeſtum ſit, quod â nullo unquam animali ſit productum: oſſa autem ê terrâ naſci, invenirique lapides osſeos, ex Theophraſto patet, idque atteſtatur Plinius *l. 36. c. 18.*

Sunt tamen, qui ebur in Italiâ fosſile ab Elephantorum ab Hannibale ex Africâ in Italiam deductorum cornibus (vulgò dentibus) ibidem defoſſis deducere videntur: quos quidem non prorſus â ſcopo aberrare arbitrari licet, cum non ſit omninò impoſſibile, quod Elephantorum ſceleta, imprimis tam ſpiſſa & compacta eorum cornua, quæ ſuâ naturâ cariei & putredini reſiſtunt, per tot ſecula in terrâ præſertim aridâ & ſiccâ latere potuerint incorrupta: ſic Ephemeridum Curioſor. *Decuria 2. anni 7. Obſerv. 234.* mentio fit oſſium prope terram Vitorchiani, Viterbienſis diœceſ. repertorum, quæ revera Elephantorum fuiſſe, factâ collatione cum aliis Elephantorum oſſibus, & quidem illorum, quorum Plinius *cap. 2. & 6.* meminit, ibidem aſſeritur.

Quid verò ſentiendum de aliis Regionibus ejusmodi ebur foſſile producentibus, in quibus nunquam fuit viſus Elephas? Non autem in omni terra ejusmodi ſuccum petrificum ſeu Gorgonicum reperiri certum eſt: ex jam dictis patet, ebur foſſile non ad aliud, quam ad minerale Regnum pertinere: accedit, quod Authores omni exceptione majores promiſcuè ebur hoc modo foſſile, modo minerale nominent, videlicet in terræ utero generatum.

Itaque non omne Ebur ex Elephanto eſt, ſiquidem datur etiam foſſile, quod â Theophraſto in libro de Lapidibus ἐλέφας ὀρυκτὸς dicitur;

tur: quod obſervans Plinius *lib. 36. cap. 18.* ait: Theophraſtus author eſt, etiam ebur foſſile candido & nigro colore præditum reperiri, quin etiam oſſa è terra naſci, invenirique lapides oſſeos: hinc rectè Scaliger. *de ſubtil. exerc. 137.* inquit: Ebur foſſile nihil aliud eſt, quam lapis: ſic datur ebenum foſſile, gagati ſimillimum: Ebeni enim lignum intra terram diu conditum lapideſcit, quod etiam aliis lignis contingere in terra defoſſis vel in aceto aſſervatis compertum eſt: abietes enim in Elbogano ſimul cum corticibus lapideis inventæ ſunt, in quorum ſciſſuris pyrites aureus concrevit: & querna trabs lapidea Hildeshemi viſitur: lapideſcunt & oſſa animalium, teſtæ oſtrearum ac reliqua conchylia, imò integra animalia: nam ſuccus lapidificus, quæcunque ipſum biberint, in lapidem convertit: eadem ratio videtur in ebore foſſili apud Theophraſtum candido & nigro. Vid. Andr. Cæſalpin. *lib. 2. de Metallicis cap. 41.* nam aut ipſum ebur intra terram lapideſcit, aut lapides illi ſimiles ibi gignuntur.

Quod ligno contingit, idem in Cornibus Cervinis, Elephantinis, aliisque quadrupedum partibus ſolidis, ſi in loca certa decidant, fieri poteſt, præſertim ſi coagulabilis & lacteus humor ejusmodi materiam idoneam in viſceribus terræ invenit.

Vocatur ebur foſſile, quia verum & nativum ebur æmulatur. Vid. Joh. Laur. Bauſch. τȣ̃ μακαρίτȣ ſchediaſma de unicornu foſſili: dicitur etiam Cornu foſſile, quibusdam Ceratites, Oſteites, enaſtos: aliis Lithomarga alba: item ſpodium foſſile, ſiquidem inſtar ſpodii ſeu eboris uſti linguæ adhæret.

De ebore foſſili ſic ſcribit Garzias ab Horto *lib. 1. cap. 14.* Mirari ſubit, à quo Andreas Lacuna edoctus foſſile & minerale ebur ſcripſerit, quandoquidem nihil à veritate magis alienum ſit: ſecus ſentit Cluſius in notis in Dioſcoridem *l. 2. c. 50.* inquiens: Laminulis quibusdam eboris foſſilis, quæ nativum æmulantur, ſed cruſta quadam candidiſſima inductæ ſunt, ante biennium a Raſſio noſtro omnium Naturæ miraculorum diligentiſſimo obſervatore donatus ſum: in Italia erui hoc ebur intelligo, & magno in uſu ibi eſſe adverſus virulentorum animalium morſus.

Generatur hoc minerale ſecundum illuſtrem noſtrum Bauſchium *b. m.* & alios Authores ex argilla, bolo vel marga, eorumque lapidifico ſucco, qui in quodcunque obvium influens illud transmutat, transformat, ejusque particulas ſibi aſſimilat: ut plurimum oritur ſua ſponte more aliorum mineralium, quorum generatio & cauſa abſtruſa eſt: aquam coagulatam ſulphuream pro materia habet. Vid. I. I. Beccherus *metallurgiæ part. 1. p. 5.* Andr. Libavius hujus mineralis generationem a bitumine deducit *part. 3. ſingular. lib. 8. cap. 27.*

Qui

Qui viderit tesseras lusorias lapideas in Helvetia fossiles, quorum mentionem facit Wagnerus *in historia naturali Helvetiæ curiosa p.* 329. non mirabitur, materiam ebori similem in terra per naturæ nunquam otiosæ lusum mediante Spiritu lapidifico Gorgonicô, succô Vitriolaceô, & sæpè cooperante igne subterraneo, ut & Solis calore produci: non desunt autem, qui illud genuinum ebur ad terræ cryptas fluviorum impetu vel terræ motu detrusum, vel, ut supra dictum, in universali diluvio submersum, & tot secula in terræ gremio absconditum fuisse arbitrantur: ob quandam figuræ similitudinem a nonnullis dicitur unicornu fossile vel Cornu fossile, cum interdum Cornu Monocerotis referat: sunt, qui vocant Spodium minerale, credentes, verum ebur in terræ penetralibus diutius detentum tandem prorsus exsiccatum, corrosum & exesum esse, ut ferè idem fit cum ebore calcinato seu Spodio Officinarum.

Philippus Hecstetterus *Decad.* 5. *Observat. Med. Cas.* 9. statuit, spodium hoc fossile esse cujusdam ossis diu in terra detenti ibidemque exsiccati portionem, sive sit Cornu vel vulgo dens Elephanti, sive alterius cujusdam animalis os aut cornu: magis tamen vero videtur esse consentanea opinio statuentium, ebur hoc prosapiæ mineralis esse, non originis animalis, cum tanta moles & longitudo corporum corniformium ex terra effossorum vix proportioni geometricæ animalis cujusdam respondeat: tantæ enim magnitudinis fuisse debuisset, quanta est magna quædam navis oneraria, ut rectè judicat C. Bartholinus *l.* 2. *c.* 41. Si etiam a dentibus fossilibus & ab eorum quantitate aliquis vellet facere computationem, quale putas hinc exoriturum portentum giganteum & instar montis monstrum, nunquam in rerum natura visum & observatum.

Positô autem, sed non concessô, ebur hoc ex Elephanto ducere originem, vix tamen credibile est, tanta corpora in Cataclismo universali per tot obstacula montium, vallium & convallium ex Orientalibus suis locis ad septentrionalia & alia dissitissima loca devolvi, & per tot annorum millenarios integra & incorrupta manere potuisse.

A. Boëtius de Boot *Hist. gemm. & lap. l.* 2. Hoc ebur ceratitem vocat, id est, lapidem colore & lævore, interdum etiam formâ ipsa cornu referentem, quemadmodum lapis ille qui conchas & cochleas exhibet, conchites & cochlites dicitur: sic lapis etiam apud nos reperitur, quem cornu Ammonis nominant, eô, quod cornu arietis in se reflexi, Jovis Ammonis galeæ olim assignati effigiem exhibeat, unde Ammonites appellatur: & lapis scissilis Islebiensis variorum piscium aliasque figuras eleganter exprimit.

Celeberrimus naturæ Curiosorum antesignanus Bauschius, modo citatus beatæ recordationis, in suo Schediasmate

diasmate de unicornu fossili ex aliorum etiam Authorum mente ebur fossile lithomargam albam; Cæsalpinus *verò lib. 2. de metallis cap. 40.* lapidem Arabicum Dioscoridis nuncupat.

Est itaque ebur fossile substantia mineralis, lapidea, porosa, astringens, mollior tamen & levior aliis saxis præsertim in medullà, quoad crustam autem externam durior, â spiritu lapidifico in terræ visceribus in formas varias & usus producta. Substantia exterius secundum Schröderum *Pharmacop. l. 3. cap. 8.* ut plurimum dura, intrinsecus plerumque mollis, alba, levis, friabilis, interdum compactior absque poris, linguæ firmiter adhærens, odore nonnunquam gratô: cortex exterior interdum flavescit, cinereus, albus & subniger est.

Materia, ex quâ ebur fossile generatur, secundum Bôëthium de Boot est Margæ species affluxu aquæ subterraneæ petrificæ in albicantem substantiam soluta, post transitum per terræ canales in cavitatem aliquam fortê obviam effusa, ibidemque pro matricis suæ conditione & diversitate rerum, quibus se insinuat, scilicet lignorum vetustorum, cornuum & similium, in certam figuram coalescens, in lapidem concrescens, & varium odorem concipiens.

Effoditur brachii densitate, longitudine & figura varia, in Silesia, Moravia, Saxonia, Franconia, Hassia, Helvetia, Suevia & alibi: In Thuringia prope Tonnam paucis abhinc annis repertum est ebur fossile bonæ notæ, prægrandis Elephantini sceleti formam aliquô modô exprimens, de quo magna lis inter nonnullos eruditos est exorta: erat enim, qui non dubitabat asserere, fuisse ex veri Elephanti in terrâ reperti sceletô: tandem autem vicerunt, qui illud aliorum mineralium more productum esse, ad oculum demonstrabant.

Architectricis Naturæ, licet ἀπαιδεύτου, hoc opus est, cujus ductu Spiritus ille lapidificus pro subjecta materia in matrice terræ hoc vel alio modo operatur: sunt sub terra minus nota nobis jura Naturæ, sed non minus certa, inquit Seneca: videantur de hoc ebore fossili Burgdonnensi, quæ Ephemeridibus Curiosorum inseruit Excell. Dn. D. Joh. Georg. Hoyerus *Decur. III. Obs. CLXXV. Ann. 7. & 8.*

Qualitates Eboris fossilis Authores observarunt diversas: an instar lapidis violacei odorem quendam obtineat, incertum: sunt tamen, qui non ingratum esse, & sæpenumero ambram & moschum illud redolere statuunt: hic fragrans odor si adest, nullum est dubium, quin cor inde roboretur, & contra venena, febres malignas, ipsamque pestem abigendam, tanquam antidotum aliis admiscendum valeat. Dosis ejus, quando solitarium exhibetur, est drachma una, vel scrupuli quatuor secundum Bauschium *loc. cit.*

Kk in

in vinô oligophorô absente vehementi febre: sudandum autem est post hujus eboris usum: vires exserit terræ sigillatæ æmulas, præcipitantes scilicet, diaphoreticas & alexipharmacas: odorem modò laudatus Bauschius observavit talem, qualem cotonea poma & lac amygdalatum habent.

Saporis expers est, instar cretæ: adhærescit linguæ instar ossium, quæ torturam ignis passa & in calcem redacta sunt, non secus ac cornu cervi ustum & alia Vulcani violentiam experta: lineolæ & puncta variorum colorum, potissimum autem nigricantia ad medullam etiam penetrantia ut plurimum apparent in ebore fossili, quod sic â vero ebore discernitur, quippe quod quoad suam substantiam albet & candidum est. Rimas insuper & crustas habet more ossium: superficies durior est, medulla ob humiditatem â proxima terra sicca, aere, atque extraneo, ut & subterraneo calore exhaustam.

Vir quondam Celeberrimus D. Rappius, Archiatrus Moguntinus vidit aliquando capream solidè expressam ex ejusmodi materia, in corpore quidem gypsi instar friabiliori, in cornibus verò compactiori, ut refert Bauschius *l. c.*

In aqua immersum ebur fossile bullas emittit instar terræ sigillatæ vel alterius cujusdam terræ siccioris, non autem facilè dissolvitur, utut aqua porulis ejus affatim se insinuet, quod tamen fieri solet affuso spiritu Vitrioli & ol. Tartari per deliquium, aceto destillato & similibus, secus autem spiritu salis ammoniaci.

Supra allegatus Boetius de Boot aliique authores hoc ebur fossile pro antidoto contra venena habet, sed putat, & quidem rectè, cautelâ heic opus esse, nec statim quodlibet ebur fossile propinandum, sed in ejus virtutes prius accuratè inquirendum esse: siquidem hoc ebur non est unius generis, sed ob diversitatem suæ originis, materiæ admixtæ & natalis soli genium valdè differt, mollius & medullosum facultatem habet exsiccandi, astringendi, & proinde sistendi alvi profluvia, gonorrhæam, fluxum album mulierum, hæmorrhagiam narium, hæmorrhoides: medulla rerum admixtarum facultates æmulatur.

Ebur hoc fossile viribus ferè iisdem, quibus terra sigillata Silesiaca vel Turcica, Melitensis, vel Hassiaca, aut bolus aliquis medicinalis, item quantum ad vim alexipharmacam majoribus, quam unicornu verum ita dictum, præditum esse, existimat non abs re supra laudatus Bauschius *loc. cit.* quod facile in pulverem redigitur, linguæ adhæret, & molle est, majores habet vires, eô magis exsiccat, stipticum est, ulcera ad cicatricem perducit, sanguinem ê naribus, hæmorrhoidibus, vulneribus aut ê thorace erumpentem sistit, & contra supra memoratos morbos valdopere conducit, ut scribit idem *l. c.*

Opti-

Optimum autem, ſelectum & puriſſimum propinandum eſt: facilè enim poteſt fieri, ut de particulis metallicis heterogeneis, fortasſis etiam arſenicalibus, non nihil participet, & ſic pro medela ſperata ſubſequatur noxa: eligendum eſt molle, quod linguæ adhæret, gratum odorem ſpirat, medullam habet, & facilè in pulverem redigitur: quamvis illud, quod deterioris notæ eſt, etiam vim exſiccandi obtineat: non autem ebur foſſile ad omnia venena exſtirpanda valet, ſiquidem magna illorum eſt diverſitas, & quodlibet ferè venenum peculiare antidotum habet: ubi verò veneno reſiſtendum ſimulque exſiccandum & adſtringendum eſt, exiſtimo, ebur foſſile cum alio antidoto mixtum cum ſucceſſu in uſum trahi poſſe, cum particulis ſuis Alkalinis & vi quâdam balſamica humores nimis agitatos in ordinem redigere, eorum acrimoniam infringere, & ſpiritus irritatos mitigare aptum natum ſit.

Proinde pariter locum habebit in curandis febribus malignis, variolis, morbillis, pleuritide, ſcorbuto, dyſenteria, diarrhœa, hæmorrhagiis, cardialgia, anxietate præcordiali, animi deliquiis aliisque affectibus, in quibus potiſſimum acidum exuberat, quod abſorbere & compeſcere valet.

Sudorem prærerea movet vel ſolum a ſcrupulo uno ad drachmam unam in appropriatô vehiculô exhibitum, vel cum antimonio diaphoreticô aliisque bezoarticis copulatum: in epilepſia cum cinnabarinis, ſuccinatis, craniô humanô, ungula Alcis aliisque antepilepticis propinatum poſt præmiſſa univerſalia laudatur: helminthagogum etiam eſt: recens autem majores exſerit virtutes & longè efficacius eſt obſoleto: tractu enim temporis aufugientibus iſtis, quibus recens prægnans eſt, ſpiritibus mechanicis, multum de ſua bonitate remittere videtur, ita etiam cenſente beato noſtro Bauſchio *loc. cit.* Ex recenti ebore foſſili etiam Spiritus elici poteſt ejusdem cum ſpiritu terræ ſigillatæ virtutis.

Externus ejus uſus eſt exſiccans & aſtringens in ulceribus dyſepulotis, quæ ad cicatricem perducit: item in ambuſtis: in epiphora nimiam profuſionem lachrymarum tanquam Collyrium tollit in tenuiſſimum pollinem redactum & cum lacte oculis inſtillatum.

PARTIS III. CAPUT IX.

Historiam inclyti Regii Ordinis Elephantini breviter proponit.

RELigio mihi est, dum hæc de Elephanto analecta in chartam conjicio, planè indictum præterire inclytum & per Orbem famigeratissimum Regium Ordinem Elephantinum, qui sanè ob summos terrarum Dominos, qui illo gaudent & insigniuntur, prolixas laudes adeoque integrum tractatum meretur: quocirca mecum constitui ad majorem hujus gloriam & honorem pauca saltem ὡς ἐν παρόδῳ de illo huic tractatui inserere, nullus dubitans, si fortè nimis succinctâ brevitate in re tanta describenda usus fuero, & quasi Iliadem in nuce benevolo Lectori exhibuero, me veniam impetraturum, siquidem plura de hoc nos latent: interea

In magnis voluisse sat est, si non datur ultra.

Julium Cæsarem Elephantum â se cæsum, Maurorum lingua Cæsar dictum, pro insignibus habuisse, ejusque effigiem numismati insculpi curasse, astruunt Sigonius de Fastis, & Petrus Heig. *in comment. ad proœm. Institut. N. 18.* in hôc nummô videre licuit Elephantum promuscide erectâ cum serpente congredientem: in alterâ parte serpentem Elephanti pedibus obtritum cum inscriptione: Cæsar: potes ex illo lacessitum bellô, & hôc confectum intelligere. Vid. Pierium *l. 2. Hieroglyph.*

Augusto Imperatori currum cum quatuor Elephantis Senatus Populusque Romanus in nummis decrevit, ut & Imperatori Vespasiano re in Oriente benè gestâ: Philippi Imperatoris nummus exhibet Elephantum sub Magistro gradientem cum inscriptione: ÆTERNITAS AUG. In Antonini Pii numismate videtur Elephas cum epigraphe: MUNIFICENTIA AUG. Idem *l. c.* In multis denariis antiquis Metellorum res gestas indicantibus nunc Elephas unus impressus fuit, nunc ad currum juncti duo cum Imperatore stante, quem victoria coronat. Vid. *annotat. in Plin. l. 8. c. 6.*

Igitur non sine ratione hoc nobile animal, (quod præ reliquis quam proximè ad humanos sensus accedit, sermonem patrium percipit, maximè diligens & solers est, etiam recubando non dormiens, robore & consiliô constat, religionem, virginitatem, clementiam Regiam & Regna firmantem pietatem colit, cœlestium

stium intelligentiam habet, Regisque simulacrum eorum maximus præbet, ut supra ex Dion. Cassio *l.39. hist. p. 107.* & pluribus authoribus fuse dictum & demonstratum est) in signa & insignia militiæ gentisque assumptum est olim, postmodum etiam â Potentissimis Daniæ Regibus in tesseram inclyti Ordinis Elephantini adoptatum: & sanè omnium calculo vix eligi potuisset animal nobilius Elephantô, fortitudinis scilicet, magnanimitatis aliarumque virtutum non ectypo, sed archetypo.

Regius hic & per Orbem celebratissimus ad DEI ter Opt. Maximi gloriam, Christianismi incrementum, Patriæ defensionem & heroicarum virtutum incitamentum, Danicique Regni majorem splendorem fundatus Ordo non infimum inter torquatos Ordines locum jure meritòque obtinet, non nisi Regibus, Principibus, magnisque Terrarum Dominis iisque de Republica benè meritis hactenus conferri solitus: sub quô Rege Daniæ autem primam hic Ordo traxerit originem, incertum & non adeò notum est, hâcque de re Authores diversas abeunt in sententias: hinc optandum esset, ut illa, quæ hâc in parte desiderantur, ex Archivo Regio Orbi literato aliquando communicarentur: interim in breviter pertexenda hujus Ordinis historiâ progredimur quôusque licet, contenti illis, quæ ab Authoribus, utut valdoperè inter se dissentientibus, passim recensentur; inter quos est Leonhardus Ludovicus Voigt/ qui anno 1673. edidit tractatum, in quem varia ex antiquis Daniæ monumentis & manuscriptis, præsertim Regii Historici Hertzholmii autographo de hoc Ordine excerpta inseruit.

Hic Author orditur hoc suum opus â rebus Danorum fortiter gestis in expeditione bellicâ â Gothofredo Bullionæo ejusque fratre Balduinô primo contra Saracenos suscepta, cui interfuerunt nonnulli Daniæ Principes pro honore CHRISTI fortiter & strenuè dimicantes, qui in reportatæ victoriæ signum pro tesserâ militari Elephantum de torque pendulum elegisse, & sic Ordinem Elephantinum etiam in hostium terrorem instituisse creduntur: sic Batavi Leone armato hunc in finem in insignibus & numismatibus utuntur. Sunt, qui unum ex his Principibus in acie cum Elephanto pugnasse, eum occidisse, & postmodum Elephantinum Ordinem in hujus rei memoriam fundasse affirmant.

Tantoperè variant Scriptores in designando hujus Ordinis primo Fundatore, ut cui fidem adhibeas, dubius hæreas: nonnulli cum Menneniô & Pontano statuunt, Christianum III. & IV. hujus Ordinis primordia posuisse, sed falluntur & fallunt, nam hic Ordo longè antiquior est: Alii Fridericum II, alii Johannem, alii Christiernum I. Anno 1474. hunc Ordinem Equestrem incepisse volunt, ut putat Joh. Jacob Hoffmannus

mannus *Lexic. Universal. pag. 587.* Sed & hi videntur â janua aberrare.

Verisimile est, Canutum VI. Waldemari M. filium, ejusque in Regnô successorem bellô contra Syros, Mauros & Barbaros Livonos fortiter gestô indubitatum hujus Regii Ordinis fundatorem fuisse: hic enim fratri suo Waldemaro II. in hunc Ordinem recepto pro tessera Elephantum assignavit: quod Christianus I. si non fundator Ordinis hujus, attamen renovator fuerit, arbitratur Excellentissimus noster Collega Paulini *b. m.* im Philosoph: Feyer-Abend *p. 614.* utique credibile est, Ordinis Elephantini insignia habuisse hunc Regem per manus quasi relicta, Romamque secum pertulisse, ad cujus Regis instantiam Sixtus IV. Pontifex Max. non solum hunc Ordinem confirmavit, verum etiam insignia ejus corona spinea & tribus clavis cruentis in honorem & memoriam Passionis Domini JESU CHRISTI Salvatoris nostri auxit: dubio procul modò dictus Pontifex intentionem habuit, hunc Ordinem, qui militaris antea fuerat, in sacrum convertere, idque eô fine, ut ad expeditionem sacram contra infideles Rex excitaretur, & recordatio mortis CHRISTI perennaret. Hinc etiam Illustres Matronæ & Virgines in Societatem hujus Ordinis olim cooptatæ narrantur, eô fine, ut eleemosynis, meditationibus & lectionibus sacris vacarent: quod tamen ex manuscripto quôdam veteri mihi aliquando communicatum, tanquam incertum in medio relinquo.

Antiquum hujus Regiæ Societatis insigne fuit aureus torques ex quatuor turritis Elephantis & totidem crucibus anchoriformibus coagmentatus cum inferius appensa aureâ imagine beatissimæ Virginis Deiparæ JESULUM gestantis & radiis Solaribus circumdatæ, sub cujus pedibus crescens videbatur Luna: crucibus jam dictis postmodum substituta sunt calcaria ab equestri Ordine gestari solita. Witfeldius & Pontanus Historici hoc Ordinis insigne etiam aureum vellus vocant, non quidem quod revera tale sit vel fuerit, sed quod dignitate & antiquitate aureo velleri vix cedat: plusculos enim annos Ordo Danorum equestris ante Philippi Burgundi, qui aurei velleris conditor primus fertur, ætatem computat.

Rex Fridericus II. ordinavit saltem unum turritum Elephantum ex aurea catena pendentem, in cujus corpore litera F. in pectore Regis Symbolum: M. H. I. Z. G. A. id est: Meine Hoffnung ist zu GOtt allein: sub pedibus verò sequentes literæ. T. I. W. B. id est: Treue ist wild Brett inscripti erant. Idem Rex An. 1580. in honorem Ordinis jussit cudi monetam, cujus unum latus exhibebat ipsius iconem aureô torque cum uno Elephanto ornatam: alterum verò latus Elephantum cum castello, & in ejus pectore literam F, sub pedibus verò supra di-

ctas

ctas literas, T. I. W. B. id est: Treue ist wild Brett: cujusmodi monetas plures apud Danos videre licet. B. M. Virgini Deiparæ consecratum olim fuisse hunc Ordinem, insignia monstrant, quæ cum imagine sanctæ DEI genitricis clavis tribus & crucibus Elephanto appensis pinguntur â Bernhardo Justiniano in historiâ Chronologicâ Ordinum Equestrium ex fide dignis Historicis collectâ.

Christianus IV. Rex Daniæ, gloriosissimæ memoriæ, medium Elephantum 4. adamantibus decussatim positis insignivit, cum lemmate: Elephas non curat muscas: & symbolo: Regna firmat pietas. Fridericus III. Rex Daniæ, felicissimæ memoriæ, in honorem & recordationem quinque CHRISTI vulnerum quinque adamantibus in crucis formam dispositis Elephanti aurei pectus exornavit, sublata aurea catena, & in hujus locum substituto ligamento cæruleo serico, additâque insuper argentea stellâ cum eleganti symbolô ab Abrahamô Patriarchâ mutuatô: DOMINUS PROVIDEBIT.

Moderni hujus Regii Ordinis Equites gestant ex cæruleô sericô ligamine pendentem Elephantum turritum, cujus cervici insidet Æthiops cum jaculo: in medio corpore autem spectantur quinque adamantes in forma crucis positi: præterea in sinistro pectoris latere gerunt argenteam stellam, quatuor majoribus & totidem minoribus radiis coruscantem, in cujus medio ex campo rubro splendet crux argentea laureô sertô circumdata. Si fides habenda est nonnullorum relationibus, hodie decretum est, ut nemo imposterum ad hunc Ordinem recipiatur, nisi prius Ordinis Danebrogici Eques exstiterit.

Ex meris Religiosis olim constitisse hunc Regium equestrem Ordinem opinatur cum Mennenio Miræus, D. Oliger, Jacobæus, Professor Hafniensis & Bernhardus Justinianus in historia Chronologica Ordinum equestrium ex fide dignis historicis collecta, ut & Voigtius, cum in honorem beatæ Mariæ Virginis contra Saracenos piô consiliô fuerit institutus: verum enimverò si omnes in hunc Ordinem recepti religiosi fuissent, ob conceptum perpetuæ castitatis votum obstricti fuissent ad cælibatum, debuissentque â matrimoniô abstinere, quod tamen experientia refellit: siquidem Ludovicus Mantuæ Marchio, quem Christianus I. in Italiam profectus cum aliis Magnatibus in Ordinem recepit, cum his uxoratus fuit: accedit, quod de reliquis religiosorum votis aliisque præstandis altum apud Authores sit silentium.

Itaque inter seculares Ordines sibi locum meritò vendicat hic Ordo â Potentissimis Daniæ Regibus ad immortalem DEI ter Opt. Max. gloriam, regni ornamentum, patriæ emolumentum & salutem, atque ad res fortiter gerendas, præsertim contra Christiani nominis hostes majo-

rem

rem ſtimulum piâ & nunquam ſatis celebranda intentione inſtitutus.

In principio nullis exteris Principibus, ſed tantum indigenis conferebatur hic Ordo: nunc aliis etiam ad hunc patet aditus, Ordine in quatuor claſſes redacto: prima claſſis concernit Regiam domum: ſecunda Electores: tertia Duces, Principes, Landgravios & Marchiones: quarta Comites, Barones aliosque Regios Miniſtros de Republicâ benè meritos: totus Ordo nuper conſtitit ex triginta ſex Equitibus, quorum catalogum cum ceremoniis in collatione inſignium obſervari ſolitis aliisque notatu dignis videſis apud Authorem der monatlichen Unterredungen An. 1693. *pag. 919.*

Statuta hujus inclyti ordinis hactenus â multis deſiderata heic inſerere operæ pretium duco, prout illa etiam germanicô idiomate expreſſit Excell. D. Collega noſter Arion Chriſtianus Franciſc. Paullini *b.m.* im Philoſophiſchen Feyer-Abend *p. 621.* Sunt autem ſequentia:

I. Supremi hujus ordinis Directores & Diribitores Reges Daniæ ſunto.

II. Præter hunc Ordinis Dominum ejusque filios, videlicet Equites natos, numero triginta Equites ſunto.

III. Recipiendus in hunc Ordinem ſit triginta annorum, exceptis ſupremi Ordinis Domini agnatis & filiis naturalibus, qui poſt completum annum vigeſimum admitti poſſunt.

IV. Quilibet Ordinis ſocius quotidie in dextro pectoris latere geſtare debet ex ligamento ſerico cæruleo undulato aureum Elephantum, in tergo Caſtellum & in cervice Æthiopem cum jaculo portantem: ſub caſtello ſit crux ex adamantibus compoſita: in ſiniſtro pectoris latere ſplendeat ſtella argentea octangula.

V. In feſto congregationis quilibet Eques in habitu Ordinis compareat cum Torque ex meris aureis & turritis Elephantis coagmentato.

VI. Omnes Equites juxta ſua inſignia gentilitia pet omnem ætatem collocent Elephantum ex ligamento pendentem, ut omnibus, quod ordinis membra ſint, innoteſcat.

VII. Cuilibet equiti in ſuâ receptione detur Diploma propria manu DOMINI Ordinis ſubſcriptum, & Sigillo Ordinis ſubſignatum.

VIII. Sigillum Ordinis exhibet inſignia Regum Daniæ & Norwegiæ cum equeſtri torque circumpoſito & Elephanto turrito, aliisque ſupra articulo quarto deſcriptis & Ordinis ſymbolo: *Magnanimi pretium:* ut & ſequente epigraphe: Magnum Sigillum Nobiliſſimi Ordinis Elephantini: quod ceræ rubræ in capſula eburnea imprimi ſolet.

IX. Huic Ordini etiam exteri Reges & Principes, ſed Orthodoxi, ut & Domini Ordinis Conſiliarii intimi & primarii Miniſtri cum Ducibus bellicis & Equitibus à Danebrog, ſi pariter omnes ſint orthodoxi, incorporari poſſunt.

X.

X. In defectu alicujus membri ab Ordinis DOMINO convocantur Equites præsentes, qui statim alios hôc honore dignos denominant, eorum consignata Nomina Ordinis DOMINO exhibent, qui tandem pro suo beneplacito unum ex illis eligit, & in prædecessoris locum surrogat & confirmat.

XI. Nemo recipitur, nisi prius sit creatus Eques â Danebrog: antequam itaque ad Ordinem Elephantinum aliquis admittatur, tenetur assumere Ordinem â Danebrog: hic Ordo autem deponitur, priusquam alter impetratur: quô factô Ordinis Danebrogici insignia Secretario Ordinis redduntur.

XII. Omnes ad hunc Ordinem electi vocantur â Rege DOMINO Ordinis Domini.

XIII. Vasallus DOMINI Ordinis simulac in Ordinem receptus est, aliis Ordinibus, si quos habet, renunciare tenetur.

XIV. Nec integrum est illi, sine DOMINI consensu alium Ordinem assumere.

XV. Assumptus Eques insignia sua gentilitia Secretario Ordinis tradere debet cum suis coloribus aliisque hûc pertinentibus, quæ in æreâ laminâ depicta tandem in Sacello Ordinis, quod Fridericiburgi est, super Equitis solium in ipsius honorem suspenduntur.

XVI. Ibidem quotannis celebratur festiva Equitum feriâ tertiâ Pentecostes congregatio, in quâ omnes præsentes Equites horis matutinis ex suis conclavibus habitu consueto induti ad Sacellum Ordinis, & quidem singuli ad assignatum locum se conferunt, concionem audiunt, & in conclave reversi tam diu ibi manent, donec ad prandium vocati cum DOMINO Ordinis mensæ accumbant, & cibô potuque reficiantur. Præterea tenentur præsentes Equites ter in annô, nempe feriâ tertiâ festi Salvatoris natalitii, feria tertiâ Paschatis & Pentecostes, item in festo genethliacô DOMINI Ordinis gestare auream catenam cum appenso Elephanto, & in consuetô habitu comparere.

XVII. Cultui divino præest & concionem habet illa die DOMINI Ordinis Concionator aulicus: finitis sacris unus ex Ordine, vel aliquis Eques à Danebrog in honorem fundatoris eôdem in sacellô eleganti Oratione declamat.

XVIII. Equites ex conclavi prodeuntes præcedunt duo Caduceatores in habitu usitatô, quos sequuntur Magister Ceremoniarum, Secretarius Ordinis & Equites a Danebrog: his succedunt Elephantini Equites, DOMINI Ordinis Filii, supremus aulæ Mareschallus vel Cameræ Præfectus, singuli pileis rubris & flavis plumis exornatis conspicui: tandem claudit agmen sub tegmine seu cœlô à quatuor Camerariis portatô Rex Ordinis DOMINUS, quem ab utrôque latere comitantur quatuor Equites à Danebrog; sequuntur postremô Spectatores, quibus hæc sa-

cra aſpicere eſt conceſſa poteſtas.

XIX. Si fortè contingat, ut Ordinis DOMINUS extero cuidam Principi unum vel alterum Equitem Elephantini Ordinis inter ſuos Miniſtros habenti bellum denuntiet, poſſunt tales Equites ſine famæ & honoris diſpendio ſuo Principi aſſiſtere, Patriamque defendere: Si verò accidat, ut Princeps exterus, in cujus ditione & ſervitio Equites tales vivunt, Ordinis DOMINUM bellô laceſſat, non tenentur contra hunc arma ſumere, niſi coacti ab illô Principe in perſona in hanc militiam profectô: hâc ratione eſſent excuſabiles: quâ de re tamen Ordinis DOMINUM ejusmodi Equites in tempore decenter compellare & certiorem reddere debent.

XX. Nulli Ordinis Equiti cum alterô ex Ordine in duellum ſeu monomachiam deſcendere liberum eſto: læſus injuriam ad Ordinis DOMINUM deferat, & ab hôc ſuo ſupremô judice illud, quod juſtum eſt, exſpectet.

XXI. Nulli Ordinis Equiti liceat in publicum procedere ſine Ordinis ſigno ſub pœna viginti Ducatorum inter pauperes Hildevodenſes prope Fridericopolin habitantes diſtribuendorum: ſi verò prorſus depoſuerit Ordinis ſignum, vel per integrum annum illud non geſtaverit, ex Ordine, quo hoc ipſo ſe indignum præſtitit, ejicitur.

XXII. Nullus in Ordinem recipi debet, cui propter mala facta pœna jacturam famæ, vitæ & bonorum inferens aliquando dictata fuit, etiamſi illa poſtmodum fuerit remiſſa; pariter exeſſe debet ex Ordine, qui ſtationem ſuam ſine urgente neceſſitate in bello ignominioſe deſeruit, fugitivus factus & hinc malæ famæ eſt: ſi verò poſt Equitis receptionem ejusmodi capitalia facinora innotuerint, aut Eques ab orthodoxa religione defecerit, jure meritòque ex Ordine exterminari debet: ejecto adimit poſtea Secretarius Ordinis ſignum & torquem, ejusque inſignia in ſacello ſuſpenſa tollit, & tempus cum cauſa remotionis matriculæ & protocollo inſerit.

XXIII. Cum Eques hujus Ordinis ê vitâ diſceſſit, ejus inſignia ex Sacello exempta in alio honorabili loco ſuſpenduntur.

XXIV. Intervallo trium menſium hæredes defuncti, (ſi exterus ſit,) Ordinis Secretarium de obitu certiorem reddere, ſimulque ipſi Ordinis Signum, ſtatuta cum reliquis ab Ordinis DOMINO acceptis reſtituere debent: ſi verò aliquis in acie vel alia occaſione fortiter occumbens Ordinis ſignum amiſerit, ceſſat hæc obligatio.

XXV. Equitis defuncti ſandapilæ imponitur Signum Ordinis in pulvinari ſerico, quamdiu in ædibus jacet: quod ipſi etiam, quando pompoſe ſepeliendus eſt, præfertur â Mareſcallo, quem ſequuntur Ordinis Miniſtri & membra præſentia: pompa verò ſepulchralis adornatur pro arbitrio hæredum & agnatorum.

XXVI.

XXVI. Magister Ceremoniarum & Secretarius debent esse Nobiles: hic verô tenetur omnia, quæ in Ordine peraguntur suo inscribere protocollo, novosque Ordinis socios admonere, ut pauperum Hilderodensium rationem habeant, illisque aliquid ex gratuita liberalitate largiantur. Duo etiam Caduceatores sunto, qui in publicis solennitatibus habitu consueto induti comparere, sceptra inaurata in manibus, & in pileis rubras tenentur gestare plumas.

XXVII. Reges Electores & Principes Ordinem hunc suscipientes non obstringuntur his articulis, siquidem Ordinis DOMINUS de illorum fidelitate certus est, nullusque dubitat, quin orthodoxam religionem pro virili defensuri, inclytique Ordinis Elephantini honorem, dignitatem & gloriam aucturi sint & curaturi.

Tantum & quidem compendiose hâc vice dixisse sufficiat de Regio Ordine Elephantino per Orbem celebratissimo, cui ut divina clementia porrò ex alto benedicat, ejusque Serenissima, Celsissima atque Illustrissima membra potentissimè protegat, uberrimè augeat, & diutissimè conservet, omnes boni animitus vovent.

MANTISSA

De Elephantiasi.

Elephantiasis, ἐλεφαντιασμὸς dicitur â verbo græco ἐλεφαντιάω, id est, Elephante seu Elephantiâ laboro: nonnullis vocatur S. Lazari morbus: aliis morbus Leoninus ob frontis rugositatem: existimatur esse Lepra, cujus mentio fit in sacris literis, sic dicta ab Elephantis, quorum pellis dura & aspera morbo nomen & in hominibus & in bestiis dedit. Vid. Vegetium *l. 1. c. 9.* ubi cutis velut ulcerosis quibusdam vallibus infestatur, & similis redditur Elephanti corio: multò perniciosior est, quam Græcorum lepra: hinc secundum Macrum capite de Nepethâ:

> Est Lepræ species Elephantiasisque vocatur,
> Quæ cunctis morbis major sic esse videtur,
> Ut major cunctis Elephas animantibus extat.

Est veluti totius corporis Cancer, secundum Amatum Lusitanum *Curat. Med. cencur. 3. Curat. 32. p. m. 247.* describitur hic affectus â similitudine Elephanti habentis pedes grossos & tumidos. Vid. Joh. de Torna mira

ra in clarificatorio *c. 96. p. 108.* atque est ex illis morbis, qui ipsam corporis substantiam corrumpunt; atque Ægypto familiaris est, quia ibidem spirans aer, aqua & solum palustre efficiunt, ut atra bilis in humanis corporibus putrescat. Est peccati originis imago viva, ut vult M. Martini *in Lexico Philologico.*

Dicitur morbus Phœnicius, cum in Phœniciâ aliisque Regionibus ad Orientem sitis abundet: ex prava victus ratione & cœli æstu hoc malum apud Alexandriam vigere plurimum; Cœlius refert: incolæ enim vescuntur athara, id est, pulte ex farina frixa, ut & lentibus, salsamentis & limacibus, item carne asinina aliisque chylum crassiorem suppeditantibus. Vid Galen. *l. 2.* ad Glaucon. in Germania & Mysia rarò; apud Scythas galactopotas ferè nunquam observatur. Gesnerus *lib. 1. de Elephanto.*

Elephantiasis nomen non legitur apud Hippocratem, qui lepræ saltem, leucæ, lichenis, herpetis meminit: nec in sacro Codice Elephanthiasis fit mentio: nam divus Lucas medendi peritissimus hunc morbum nomine Elephantiasis non expressit: Græci postmodum tale nomen imposuerunt, quia tuberosum corpus Elephantici similitudinem Elephanti effingit colore, charactere & mole, secundum P. Crinitum *lib. 20. cap. ult.* & Hermolaum Barbarum in Glossis Pliniacis: vel quia magnus est morbus cæteros longè superans. V. Laurent. Valla & Hollerius *de morbis internis lib. 1. p. m. 683.*

Sunt, qui Elephantiasin cum vulgô lepram vocant, sed malè: siquidem affectus est, quem Latini nonnulli vitiliginem, Græci verò ἀλφὸν appellant: cum scilicet cutis maculis asperis albescit, & nonnihil intumescit, præsertim in cruribus, ita ut Elephanti cutis videatur, quod Vossius notat *libr. 1. de vitiis sermon. c. 32.* Vid. Petr. Crinit. *H. de D. l. 20. c. 10.*

Nomenclaturam itaque hic morbus contraxit a similitudine cum Elephanti cute, quemadmodum Polypus, cancer, atheroma, steatoma, meliceris, alopecia, ophiasis & sim. ejusmodi nomina sortiuntur: videmus enim Elephantiasi correptos obscuro & livescente colore infuscari, & instar Elephantorum tuberibus deformes reddi: convenire Elephantiasin veterum cum morbo Gallico, putat Steph. Blancardus *in tractatu de morbo Gallico, p. m. 9.* habebatur enim â priscis, pro universali totius corporis cancro, quem in lue venerea inveterata & consummata non minus observare licet.

Satyriasin & Elephantiasin pro uno eodemque affectu habet G. Bertinus Camp. *l. 12. de morbis & symptomat. part. intern. cap. 22.* Recentiorum lepram Brassavolus *in comment. s. 3. H. aph. 20.* putat esse antiquorum Elephantiam, in qua usque ad ossa caro corroditur & marcescit: in sua Ferrariensi Patria scribit idem esse leprosum videre atque album corvum: in Gallia verò & Ger-

Germania leprosos tales, id est, Elephantia affectos plures esse, eosque plerumque adeò deformari, ut intuentes deterreant. Græcorum Elephantiasis est Arabum lepra, seu via ad illam, ut vult Dolæus: aliud quoque Græcorum est lepra, aliud Elephantiasis: nam lepræ nomen est genus, sub quo continetur etiam Elephantiasis. Vid. J. Heurn. *in comm. aph. Hipp. s. 3. XX.*

Franciscus Valleriola *l. 6. enarrat. medicinal. p m. 393.* putat, hoc malum non minus contagiosum esse, quam ipsam Pestem: & Aetius *lib. 13. c. 120.* affirmat, malum esse, cum Elephantiacis conversari: inquinari enim aerem ex ulcerum fœtore & vitiata spiritus exhalatione existimat: non solum enim laboranti hunc affectum gravem, verum etiam conspicientibus intolerabilem putat, quippe qui illum omninò aversantur, adeò ut etiam domestici ægri congressum fugiant: diuturna enim cum Elephantiacis consuetudo non minimum momentum ad hunc inferendum morbum præbet: cum his enim, qui prorsus putridum spirant, vitam agere periculosum duxit Galenus *1. de febr. different. cap. 2.*

Hæreditarium est utplurimum hoc malum & in semine parentum vitiato fomitem habet, unde Elephanticus communiter sibi similem generat prolem: cum enim ex universo corpore genitura procedat, (quæ plurimorum Medicorum est sententia,) in Elephantiasi autem partes principes ferè omnes sint vitiatæ, massaque sanguinis corrupta, malaque tabe infecta, hoc ipso fieri nequit, quin semen quoque ipsum infectum & inquinatum procedat, â quo sic vitiato semine Elephanticum quoque gigni necesse est. Vid. Franciſc. Valleriola *l. c.* & hæc est non inepta M. Martini *in Lexic. Philolog.* ratio, qui Elephantiasin vivam peccati Originalis imaginem esse scribit.

Juxta recentiorum principia describi potest Elephantiasis, quòd sit scabies pertinax ac maligna cum defædatione totius corporis, crustis & tuberculis duris, maculis lividis & ulceribus, a sale quodam fixo ac corrosivo humori viscido ac terrestri implicato, & in glandularum cutis tubulis profundioribus hærente eosque dilacerante ortum trahens. Vid. Dolæum *encyclopæd. Chirurgic. l. 5. c. 9.*

Græci Elephantiasin morbum esse calidum & siccum; Arabes frigidum & siccum prodiderunt: illi causam efficientem & morbum in incremento & vigore ob excandescentem fervorem calidum & siccum; hi effectum scilicet frigiditatem & siccitatem in declinatione spectarunt. Vid. G. Bertin. *camp. l. 20. M. M. cap. 51.*

Elephantiasis, inquit Aetius 13. 120. â quibusdam Leontiasis, ab aliis Satyriasis appellatur: Elephantiasis quidem â magnitudine & diuturnitate affectionis nomen accepit, ut & propter cutis asperitatem: Leontiasis autem appellatur, quia frons

ægrorum cum quôdam tumore laxior redditur, ad similitudinem pellis flexilis superciliorum Leonis: Satyriasis verò, quod malæ in facie iisdem cum rubore attolluntur, & musculis maxillaribus veluti convulsionem patientibus mentum ipsum dilatatur, quod & in ridentibus evenire solet; similitudine quadam ad picturas Satyrorum: quin & alacritas vehemens ad coitum ipsis adest, quæ & in Satyris esse fertur.

Ex mente Hesychii & Varini Elephantiasis est lepræ genus: quam etiam alicubi in lepram mutatam apud Galenum legimus: ut scabies ad lepram Græcorum quasi via est, sic lepra Græcorum ad lepram Arabum seu Elephantiasin; si nempe sal acrius & abundantius plures & profundiores afficiat glandulas, sicque morbus diutius protrahatur: igitur non nisi gradu differunt, & una aliâ est malignior & vehementior, alia mitior & benignior pro acrimoniæ salinæ gradu. Vid. Dolæi *encyclopæd. Chirurgic. rational. lib. 5.*

Differt utique Elephantia Græcorum ab Elephantiâ Arabum & leprâ Judæorum: nam Elephantia Arabum, ut testatur Rhases, est crurum cum varicibus intumescentia, simul cum totius corporis habitu colore atrô perfusô: cui sententiæ accedere videtur Avicenna, *fen. 22. l. 3. Canonis Tractat. 1.* statuens, quod Elephantia sit additio in pedibus, ut accidit in venis varicum, quæ incrassat pedem; excitaturque plerumque ob melancholicum humorem & pituitam salsam, aliquando ob phlegma crassum. Lepra verò Judæorum est vitiliginis species, ut apparet ex Levitico, quæ etiam parietes domiciliorum inquinabat. Elephantiasis autem Græcorum est morbus venenatus, & universi corporis cancer, ab impurô corruptô & melancholicô sanguine contractus, à facie incipiens & per universum corpus invalescens. Vid. G. Bertin. *Camp. l. 12. de morb. & symptomat. part. intern. cap. 22.* Paul. *l. 2. cap. 1.* Fernel *l. 6. de part. morb. & symptomat.* Estque difficulter curabilis.

Amatus Lusitanus putat, hunc affectum non esse ex iis, qui ob errorem in 6. rebus nonnaturalibus commissum contingunt, sed ab iratô DEO fuisse locô pœnæ immissum: quia si peccatum parvum erat, in parietibus domus maculæ quædam apparebant: si majus, in vestibus percipiebantur: si maximum, peccantis corpus fædabatur: nec pro eâ deponenda humana manus sufficiebat, sed divinâ erat opus. Vid. Amat. Lusitanum *Curat. Med. Centur. 2. Cur. 34.*

Comparatur hoc malum, quatenus est magnum, fœdum ac terribile toti Elephanto: quatenus est diuturnum, ipsius longævitati: quatenus tumor ingens adest, ejusdem pedibus seu tibiis: quatenus demum totum corpus tumoribus plenum, cutisque rugis asperis exaratur, & quatenus altè descendunt scissuræ veluti nigri in coriô sulci,

corio

corio Elephanti: hic enim duriſſimam cancellatamque cutem ſecundum Plinium habet, quæ ſe in rugas ſæpè coarctat, unde aſpera, inæqualis & rugoſa ferè ſemper conſpicitur. Vid. Aretæum *l. 2. diut. cap. 13.*

Elephantiaſi correptos è cœtu hominum divinô præceptô olim ejectos conſtat: ſiquidem benigniſſimus DEUS ſaluti populi Iſraelitici conſulturus ſummâ curâ providere voluit, ne fœda aliqua lues illi labem inferret: noſtrô etiam tempore ejuſmodi homines optimô conſiliô ſegregantur, jubenturque lignea geſtare crepitacula, quorum ſtrepente ſonô ſani obvii admonentur, ne propius ad illos accedant.

Ante Pompeji Magni ætatem, ut refert Plinius *H. N. l. 26. cap 1.* non viſa eſt Elephantiaſis in Italiâ: à facie ſæpiùs incipiens, in nare primô velùti lenticula apparebat: mox invaleſcebat per totum corpus cum maculoſâ variè coloratâ & inæquali cute, alibi craſsâ, alibi tenui, durâ ceu ſcabie aſperâ, ad poſtremum verò nigreſcente, & ad oſſa carnes quaſi apprimente, cum digitis etiam manuum pedumque intumeſcentibus.

Galeni tempore hunc morbum in Germaniâ ignotum fuiſſe ſcribit G. Bertinus *Campan. l. c.* Ægypto peculiare hoc malum, ut vult Lucretius *l. 6.*

> Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
> Gignitur Ægyptô in mediâ, neque præterea usquam,

id quod frequentiori leguminum aliorumque craſſorum alimentorum uſui apud Ægyptios acceptum fert Galenus: cum autem poſtmodum in Reges incidiſſet, populis evaſit funebre: quippe eorum balnea humano ſanguine temperabantur in medelam: & hic quidem morbus celeriter in Italiâ reſtinctus eſt: ſicut & ille, quem Gemurſam appellavêre Priſci inter digitos pedum naſcentem, etiam nomine obliteratô. Hactenus Plinius *l. c.* In Alexandriâ gigni Elephantiam morbum ſcribit Galenus 2. ad Glaucon. quâ de re etiam videri poteſt Strabo, Solinus & alii.

Rhaſes *l. 9. de morb. cur.* ad Regem Almanſorem *cap. 39.* non aliter Elephantiam deſcribit, quam crurum cum varicibus intumeſcentiam cum totius corporis habitu colore atrô perfuſo. Vid. Amat. Luſitan. *Cur. med. Centur. 2. Cur. 34.* Non eſt aliquis ſimplex morbus affectus hic, ſed compoſitus: nam adeſt tumor & magnitudo aucta in univerſô corpore, potiſſimum autem in partibus externis: deinde intemperies calida & ſicca omnium viſcerum, demumque ſolutio continui: Subſtantia enim partium exaſperatur, exulceratur, & tandem corrumpitur deciditque: præter vulgarem qualitatem venenata quoque qualitas

litas hic adjuncta est. V. Joh. Coster. *Tabul. 94. pag. 361.*

Elephantiasis secundum Galenum 2. ad Glauc. est sanguinis turbidi & crassi in venis contenti ad cutem universam propulsio: peculiari autem & occultô modô illum esse corruptum non dubitandum. Viros magis quam fæminas apprehendere Elephantiasin statuunt Veteres, atque inter illos magis, qui crassum viscosum ac atra bile refertum sanguinem habent, & qui abundant pituita salsâ & âcidâ, item qui victu crassô & δυσπέπτῳ utuntur, & in otio degunt: non minus etiam eos, qui exercitiis inordinatè vacant, & sic sanguinem inspissant: item illos, in quorum ventre cibus assiduè corrumpitur.

Hinc facilè corrumpitur sanguis, imò malignam acquirit venenatamque qualitatem, quam postea visceribus & omnibus corporis partibus impertitur, quæ sic inquinatæ similem ejusdem Veneni participem sortiuntur indolem & naturam. Temperamentum justô calidius & siccius, anni par constitutio, similisque Cœli & Regionis temperies, labores, lassitudines, studia & lucubrationes crebræ & intempestivæ, curæ, ciborum crassorum, salsorum acriumque creber usus, detentio excretionum solitarum, imprimis intemperantia & frequens crapula, ut & vitæ genus angoribus & ærumnis deditum gignere hoc malum utplurimum solent.

Hæreditario jure hoc malum contrahi, supra dictum: non modo autem in filios, verum etiam nepotes & pronepotes longâ serie deducitur. Fernelius *locô citatô* scribit: si nondum Elephantia Parens tenebatur, dum genuit, sed in eam duntaxat erat propensus, filius eâdem ætate, quâ Parens Elephanticus evadet: Ægypti incolas à naturâ & ortu ad Elephantiasin propensos esse, ex Plinio refert G. Bertinus *Campan. l. 12. de morb. & symptom. part. intern. cap. 22.* Quorundam etiam literis proditum est, mulierem quæ instantibus aut jam profluentibus mensibus conceperit, fœtum edere in Elephantiam proclivem. Vid. J. G. Andernac. *comment. de Med. veteri & novâ, dialog. 8.*

Contagiosum etiam hoc malum esse diximus: periculosa enim est longa cum ejusmodi inquinatis conversatio, concubitus & accubitus: præsertim si aliquis rarô corporis habitu præditus, atque sic ad externas injurias excipiendas aptus sit, procul dubio noxam sentiet: hinc Civitatum legibus Elephantici segregantur ab hominum consortiô, ne lues hæc latius serpat: contagione enim sive concubitu, sive accubitu vel assiduâ vitæ consuetudine hoc malum hominem adoritur, quia ex Elephanticо perniciosa qualitas transfertur in aliud corpus sensimque irrepit in omnes partes. Vid. *Fernel. de part. morb. & symptom. lib. 6. cap. 19.* Idem tamen *l. 2. de abditis rerum causis*

cap.

cap. 14. scribit nunquam vel sedulò se sciscitatum accepisse, quemquam ministrorum, etiamsi perpetuo Elephantiacis assederint, sola spiratione fuisse contaminatum.

Aëris malignam alterationem à cœlo & stellis dimanantem Elephantiasin aliosque morbos contagiosos producere nonnulli censent: quod tamen absurdum videtur G. Bertin. Campan. *l. 8. de sanitate tuenda cap. 25.* sic enim venenata & fera hujus mali labes ubique grassaretur, & incolumes omnes absque contactu contaminaret: sidera vero calore vivifico & simplici forma constare, quæ nullo horoscopo nullaque constellatione prorsus immutetur, magisque & minus neutiquam recipiat, arbitratur.

Elephantiasis secundum Cœlium Rhodiginum *lect. antiq. l. 6. cap. 24.* provenit ex pituita crassa, & bile atrâ, quæ ἐλεφαντώδης maximè est: hi verò humores cutem reddunt ferinam, quando & hinc nacta nomen affectio est, Galenô tradente: efficitur enim durior cutis crassiorque ut Elephanti corio prorsus videatur similis. Vid. Paul. Æginet. *l. 4. c. 1.* Simon Januensis *in clave sanation. p. 79.* Elephantiasin putat esse inflationem crurum & pedum: quæ quidem in Elephantiasi adesse solet, sed non sola, siquidem latet adhûc pejor anguis in herba: altioris enim est indaginis hoc malum: hinc rectè huic contradicit Joh. de Torna mira *in Clarificatoriô cap. 94.* ubi ejusmodi tumorem non esse veram Elephantiasin scribit, quippe qui etiam â causis externis, frigore, ut & erroribus in diæta oriri possit. Pueris etiam & mulieribus ob debilem & raram constitutionem familiaris sit: veram autem causam ab humoribus phlegmaticis & melancholicis stagnantibus & corruptis, & hinc quasi venenosis factis deducit. Rhases accusat prægressam nauseativam satietatem.

Atræ & retorridæ bilis in corpore abundantis Elephantiasin esse sobolem, Galenus *libro de atra bile & de tum. p. n. & 2. ad Glauc.* ut & *in commentar. in aphor. Hippocrat. s. 7. 41. & sect. 4. aph. 2.* statuit: cum autem hæc â melancholico fæculentoque sanguine, aut ex flavâ bile, utrisque supra modum â calore immodico assatis originem ducat, fit, ut ea in vasis cumulata foras se tandem exserat, perque universum corporis habitum disseminata, ejus figuram immutet atque depravet. Vid. Francisc. Valleriol. *l. 6. enarrat. medicinal. p. m. 395. & lib. 1. p. m. 41.*

Fernelius allegato loco humorem melancholicum venenatam qualitatem adeptum accusat, partesque hâc imbutas similem nancisci naturam, sicque produci hunc morbum totius substantiæ existimat: demonstratque pluribus in locis, veneni speciem in corpore humano sponte gigni posse: itaque eruptio fœda foras & in partes externas cutemque prosiliens Elephantiasin malignitatis & perniciei cujusdam participem declarat; omnia igitur foras

erumpentia, à causa tali profecta, quis malignitatis & latentis veneni notas esse non agnoscat? itaque in Elephantiasi præter humoris vitium malignum etiam virus inest, quod omnium partium substantiam polluit: illa quippe non solius cutis, secundum Galenum, sed totius corporis affectio est. Vid. *de abditis rerum causis p. m. 85.* cui subscribit Joh. Guinterius Andernacus *de mod. vet. & nov. comment. 1. dial. 8.*

Qui epate calidiore & liene siccio re præditi sunt, Galenô teste, ad hunc affectum præ aliis propensi sunt, præsertim si cibis cacochymis & melancholicum succum gignentibus liberalius vescantur: ab humore vel sanguine melancholico ortum ducere Elephantiasin scribit etiam Brassavolus *in comment. aph. H. 26. s. 3.* & cum temporis processu atra bilis sanguinem exusserit, ægros tunc graviter olere & ingratum aspectum habere.

Mulieres, pueri & Eunuchi rarius Elephantiasi infestantur, cum sint humidiores: humiditas enim exsiccationi, quæ in Elephantiasi observatur, resistit. Vid. Rondeletium *in method. curandor. morbor. c. 87.*

Ex usu Zythi Elephantiasin produci ex Dioscoride refert Joh. Ruellius *l. 2. de nat. stirpium c. 18.* qui potus olim in Ægypto ex hordeô aquâ resoluto & acescente constabat, ut ibidem scribit: acidum autem ad hunc morbum generandum idoneum esse non dubitandum.

Subjectum primarium & adæquatum est totum corpus & potissimum sanguis cum suis succis, qui sanguis cum perenni suo fluxu & refluxu minima corporis alluat & pervadat loca, non potest non labem suam ipsis affricare, & particulas suas fæculentas in ipsis deponere glandulis cutaneis & miliaribus, eorumque vasculis excretoriis. Vid. Dolæum *Encyclopæd. Chirurg. l. 5. cap. 9.*

Itaque subjectum Elephantiæ non est sola cutis aut corporis superficies, sed & intima viscera quæque, imò ipsa ossa tandem invaduntur & obsidentur, quia omnia impuro fruuntur succô: quanquam autem ipsa morbi qualitas ad totum corpus pertinet, præcipue tamen vis in jecore & liene residet, quæ sua deinde vitia toti corpori impertiunt secundum Fernelium *loc. cit.* ubi porrò scribit, eos præcipuè Elephantiasi corripi, quibus varices & diuturnæ hæmorrhoides curatæ sunt, & quibus menses suppressi: eosque, qui bubula, cervina asininaque carne, aliisque cibis glutinosis ac crassis vescuntur: eos denique, quibus vel jecoris ardor vel victus calidior bilem flavam cumulavit, quæ deinde cohibita degeneravit in atram: unde statuit, cum mala hæc non nisi florentis aut etiam provectioris sint ætatis, Elephantiam nec pueros nec adolescentes spontè invadere.

Singulæ corporis partes in Elephantiasi sensim puro alimento & pabulo defraudantur: quipe hæc vene-

venenata labes â calore cordis vivifico emendari nequit secundum G. Bertinum *Camp. l. 8. de sanitate tuenda cap. 25.* Plura de hoc malo vid. apud Celsum *3. & 35.* & Manardum in epistolis, ut & recentiores, quorum quidem diversæ opiniones sunt, plures tamen in hoc conveniunt, morbum, qui in sacris literis lepra vocatur, non alium quam Elephantiasin esse.

Elephantiasin incipientem in suis incunabulis curabilem esse statuo cum Dolæo *loco citato,* quando verò jam altas egit radices vestigiis violentiæ suæ cuti impressis, curatu multo difficiliorem, non tamen statim animum abjiciendum esse existimo: si verò ad summum malignitatis gradum ascendit, & congenita est, insanabilem esse judico: vix enim penitus exstirpari poterit, siquidem ejus principia primis fœtus staminibus combinata arctè nimis partibus adhærent.

Quæ ex urinis aut sanguine tradi passim solent signa & notæ hujus mali, incertas eas omninò esse atque fallaces statuunt Fernelius & I. G. Andernacus *locis citatis.* Urinæ sunt ut plurimum jumentorum similes, crassæ, albæ & turbidæ: pulsus in progressu morbi languidus rarus & tardus est. Vid. Galenus *de causis pulsus Classe 4.* Signa describuntur *Levitic. 14.* defluunt scilicet pili, & ubi avelluntur, pars cutis sequitur: cutis apparet herpetibus fædata, crustas quasi remittens: extremarum partium adest putredo: sanguis si dissolvatur, est quasi arenosus: animæ fœtor, spirandi difficultas & similia adsunt.

Cutis præterea crebras maculas crebrosque tumores habet: rubor macularum paulatim in atrum colorem convertitur: summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura mollisque quasi squamis quibusdam exasperatur: corpus macrescit: musculorum quasi caro absumitur, ac sensim quasi liquescit. Ossa fiunt mollia. Vid. Ephem. Acad. N. C. *indicem ann. 1. p. 125.* Os, suræ, pedes intumescunt: ubi vetus morbus est, digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur: interdum siccitate dehiscunt, unguesque finduntur & dilacerantur: juxta pollicem caro absumitur: marasmus & febris succedit, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit. Vid. Nicol. Perott. *in Cornu Copia p. 393.* Apud Judæos peculiare aliquid habuit Elephantiasis, ut etiam res inanimatæ, v. gr. parietes, lapides, panni & similia eâ inficerentur, & hæc infectio certis notis dignosceretur. Hunc morbum denotare videtur Justinus Historicus *lib. 36.* ubi ita, licet hâc in parte deceptus & falsus scribit: Quum Ægyptii scabiem & pruriginem paterentur, responso moniti Moysen cum ægris, ne pestis ad plures reperet, terminis Ægypti pellunt.

Elephantiasis novæ nodosæ in Java grassantis fit mentio in Ephem. Acad Nat. *Curiosor. Decur. 2. Ann. 2. Obs. 5.* oriundæ â gravibus diætæ

 erro-

erroribus; videlicet malis, putridis & fœtidis piscibus marinis, aliisque crassi chyli cibis & fructibus, quibus incolæ vescuntur: item â pipere Indicô, cibis calidis & aromatibus avidè ad Veneris pruritum excitandum comestis.

Elephanticos judicandi ratio seu signa petenda ab illis, quæ secundum morbi essentiam insunt, eumque perpetuo comitantur: nempè â vultu torvo Satyrisque simillimô: â labiorum crassitie & fæditate, nasi dilatatione, aurium rotunditate & circumflexione quâdam cum attenuatione frontis & superciliorum extuberatione, oculorum fixo intuitu, eorùmque figuræ in orbem depravatione, colore faciei subrubro & obscuro in nigrorem desinente, vocis etiam raucitate. Vid. Francisc. Valleriola *enarrat. Med. loc. cit.* Mente tamen constare, nec ullo pacto desipere eos, qui sic affecti sunt, scribit idem *lib. 1. enarr. Med. p. m. 41.* Cutis est inæqualiter crassa, ut in Elephantis, squamulis exasperata, præsertim in facie, manibus & pedibus.

Oculi sunt lividi, labia crassissima, secundum Hieron. Mercurial. *de morb. puer.* exeduntur partes summæ manuum & pedum, ex quibus sanies fœtida emanat: venæ his in partibus turgent crasso & nigro sanguine, teste Galeno in definit. & therapeuticis ad Glaucon. Exulcerata & inveterata Elephantiasis Cancrum exulceratum æmulans incurabilis esse creditur: in principio vero, ubi cutis superficies nondum exulcerata, nec multæ tumidæ eminentiæ apparent, sed tantum aliquo modo turpis, non autem prorsus fœdus est aspectus, curationem admittit. In quodam laborante Elephantiasi, quæ nondum radices egerat, turgidiorem, solitôque majorem lienem se reperisse testatur A. Vesalius *l. 5. de Corp. human. fabrica cap. 9.* Dispositionem ad Elephantiasin significat caloris nativi & floridi in facie mutatio; gutta rosacea, rubræ sublividæque suffusiones & pustulæ, pilorum defluvium, ingens sitis, orisque siccitas diurna & nocturna, anima olida, ulcuscula in ore, vocis in raucitatem mutatio, Venerisque supra modum desiderium cum calore peregrino, â flatu per venas & partes genitales agitato & commoto.

Extremæ partes corporis in Elephantiasi subinde stupore tentantur: causam ponit Francisc. Valleriola *in enarrat. Med. l. 6. p. m. 398.* quod à crasso & atrabilariô succô impleti sint nervi: tunc spiritus animales illos permeare non posse: cur autem pereat in illis sensus, non autem motus, causam esse putat, quod nervi, qui ad cutem procedunt, magis sint affecti quam musculi: ac proinde si æger stylô aut acu penitius pungatur, sentiri puncturam.

Verrucas in linguæ radice extuberantes in omnes partes intimas disseminatas comperit Fernelius de abditis rerum causis *lib. 2. cap. 14.*

An-

Andreas Vesalius *lib. 5. de human. Corp. fabricâ cap. 9.* scribit, se Parisiis ad div. Lazarum, & in plerisque Germaniæ superioris agris & alibi Elephantiacos vidisse, nigricantem lienis humani colorem superficiemque ita exquisitè referentes, ac si quis ex liene eos confinxisset.

Simus fit in ejusmodi ægrotis nasus, ejusque intus exulceratio, foris verò crassities & dilatatio, cujus rimæ quasi discerptæ crustulas nigras & cruentas excutiunt: interdum cartilago narium media eroditur, tandemque partibus quibusdam corrupta decidit: quin etiam labra crassa sunt & inversa: oculi juxta rotundiorem angulum rotundiores apparent, & quod candidum in eis esse debet, flavescit, crassescit, & quasi ungue obducitur: pili venenatâ qualitate infecti ex superciliis præduris glabris ac ferè callosis palpebrisque & mentô decidunt ob alimenti defectum.

Aures fiunt acuminatæ, gracilescunt & eroduntur: facies est horribilis & ferina: respiratio est gravis & fœtida, spirandi difficultas ob copiam pravorum humorum asperæ arteriæ & pulmonibus infarctorum, venulæ sub linguâ nigræ, extuberationes adsunt in plerisque corporis partibus, in cruribus potissimum, magis tamen in facie, præsertim in fronte. Guido Cauliacensis *tractat. 6. doc. 1. cap. 2.* observavit liventem & tam fœdum corporis colorem, qui in Morphæâ & Arabibus dicto affectu Albaras apparere solet: in omnibus ferè partibus sensus adeo intercidit, ut nulla acicula, vel aliud, quod acutum etiam dolorem inferre possit, etiam aqua fervens superinfusa urere percipiatur, quamvis motus in illis ferè servetur integer.

Nonnunquam cum pruritu & squamulis scabies fæda & impetigo hunc affectum comitantur: æger sentit hinc inde ardores & puncturas instar acuum ulcerosamque in corpore lassitudinem: interdum insomniis gravibus & formidolosis terrentur: nam per somnum spectare sibi videntur Dæmones, serpentes, antra, sepulchra, cadavera & similia, propter atros humoris melancholici vapores visis atris & tristibus phantasiam perturbantes, ut scribit P. Uffenbach *l. 19. cap. 7.* Frigus perpetuum in corporis extremis sentitur, maximè in pedibus secundum Fernelium *l. c.* interiora verò tantô calore æstuant, ut pomum, quod per breve tempus manu continuerint, mox corrugetur & inarescat. Idem *l. c.*

Verrucæ succrescunt in malo inveteratô non in manibus solum, sed & in facie & reliquô corpore, peculiares verò in linguæ radice: respiratio sensim difficilior evadit, halitus & totum corpus fœtet, sordida & virulenta ulcera in manibus, pedibus & plerisque locis excavantur, gravisque putredo omnia contaminat.

Quantum ad animi mores hâc lue infectorum attinet, astuti sunt & callidi: insomnia habent melancholicis familiaria: nonnulli etiam strangulari se opinantes cum impetu expergiscuntur & exsiliunt: non pauci Veneris usum valdè appetunt. Vid. J. G. Andernac. *locô suprà citatô.* Quorum signorum si non omnium plerorumque tamen Medicus, qui in hôc morbô probandô Judicis partes sustinet, exactam habere debet rationem. Malum hoc si sit inveteratum, omnem curationem respuit, quandoquidem vix oriens curatur.

Immedicabile hoc malum esse, constans multorum est opinio: cum enim semper oporteat majorem remedii quam ægritudinis vim esse, ut rectè statuit Aretæus, nulla autem ferè medicina hoc morbo superior inveniatur, hinc fit, ut curari vix possit: cum enim particularis cancer curationem non admittat, atque eapropter à Medico non sit attingendus, quomodo quæso universalis totius corporis cancer curari poterit? itaque curandi difficultas morbi malignitatem atque perniciem docet: hanc autem à tot seculis veram curationem non invenisse reor, quod propria & illi accommodata antidotus nondum perquisita sit, quam tamen & esse & inveniri posse non diffidit Fernelius *l. 2. de abdit. rerum causis cap. 14.*

Affectus hic usque adeò malignus est, præsertim ubi diuturnam tyrannidem exercuit, ut nullis machinis è sua statione dejici possit: unde huic contagioso & sævienti malo sine cunctatione succurrrendum est, antequam mortifera mali labes altius serpat. V. G. Bertin. Camp. *l. 10. M. M. cap. 51.* Si quis Elephantiasin firmam & radicatam habuerit per unum vel duos annos, non quæras curationem, quia incurabilis est, scribit Joh. de Tornâ mirâ *lccô citatô:* siquidem totum corpus afficit, adeò ut & ossa vitientur. Nicol. Perott. in *Corn. Cop. pag. 693.*

Interitum in propinquo esse, ostendit vox rauca, spiratio difficilior, halitus odorque corporis totius graviter olens, virulenta & cacoëthica manuum, pedum aliarumque partium ulcera: tandem febris marasmodes, quæ tot malis obrutum hominem è medio tollit.

Inchoantem tamen Elephantiasin per Venæsectionem & purgationem se sanasse testatur Galenus in *commentar. aph. Hipp. 47. sect. 6.* Sunt, qui Mercurialia & salivationem tanquam certum remedium heîc commendant. Matthæus Untzerus *anatom. Spagyric. Mercur.* laudat Mercurium diaphoreticum præcipitatum à granis 3. usque ad 6. vel 7. ex aqua theriacali vel vino vel cum mithridatio *cap. 12. pag. 723.* Mesues in *antidot. distinct. 11.* externè exhibet argentum vivum salivâ hominis jejuni mortificatum cum adjectô oleô laurinô & aliis pulveribus.

Vomi-

Vomitoria sæpius propinata commendat Joh. de Torna mira in clarificator. *cap. 96. pag. m. 108.* ex classe purgantium hieram picram Galenus: Rhases hac potione utitur: ℞. epithym. ℥j. f. decoctio in aqua casei: addit hieram picram & reiterat: vel propinat aloes succotrinæ ʒj. cum serô caprinô.

Perniciosa Elephantiasis incipientis calamitas edomatur victus ratione in principiô temperata: in vigore ad restinguendum fervorem refrigerante & humectante: in declinatione ob calorem elanguescentem temperante & calefaciente, non tamen nimium: deinde minuentibus corruptelam humoris, qui in prima corporis regione stabulatur, benignis & blandis pharmacis: Sanguinis missione vere & autumnô, Græcorum & Arabum consensu: præparantibus & demulcentibus jusculis cum foliis borraginis, buglosf. lactuc. portulac. buglæ, veronic. fanicul. & simil. & humorem melancholicum per epicrasin purgantibus, primò mitioribus, videlicet cassia, rhabarbarô, agarico: deinde validioribus, & secundum Arabes & Græcos helleboro: inter primaria subsidia, quæ sanguinem retorridum alterant, partes principes roborant, & malignitatem fugant, refertur theriaca sumpta & illita à Galeno: ab Aretæo dens Elephanti, seu rasura eboris, corallia, margaritæ, lignum aloës, santalum citrinum, sassafras, sanctum & sim. rasur. unicorn. ver. C. C. & similia. Vid. G. Bertinum Camp. *l. 20. de method. cap. 51.*

Victor Trincavellius *lib. 3. Consil. 123.* jubet concoquere & educere materiam peccantem: alterare viscera per serum caprinum: digerere per trochiscos de viperis & theriacam: item adhibet oleum de viperis exterius illitum: pro interno usu commendat C. C. & ebur, decoctum radic. sarsaparill. vinum chalybeatum, viperinum pro digestione: progreditur demum ad usum decocti hellebori nigri tanquam extremum remedium in extremo morbo, ut scribit, cujus ʒj. primo, deinde scrupulos 4. decoxit cum anetho, fæniculo & hordeo exhibuitque cum successu.

G. Rondeletius novam curandi methodum propositurus incipientem Elephantiasin curat sanguinis missione, usu medicamentorum purgantium, balneis item tepidis & interdum frigidis: sanguinem autem non emittit ex venis majoribus, ne laudabilis in his adhûc contentus sanguis, quem omni studio conservare convenit, ipsius judicio educatur: aperit autem primo die venam tali utriusque pedis: sequente die salvatellam: tertia venam frontis, & qualibet vice evacuat sanguinis duas vel tres uncias: inhæret postmodum purgantibus per aliquot dies: tandem progreditur ad balnea primum tepida, deinde frigida aliquot dierum spatio continuanda, non neglectis con-

confortantibus & regimine bonæ diætæ.

Venæſectio commodè fit vernali tempore, quo maximè & gignitur & exacerbatur hoc malum: cum autem ſemel tantum adminiſtrata non juvet, eapropter repeti debet, ſi nihil obſtet: poſt paucos interjectos dies purgantibus medicamentis ex colocynthide, hiera, veratro Veteres uſi ſunt, non una ſed pluribus vicibus: deinde Theriacam internè ſumendam atque extrinſecus illinendam commendarunt.

Laudatur ſal theriacale: ut & viperarum carnes coctæ comeſtæ ex albo jure, facta coctura per aquam copioſiorem cum ſale, porro & anetho usque ad ſpinarum ſeparationem, abſciſſis prius capitibus & caudis ad menſuram quatuor digitorum, exemptis etiam extraneis ipſarum & pelle detracta, qua de re videſis Dolæum *encyclopæd. Chirurgic. lib. 5. cap. 9.* quo remediô multos modernos Medicos in deſperatis morbis uti conſtat: nec dubitandum, trochiſcos de viperis commodè per ſe exhiberi, aut aliis medicamentis admiſceri poſſe. Axungia etiam viperina, cum ſale volatili abundet, ut & ſal viperarum volatile cum conſerva fumariæ exhiberi poteſt: incidit enim, reſolvit, acidum obtundit & educit.

Remedia fortiora ſunt thermæ ſulphureæ, nitroſæ & Martiales, antimonium crudum, diaphoreticum, tinctura ex flor. Regul. antimonii, Ceruſſa ejusdem, bezoarticum minerale, aliaque antimonialia medicamenta, Mercurius dulcis, diaphoreticus, & alia Mercurialia: decoctum ligni ſancti aliorumque lignorum: pulvis ex nitro & floribus ſalis armoniaci, aliaque ex ſale ammoniaco & tartaro: item bezoarticum Joviale, Martiale, liquor alkaheſt, & ſim. ut & ſal volatile C. C. laudatur ſerpentum ſenecta cereviſiæ & potui ordinario impoſita.

Inter remedia potenter incidentia, attenuantia, viſcidatem ſuccorum reſolventia, & ſic particulas in remotiſſimis tubulis impactas & quaſi incuneatas è ſede ſua dimoventia valet ex mente Dolæi *l. c.* potus Thée & Capheæ: item decoctum lignorum exoticorum cum ſpiritu ſalis armoniaci & camphora ſumptum.

Diuretica ex alcalibus volatilibus & fixis, acidum peregrinum, quod ſanguini craſſam conſiſtentiam conciliat, & ſeri per renes ſeceſſum impedit, abſorbent: his juxtim adhibitis ſudorifera, quæ reliquias particularum ſalinarum fixarum poros & glandulas cutis obſtruentes convellunt, felicius operabuntur: hæc autem non propinanda, niſi prius ſanguis ac ſucci à ſua ſalina impuritate nonnihil liberati ſint: quod niſi fiat, contingit, ut ſanguis magis inflammetur, & malum exaſperetur: præſtantiſſimum præbet ſudoriferum pulvis Poterii ex nitro, antimonio

&

& Jove confectus & cum resina guajaci commixtus.

Veteres olim varia & facilè parabilia contra Elephantiasin adhibuerunt remedia: illam sanari foliis menthastri manducatis & impositis, Magni Pompeji ætate, fortuito cujusdam experimento compertum est, ut scribit Plinius *H. N. l. 20. cap. 14.* Papaveris sativi albi semen idem *lib. 20. cap. 18.* ut & helleborum *lib. 25. cap. 5.* laudat. Erinacei terrestris exsiccatum corpus in cibis sumptum commendat Antonius Pinæus *lib. de simpl. medicamentor. fac. p. m. 215.* ut & serum lactis potum: item calamintham; consentit Oribasius *de virtut. simpl. l. 2. p. m. 69.* eo quod hæc herba digerat, attenuetque valenter & crassos humores incidat: illam comestam Elephantiasi mederi affirmat Ruellius *de nat. stirp. l. 3. cap. 30.* item semen papaveris sativi, *lib. 3. c. 105.* ut & helleborum album *lib. 3. cap. 138.*

Eboris & cornu cervini ramenta in potu propinata contra Elephantiasin commendat Aëtius 13. 122. Radicem Chinæ pro sanguinis mundificatione & sudoris excitatione laudat Amatus Lusitanus *curat. Med. Centur. 2. Curat. 31.* Nicolaus Myrepsus suadet antidotum è liquore tithymali Sosiani *pag. 106.* Item antidotum ex sulphure sequens: R. Croci, myrrhæ, thuris, cardamomi, Opii ana drachmas duas, sulphuris ignem non experti, xylobalsami, pyrethri, radicis panacis, liquoris tithymali, calaminthæ, liquoris peucedani ana drachmas 6. piper alb. drachm. duas, calami odorati, zingiberis, ana drachmas tres, succi glycyrrizæ, scyllæ assatæ ana drachmas duas, mellis Attici aut sacchari q. s. datur Ægyptiæ fabæ quantitate ex decoct. absinth. cyathis 4. Vid. *antidot. 460. pag. 134.* Hûc refer ipsius Drosaton. 79. seu syrupum *p. m. 228.*

Quintus Serenus Samonicus *de morb. curat. cap. 10.* commendat contra Elephantiasin sequentia remedia, ita canens:

Huic erit adversus Cedri de cortice succus,
Mustelæque cinis vel fusus sanguis ab illâ:
Nonnulli dixere serum prodesse bibendo:
Menthastri folium potu appositumque salubre est:
Nec frustra bulbos aut sulphur jungis aceto:
Præterea nitrum debes cum melle jugatum
Spargere, lacte bovis variam sic ungere frontem
Cerussam & * Chartam, quam gens Ægyptia mittit,
Thure simul misceque oleum, quod flore rosarum
Conditum est: sine sic faciem, sic redde salutem.

* Charta herba est aquatica, de quâ Galenus *octavô librô simplicium c. 33.* Avicenna *lib 2. cap. 441.* Vid. *Schol.* Georg. Pictorii.

Iis, qui Elephantiasin patiuntur, mirabile auxilium est viperarum esus: quas tamen, ubi caput caudamque usque ad digitos quatuor absciderls excoriaverisque ac deinde interanea exemeris, in ollâ prius ablutas coques, donec exquisitè

molles reddantur: adjicere tamen debes aquæ, in quâ illæ elixantur, porrum anethumque & olei nonnihil: cæterum jus hoc primò ebibere æger, deinde carnem comedere debet, non secus ac vervecis vel alitum: sed jejunô stomachô & in aurorâ carnes hæ comedi debent, dimidiæ saltem pro vice, & aliquando unius integræ viperæ, prout virium robur adfuerit: post quarum esum cibum & potum quemcunque per sex differat horas: quod si sudaverit, diligenter ut sudorem servet, maximè expedit: excoriari autem ægrotantibus cutis, ut serpentibus, solet. Vid. Amat. Lusitan. *Curat. med. centur. 2. pag. 202.* & in scholiis inquit: viperas in vesiculis juxta dentes venenum habere servatum, reliquas partes venenô carere: Caput, bilis & cauda removentur. Vid. Oribas. Synops. *lib. 7. cap. 5. & lib. 4. cap. 62.*

Ipsum etiam medicamentum, quod viperæ ingrediuntur, (theriaca scilicet,) confert in potu exhibitum, vel cuti etiam illitum, illis, qui hôc malô laborant: Vid. Andr. Lacunam *epitom.* Galen. *de art. cur. ad* Glaucon. *l. 2. cap. 11. & l. 11. de fac. simpl. med.* ubi notatu dignas historias reperire licet ægrorum post usum carnis viperinæ feliciter curatorum: in quibus solent squamæ decidere, quod in serpentibus senectam seu exuvias deponentibus etiam contingere solet. Philosophi cujusdam tamen mentionem facit Galenus, qui ex potu vini, in quo vipera fuerat suffocata, & mortua jacuerat ad tempus, in lepram incidit, materiâ venenatâ â potu viperinô, â centrô ad circumferentiam corporis protrusa.

Nihilominus aliquos fuisse curatos usu viperarum in vinô suffocatarum Galenus *l. c.* refert, quod tamen existimo esse periculosæ plenum opus aleæ, siquidem vipera adhuc integra & non præparata veneno non caret. Rondeletio carnes viperinæ ut & trochisci de viperis suspecti sunt ob summam siccandi vim: putat tamen, si aliquis â viperis exspectet auxilium, oportere eas ineunte æstate aut autumno capi, vernali enim tempore pingues, æstivo sicciores & calidiores sunt: in locum viperarum autem substituit carnem Erinacei terrestris cum petroselino & borragine coctam, quam comedere, ejusque jus sorbere præcipit, eâdemque ratione parari posse carnem viperinam scribit: prodesse etiam creduntur decocta serpentum & viperarum, quæ commendat Zacutus Lusitanus: item theriaca viperarum benedicta Q. caput erinacei etiam non mediocre auxilium ferre ex Galeno scribit G. Bertinus *Camp. M. M. loc. cit.*

In Apuliâ angues condiunt & macerant sale, & Elephantiacis edendos præparant: alii per 40 & 50. dies in caveis inclusos foliis vitis & lactucæ pascunt, singulis diebus aquæ catinum iis apponunt, quem ebibunt animalia siticulosa, quæ tan-

tandem jugulantur abjectis extremis ad 4 digitos, asservantur & exhibentur. Vid. Victor Trincavell. *l. 3. Consilior. Consil. 123.*

Ægypto endemium hoc malum cum tandem in Reges incidit, populis (aliquando etiam pueris primogenitis,) funebre factum: quippe non aliter nisi humano sanguine curabile: & hic quidem morbus celeriter in Italiâ disparuit, Pliniô teste: verumenimverô qui sanguinem humanum in usum trahunt Medici, graviter arguendi videntur: quandoquidem, teste Tertulliano, remedium hoc crudele & perniciosum, atque â malo genio inventum est. Vid. G. Bertin. *M. M. l. c* Balneum ex sanguine puerorum Imperatori Constantino Elephantiasi laboranti olim fuisse commendatum legitur: qui tamen â Sylvestro baptizatus & ab hoc malo paulo post liberatus est, adeò ut non amplius opus habuerit crudeli hoc & desperato remedio.

Fusius id refertur à Nicephoro *l. 7. cap. 33.* Constantinus Magnus devicto Maxentio, Crucis sibi cœlitus ostensæ symbolo, cum Maximinum quoque Christianis infestum opprimere cogitaret, subitò Elephantiasi corripitur: Medicis omnibus desperantibus tandem adsunt Græci, qui in capitolio lacum ex puerorum sanguine fieri oportere asserunt: in quo si Imperator se ablueret, certè valetudinem pristinam recuperaret: convocantur pueri, carnifices adsunt, edictum exspectant: non tulit matrum lachrymas clementissimus Imperator, sed pueros suis matribus salvos & incolumes donavit: nocte proxima Divos Petrum & Paulum ad se venientes conspicit, & ut Romanum Antistitem Sylvestrum adeat, atque ex ea piscina (quam is demonstraturus esset,) se lavaret, monetur: paret, & septem dierum jejunio indicto à Sylvestro sacro Baptismate abluitur cum filio Crispo sacro prius oleo unctus: lux interim clarissima locum illustrat, & sonus suavissimus auditur: Constantinus ipse divinæ cujusdam manus attactum sentiens ex lavacro sanus & salvus egreditur.

Joh. Baptista Porta *Mag. natural. l. 1. c. 7.* scribit, ex Elephanti partibus multa remedia adinventa esse contra Elephantiasin, quam summa Elephantorum cutis ementitur. Præter supra adducta remedia locum habent ad curandum hoc malum etiam sequentia, v. gr. Mixtura composita ad lepram Graseri: item Sal, Magister & pulv. spinarum viperarum: Mercurius cum auro præcipitatus, Mercur. dulc. & Mercurius vitæ, butyrum antimonii, antimonium per inferiora purgans, pilulæ ex antimonio purgantes Hartmanni, Tartarus Vitriolatus antimoniatus ejusdem, arcanum Corallinum simplex & auratum, tinctura antimonii, Sulphur auratum antimonii, oleum antimon. cum sacchar. Arsenicum ritè fixatum, tinctura auri, Corallorum vera: pulvis vitæ D. Rehefeldii

feldii ex Regulo antimonii & aurô, cujus descriptionem dat D. J. Michaëlis *p. m. practic. Clinic. general. part. II. cap. 16.* Ex vegetabilibus prosunt radices hellebor. nigr. & hinc resultantia medicamenta, filicis, herb. fumar. Carduus benedictus, centaurium minus & similia.

Inter externa Elephantiasis remedia commendat Plinius Cedri succum illitum *H. N. l. 24. cap. 5.* it. Cedriam inunctam: cochlearum terrestrium cinerem illitum: Salamandram aliis conferentibus medicamentis admixtam: fel capræ sylvestris & hircinum inunctum heîc laudat Anton. Pinæus locô supra citat. Picem cedriam linctu & illitu mederi Elephantiasi scribit Joh. Ruellius *lib. 1. de natur. stirp. cap. 42.* id quod etiam succô Cedri fieri scribit Cæl. Aug. apud Pierium hieroglyphicorum *lib. 60. p. m. 441.* Succum foliorum plantaginis etiam nonnulli commendant.

Balnea sulphurea laudat Aretæus, eô, quod humores intus delitescentes foras evocare possint: Græci verò & Arabes secus sentiunt, quod hæc balnea nimis calefaciant & exsiccent, incendiumque augeant; hinc balneum aquæ dulcis præferunt. Vid. G. Bertin. *M. M. loc. cit.*

Rondeletius præscribit balneum abstergens, rarefaciens & digerens, quod componitur ex bryon. cucumer. asinin. serpentar. enul. c. rad. lapath. acut. acetos. h. borragin. bugloss. saponar. cum radic. herb. fumar. lupul. endiv. Cichor. plantagin. sem. lupin. fab. hord. integr. fl. rosar. rubr. nenuphar. fl. cordial. fol. tamarisc. chamomill. melilot. in aquâ pluviali vel fontanâ decoctis: post hujus usum oleô bufonum ægrum inungi jubet. Per balnea enim sal illud fixum viscidumque in glandulis cutaneis restitans non nihil dissolvitur, eique exitus per poros cutis præparatur.

Balnea artificialia ex scoriis antimonii, nitrô & tartarô parari possunt: laudantur thermæ bituminosæ & sulphureæ: ut & ad emolliendos partium externarum tumores semicupia, fotus & cataplasmata. Post balneum commendat Dolæus locô citatô sequens linimentum. ℞. Axung. viperar. drach. duas, ursi, unc. sem. ol. laurin. drachm. 3. succ. fumar. veronic. nummular. scabios. ana drachm. 1. pulv. radic. aristoloch. rotund. drachm. sem. nitr. drachm. 1. lithargyrii auri drachm. sem. cui addi possunt, si lubet, Mercur. præcipitat. rub. fuligo & sulphur M. f. l. a. linimentum.

Sequens etiam linimentum efficax esse perhibetur: Rec. Auripigment. drach. x. sulphur. viv. unc. 1. Costi, unc. un. sem. calcis viv. Unc. sem. Ceræ, drachm. v. baccarum laur. aridar. Unc. un. sem. hæc omnia foliorum populi succô aut crassô decoctô subiguntur, & mellis spissitudinem nacta illinuntur. Detergere creditur portulaca cum ace-

acetô trita, ut & Rumicis (Lapathi) radices cum acetô coctæ.

Rhases ad usum externum commendat gummi ammoniacum in acet. q. s. dissolutum: incidit enim & resolvit humores viscidos: item radic. malvæ post ebullitionem benè contritæ q. v. sebi ovilli q. s. ad incorporandum. Joh. de Torna mira in *Clarificator. cap. 95. pag. 109.* valdè laudat sequens: Rec. Cineris radicum caulium Unc. iv. axung. porci antiqu. q. s. ad incorporandum: misce in mortariô ad consistentiam mellis: quô medicamentô exterius parti laboranti applicatô materiam peccantem consumi scribit.

His si nihil obtinetur, ad caustica nonnulli progrediuntur: inter quæ excellit oleum antimonii ritè præparatum: alii aquam Mercurialem Rulandi commendant: ubi gangræna imminet, ab omnibus unguentis abstinendum: in Sphacelô verò ad ferrum accedendum.

De annulô quôdam Regum Angliæ, cujus attactus Elephantiasin percurat, videatur Theodorus Höpingius de jure Insign. cap. 18. §. 7. fol. 906. Creditur hic annulus Epilepticis etiam prodesse, & fortassis ex Alcis ungula confectus esse.

Inter Chirurgica præsidia castrationem Medici nonnulli suadent, teste G. Bertin. *Camp. M. M. l. c.* quam etiam Aëtius commendat: testium enim amputatione ardor hepatis sanguinem quasi assantis restinguitur, æger humidus & frigidus evadit: adde quod sublatâ sic gignendi facultate tollitur hujus mali contagio, quæ per prolis propagationem in humanum genus serpit & redundat. Vid. P. Uffenbach loco supra citatô: verum hæc curandi ratio à recentioribus tanquam dolorosum præsidium rejicitur: quemadmodum etiam Venæsectio, cucurbitulæ, hirudines, vesicatoria, setacea, cauteria à modernis Medicis pluribus damnantur, quippe quæ sanguinis tenuiorem partem eliciunt, unde reliqui humores magis incrassantur, & sic malum potius augetur quam imminuitur. Rhases tamen & alii antiquiores suadent largam Venæsectionem per intervalla etiam reiterandam. Si Elephantiasis sit incipiens & à contagiô, Venæsectionem proficuam esse censet b. m. D. J. Micæaëlis *Practic. Clinic. general. part. 2. c. 16.*

In contumacissimô hoc malô expugnando opus est exquisitâ & optimum sanguinem gignente diætâ atque exercitiô corporis post præmissa universalia, videlicet sudores, sanguinis missiones, abstersiones, purgationes & similia: Rondeletius *l. c.* abstinere jubet à salsis, piperatis, frixis, massâ panis incrustatis, herbis & fructibus calefacientibus, præsertim amygdalis, nucibus, castaneis, caseô & pinguibus: pro vinô commendat aquæ potum: dissuadet vestes pellibus suffultas & stragula ex plumis: commendat potius culcitras & lectos bombace vel tomentô consutas,

tas, locum & aerem frigidum, & singulis diebus ablutionem faciei cum aquâ peponum destillatâ.

Vinum Celsus in principio morbi porrigit, quod si oligophorum sit, utique locum habere potest: sæviente verò malô præsertim in vigore illud planè suspectum esse putat G. Bertinus *Camp. M. M. l. c.* Acidularum de ferri minerâ participantium potus magis laudatur: quemadmodum etiam Martialia medicamenta cum successu fuisse usurpata constat in principio.

Reiner. Solenander *Consil. Med. 25. pag. 107.* abstinendum esse judicat ab omni cibô humorem melancholicum generante, â viscidô, salsô, acutô, & crassi nutrimenti: item â carnibus salitis, fumô induratis, lacticiniis, caseo putri & veteri, piscibus lacustribus & in fluminibus circa urbes captis.

Propter Contagii metum Elephantiacos à sanorum consortio separandos, sudoferis diutius continuatis tractandos, eorumque habitationes quam longissimè ab urbibus removendas & in frigidioribus locis statuendas esse, omnium Practicorum calculo confirmatur.

Elephantiasi correptus interiit Constantinus, hujus Nominis Quintus, Romanorum Imperator, cum imperasset annos 35. *Volaterran. l. 23. Antrop.* Idem fatum expertus Phroilla Rex Hispaniæ: ut & Balduinus IV. Regum Hierosolymitanorum septimus referente Ritio *l. 2. de Reg. Hispan. & lib. de Reg. Hierosolymorum.*

Pontifex Romanus, dictus DEUS dedit, cujus tempore scabies quædam tam fœda grassabatur, ut præ deformitate homines cognosci non possent, obvium quendam hac Elephantiasi laborantem solo osculo statim liberavit, ut refert B. Platina *de vitis Pontificum p. m. 79.*

TANTUM!

SOLI DEO GLORIA!

HActenus in plenô visus ludensque Theatrô
Progrediens Elephas proscenia nota relinquit,
Impiger & doctum nunc exspatiatur in Orbem:
O utinam comptus satis & phaleratus! at æquum
Judicium exspectat, si non ea fortè peregit,
Quæ decuit fecisse: Sat hic egisse videtur,
Qui quantum potuit, sua munia cautus obivit:
Ardua res sanè est, peregrina animalia rarò
Visa stylô cunctis placitô evolvisse: proinde
In re difficili si fortè irrepserit error,
Authorem veniam confidit jure mereri,
Qui bona quæque suo Lectori mente precatur.





